* M * G * D *

* 1 6 * 4 9 *

204

Ad Usum
P. Agnelli Kändler Ord.
Erem. S. Augni
Ad Conventũ Monacensẽ
Ord. Er. S. P. Augni
1731

Med. gen. 254.

Medicina. Systemata et institut.
327
372.


IDEA VNIVERSÆ
MEDICINÆ
PRACTICÆ
Libris XII. absoluta.
Editione hac quatuor accessere.
IOH. IONSTONVS Med. D.
Concinnauit.
AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium. A°. 1648.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO GUILJELMO,

MONARCHIONI BRANDENBURGICO, S. R. I. ARCHICAMERARIO & ELECTORI, IN PRUSSIA, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINENSIUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, NEC NON IN SILESIA, CROSNENSIUM AC CARNOVIENSIUM DUCI, BURGGRAFIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI RUGIÆ, COMITI MARCÆ & RAVENSPURGI, DOMINO RAVENSTEINII, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime Princeps.

SEu laborem, ſeu meipſum ſpectem, nullum, qui ſibi hoc quicquid eſt opellæ præter C. T. pari jure vendicare poſſet, invenio. Nunquam à ſummorum Principum genio Medicina abhorruit. Herbis & confectionibus à ſe inventis, Juba, Mithridates, Artemiſia, nomina ſua impoſuere. Salomon Ebræorum, Evax Arabum Re-

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

ges, de rebus Medicis ſcripſere. Impulſu Miramolini Averroës ſuum Colliget; Sultani Babylonii Maimonides ſuos Aphoriſmos; Manſoris Rhazes ſuum Almanſorem, compoſuere. Aſclepiades volumina Medica Mithridatis; Evacis de lapidibus precioſis Tiberius; Andromachi de Theriaca Nero; Alguaziris de calculo Saracenorum Imperator, gratiosè excepere. Quòd ſi partis illius Medicinæ, quam Spagyricam vocamus, habeatur ratio; in ſummis eam apud Rudolphum Imperatorem, Mauritium Haſſiæ Landgravium, Principes Anhaltinos, & alios fuiſſe deliciis inveniemus. De meipſo hoc dixiſſe ſufficiat, me juſſu ſereniſſimi glorioſiſſimæ memoriæ C. T. Parentis, ab Univerſitate Francofurtana ad profeſſionem Medicam vocatum, quia necdum per temporum ſævitiam comparére licuit, laborem hunc publico donare voluiſſe: ut, & quanti honorificam illam vocationem faciam; &

quan-

quantum vel abſens ſtudioſæ in eadem Juventuti prodeſſe cupiam, oſtenderem. Cum verò T. C. DEUS ut totius illius terrarum tractus hæredem; ſic Academiæ Dominum & Patronum eſſe voluerit; meritò ad T. A. ſubſellia deponitur, quicquid eidem debetur.

Pateat itaque, humillimè peto, huic opellæ ad T.C. aditus; mihi ejuſdem patrocinium. Eò plus illa ex T. C. conſpectu æſtimii conſequetur, quò minus ex ſeſe ſplendoris habet. Ergo ſub hujus clypeo deliteſcens, tutus ab omni livore ero, & animoſior ad alia aſſurgam. Sic T. C. cum Sereniſſima Conjuge DEUS, Chriſtiani orbis bono perennare jubeat; & pacem emorienti Germaniæ largiatur clementiſſimè.

Sereniſſ. Celſit. T.
Cliens

JOHANNES JONSTONUS *Med. D.*

Præfatio ad Lectorem.

DE tribus mihi in hoc frontiſpicio monendus es, ſtudioſe Lector: deſcriptionis nempe cauſa, ſtructurâ, & uſu. De Cauſa non eſt quòd multa dicam. Privatis olim uſibus concinnatus hic labor. nunc eundem in publicæ famæ Comitium, Francofurtanæ Academiæ ad profeſſionem Medicam vocatio protrahit. Per injuriam temporum quia comparere non licuit, quanti & vocationem faciam, & ſtudio Medicinæ ibidem ſtudioſorum promovendi ſtudia flagrem, oſtendere volui. Acceſſere amicorum aliquot monita, qui emolumenta Iuventuti literariæ ex ejus publicatione pollicebantur: & Trincavellum quidem, Fernelium, Fuchſium, Pernumiam, Petræum, Bruelium, Zacutum, egregia præſtitiſſe: eorum tamen quoſdam nimis breves, Methodum medendi non attingere; alios ſignorum prognoſticorum nullam vel levem rationem habere: nonnullos in diſquiſitionibus occupari; aliquos multos morbos non attingere, addebant. Monebant inſuper, ne me obtrectationum vel calumniarum aliquo absterreri metu paterer. Propriarum virtutum exſortes per aliorum obtrectationes apud homines ſimilis ſortis, fœdè inclareſcere. Invidos & paribus deſtitutos bonis, alienam gloriam rodendo, ſuam famam proſtituere, &c. De ſtructura breviter hæc habe. Omnium ferè morborum ſciagraphiam

grap hiam

graphiam cum ſuis ſignis, cauſis, differentiis, & curatione, brevi gyro includere placuit, ut ſuperius attactorum diligentia conjungeretur. Inter morbos primum Externis *locum eſſe volui, tum quia à ſenſu notioribus incipiendum eſt: tum quia inde Medicina cæpiſſe creditur. Chiron inter Medicos primus cenſetur; inde nomen ſortitus, quòd Chirurgiæ peritiſſimus fuerit. Signa Cauſis præmiſi, ut humani conceptus ordinem in indagando juvarem. Cum hoc vel illud ſymptoma refertur, in alia ſigna inquiritur. Cognito affectu, ad Cauſarum varietatem progredimur. Ad Differentias omnia reducere tentavi, ut & morbus exactiùs cognoſci poſſet, & diverſitas Curationis accuratiùs exprimeretur. De* Authoribus, *ſi quæris, ex* Danielis Sennerti *Medici clariſſimi Tomis me olim hanc excerpſiſſe Iſagogen ſcito; cujus etiam diſpoſitionem & ordinem in omnibus fere nunc ſequor. Cum eo contuli* Fernelium, Joëlem, Capivaccium, Liddelium, Aquapendentem, Petræum, Ferdinandum, Fabricium, Martinum, Collutium, Fracaſtorium, Fallopium, Quercetanum, Zacutum Luſitanum, Alſarium Crucium, Platerum, Septalium, Heurnium, Ferrandum, Höchſtetterum, Martinum Untzerum, Mynſichtum, Beckerum, Hartmannum, Stockerum, *& alios; quos omnes ſuis locis citatos invenies. In* Medicamentis *illa poſui, quæ à præſtantiſſimis Me-*

dicis laudari maximè, animadverti. ſed nec illa reticui, quæ vel à magnis quibuſdam in peregrinatione meâ viris acquiſivi; vel in ſcriniis Matthæi Vechneri, *p. m. Archiatri Regii, Medici hactenus ferè apud nos abſque pari, & quod præcipuum eſt, viri abſque fuco, jactantia, & faſtu, ſoceri mei reperi. In pleraque autem digitum duntaxat intendi, ut ad eorum Authorum lectionem ſtudioſos incitarem; & ne, ſi expreſsiſſem juventus præſumtione nocivâ, illis abuteretur. Circa* Uſum, *quiſnam ille ſit, & quando loco opuſculo Studioſus uti debeat, exponendum eſt. Si prius ſpectes, introductionem hic in vaſtos illos Saxoniæ, Mercati, Maſſariæ, Capivaccii, Rudii, Sennerti, de Corporis humani affectibus commentarios habes. Erit hic labor locorum communium inſtar, in quos omnia quæ legentur, referri tanquam in Indicem poterunt, ſive illa ſint à me non attacta, ſive ad Correctionem, (errare me facilè potuiſſe credo) augmentum, vel elucidationem faciant. Inſerviet Collegiis privatis, quæ in Academiis utramque paginam faciunt; ſive illa fuerint Diſputatoria, quæ mihi non valde placent; ſive Explicatoria ſpontanea, quæ magis ſunt utilia; ſive Explicatoria ad interrogationem Collegii, quæ maximè ſunt neceſſaria. Si poſterius attendas, nonniſi præmiſsis inſtitutionibus ad hanc Ideam Medicinæ ſtudioſo accedendum erit. Has autem cum fructu aggredi poterit, ſi linguas Latinam, Græcam, Arabi-*

cam,

cam, cujus in Avicennæ, & aliorum Arabum scriptis summus est usus, calluerit, & Naturalem Philosophiam cum sua Historia bene excoluerit; & in hâc Fossilium, & Plantarum naturam, cum Corporis humani structurâ excusserit. Illa ex Agricola & Cæsio *hauriet. Istas ex* Dioscoride, Mathiolo, Dodonæo, & Clusio *interim petet, donec nostri Phyticorum libelli (quos Medicinæ studiosorum bono paramus) prodierint. Hanc* Riolanus, Bauhinus, Spigelius *aperient; ad quorum lectionem eum* Columbus *vel* Ludovicus Hortensius *præparabit. Institutiones Medicas is felicissimè absolvet, qui facto à Riolano initio, ad Fernelium, mihi in doctrina de Vrina & Pulsibus commendatissimum; & Sennertum in omnibus exquisitum, transibit. Medicamenta simplicia & composita ex Schonbornio & Morello memoriæ mandabit. plantas diligenter lustrabit. pharmacopolia frequentabit. sectiones corporum humanorum visitabit. nec Chymicas operationes (observationes* Antonii Billichii Güntheri *commendo) negliget. Et hæc sunt, de quibus te monendum volui, studiose Lector. Quod superest, Vos inclytæ Academiæ Francofurtanæ* Proceres *peramanter obsecro, ut laborem hunc, grati & promti in Vos animi indicium, boni consulere, & favorem vestrum mihi integrum relinquere velitis. Si eum tam gratum Medicinæ apud vos Studiosis cognovero; quàm utilem & proficuum, in pri-*

mis si Manuductor accedat, futurum scio; dabo operam, ne & imposterum quicquam in me desideretur. Da DEUS *sidenti in cineribus suis Marchiæ pacem! Academiam pristino vigori restitue. Proceres ejus inter fortunæ & dignitatum accessiones, perennare jube. Vt Civium eruditio cum sanctitate morum, tacitis augescat incrementis, & in maximos auctus diffundatur, largire. Sic ex animo voveo. sic fiat!*

Præ-

Præfatio in ſecundam Editionem.

EDITIONEM hanc ſecundam, quatuor libris auctam, *Benevole Lector*, partim affectui, quo Medicinæ ſtudioſi in exiguam hanc meam opellam feruntur, debebis; partim Typographi, viri induſtrii, petitis. Poſtquam enim illi exemplaria diſtraxiſſent, hic urgere non deſtitit, ut recenſitum iterum in publicum protruderem. Fateor equidem, invitum me & quaſi reluctantem ad hanc editionem hoc tempore acceſſiſſe? Nonnulla enim propter feſtinationem benè non potuere excoli: haud etiam pauca ſunt, in quibus nec ipſe quidem mihi ſatisfacio. Nec erat animus, poſt primam editionem quicquam in hoc ſtudiorum genere publico dare, præter nervoſum, accuratum, ſingulari Methodo inſtructum, Medicinæ univerſæ Syntagma parallelum, in quo jam toti deſudamus. Nolui tamen viri amiciſſimi, & cui propter ſingularia officia multum debeo, precibus deeſſe, inprimis, cùm Excellentiſſ. vir D. Johannes Michaëlis, Profeſſor Lipſenſis, amicus honoratiſſimus, qui id honoris huic opellæ dedit, ut eam publicâ cathedrâ dignaretur, de iterata editione diligenter inquireret, eandemque non tantùm à ſtudioſa ju-

ventute,

ventute, ut innui, ſed etiam à viris magnis Lugduni, Francofurti, Noribergæ, &c. cum applauſu exceptam fuiſſe ſcirem. Dabis itaque facilitati & promtitudini in literatam juventutem & amicos veniam; auctarium boni conſules; defectus qui occurrunt, in opere quod paramus reſarciri patieris; utque nobis in labore iſto ſtrenuè decurrentibus, DEUS benedicere velit, apprecaberis. Obtrectatores & Sycophantas, illos inprimis qui omnia quæ ſua non ſunt improbant, & dum inſanum illum Menecratem, qui ob Medicationis ſucceſſum divinitatem affectabat, æmulantur, alios omnes præ ſe contemnunt, non magis curo, quàm Luna canum latratum. Vale, benevole Lector, & interim his fruere, donec exactiora prodierint.

IDEÆ

IDEÆ
MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS

Prolegomena.

LIBER PRIMUS.

De Hygieine.

TItulus I. De Rebus non-naturalibus in genere 5.
Caput I. De rebus non-naturalibus, quæ assumuntur.
Articulus I. De Aëre. 6.
Artic. II. De cibo.
Punctum I. De Ciborum differentiis. 12.
Punct. 2. De ciborum generibus. 14.
Punct. 3. De condimentis, Pane & cibi sumendi tempore. 35.
Artic. III. De potu. 39.
Cap. II. De rebus non-naturalibus, quæ geruntur. 44.
Cap. III. De rebus non-naturalibus extrinsecus adhibitis. 50.
Cap. IV. De rebus non naturalibus, quæ excernuntur & retinentur. 53.
Titulus II. De methodo tuendæ sanitatis.
Cap. I. De tuenda sanitate, in genere. 54.
Cap. II. De tuenda sanitate, in specie; & primò, de parte ὑγιεινῇ.
Art. I. De tuenda Benehabitorum sanitate.
Punct. I. De tuenda sanitate infantum, puerorum & puberum. 57.
Punct. 2. De sanitate mediæ ætatis tuenda. 59.
Punct. 3. De sanitate senum tuenda. 65.

Art. II.

Art. II. De sanitate Intemperatorum tuenda. 66.

Liber Secundus.

De affectibus humani corporis præternaturalibus, & eorum signis.

Prolegomena. 69.
Tit. I. De Morbo genere.
Cap. I. De Morbi natura. ibidem.
Cap. II. De Morbi signis diagnosticis. 74.
Cap. III. De Morbi eventu. 80.
Tit. II. De causis Morborum.
Cap. I. De causis morborum internis in genere. 93.
Cap. II. De causis morborum internis in specie.
Art. I. De Humoribus.
Punct. I. De humoribus quantitate peccantibus, seu Plethora. 94.
Punct. 2. De humoribus qualitate peccantibus, seu Cacochymia. 95.
Punct. 3. De humoribus motu, loco, & tota substantia peccantibus. 98.
Art. II. De flatibus. 100.
Art. III. De rebus toto genere præter naturam. 101.
Titulus III. De Symptomatibus. 102.

Liber Tertius.

De Medicamentis.

Tit. I. De Medicamentis in genere. 103.
Tit. II. De Medicamentis in specie, & ipsorum Differentiis.
Cap. I. De Medicamentis simplicibus.
Art. I. De fossilibus. 107.
Art. 2. De medicamentis vegetabilibus. 111.
Art. 3. De medicamentis animalibus. 120.
Art. 4. De medicamentis microcosmicis. 123.
Cap. II. De medicamentis compositis naturalibus.

Art. I.

Art. I. De Acidulis. ibid.
Art. 2. De Thermis. 127.
Cap. III. De medicameneis compositis artificialibus in genere. 129.
Cap. IV. De medicamentis compositis artificialibus in specie.
Art. I. De medicamentis internis.
Punct. 1. De medicamentis internis fluidis. 133.
Punct. 2. De medicamentis internis solidis. 137.
Punct. 3. De medicamentis internis mediis. 141.
Art. II. De medicamentis externis.
Punct. 1. De medicamentis externis fluidis. 144.
Punct. 2. De medicamentis externis solidis. 147.
Punct. 3. De medicamentis externis mediis. 149.
Punct. 4. De medicamentis externis indifferentibus. 151.
Cap. V. De medicamentis à facultatibus denominatis.
Art. I. De medicamentis alterantibus.
Punct. 1. De medicamentis calidis. 153.
Punct. 2. De medicamentis frigidis. 156.
Punct. 3. De medicamentis humidis. 157.
Punct. 4. De medicamentis siccis. ibidem
Punct. 5. De medicamentis digerentibus, emollientibus, indurantibus, & laxantibus. 159.
Punct. 6. De medicamentis rarefacientibus & condensantibus, stegnoticis & anastomaticis. 160.
Punct. 7. De medicamentis attenuantibus, aperientibus, & incrassantibus. 162.
Punct. 8. De medicamentis Emplasticis & ecphracticis, seu de obstruentibus. 163.
Punct. 9. De Anodynis, & Narcoticis. 164.
Art. II. De medicamentis motum conciliantibus. 165.
Art. III. De medicamentis aliquid generantibus.
Punct. 1. De maturantibus, Pus moventibus & Sarcoticis. 167.

Punct. 2. *De glutinantibus, & Cicatricem inducentibus.* 168.
Punct. 3. *De Lactificis & Seminificis.* 169.
Art. IV. De medicamentis corrumpentibus. ibid.
Art. V. De medicamentis aliquid auferentibus.
Punct. 1. *De Medicamentis purgantibus.* 171.
Punct. 2. *De Vomitoriis, & Diureticis.* 176.
Punct. 3. *De Hydroticis, & Diaphoreticis.* 177.
Punct. 4. *De medicamentis Cerebrum purgantibus.* 178.
Punct. 5. *De Expectorantibus.* 179.
Cap. VI. De Medicamentis à partibus denominatis.
Art. I. De medicamentis Cephalicis.
Punct. 1. *De medicamentis Cephalicis calefacientibus.* 179.
Punct. 2. *De medicamentis Cephalicis externis.* 180.
Art. II. De Medicamentis Ophthalmicis. 181.
Art. III. De Medicamentis Thoracicis.
Punctum 1. *De Thoracicis calefacientibus.* 182.
Punct. 2. *De Thoracicis refrigerantibus.* 184.
Art. IV. De medicamentis Cardiacis.
Punct. 1. *De Cardiacis calefacientibus.* 185.
Punct. 2. *De Cardiacis refrigerantibus.* 186
Art. V. De Medicamentis stomachicis.
Punct. 1. *De Stomachicis calefacientibus.* 187.
Punct. 2. *De stomachicis refrigerantibus.* 188.
Art. VI. De Medicamentis Epaticis.
Punct. 1. *De Epaticis calefacientibus.* 189.
Punct. 2. *De Epaticis refrigerantibus.* 190.
Art. VII. De Medicamentis spleneticis.
Punct. 1. *De Spleneticis calefacientibus.* 191.
Punct. 2. *De Spleneticis refrigerantibus.* 192.
Art. VIII. De Medicamentis Nephriticis.
Punct. 1. *De Nephriticus calefacientibus.* 193.
Punct. 2. *De Nephriticis refrigerantibus.* 194.

Art. IX. De Medicamentis Vterinis.
Punct. 1. De Vterinis calefacientibus. 195.
Punct. 2. De Vterinis refrigerantibus. 196.
Cap. VII. De Medicamentis vegetabilibus planetariis. ibid.

LIBER QUARTUS.

De Methodo medendi.

TIt. I. De methodo medendi in genere. 199
Tit. II. De methodo medendi in ſpecie.
Cap. I. De methodo προφυλακτικῇ. 201.
Cap. II. De methodo ἀφαιρετικῇ in genere. 203.
Cap. III. De methodo ἀφαιρετικῇ in ſpecie; & primò de ἀφαιρέσει Cauſarum.
Art. I. De ἀφαιρέσει cauſarum quantitate peccantium. 206.
Art. II. De ἀφαιρέσει cauſarum qualitate peccantium.
Punct. 1. De Alteratione. 209.
Punct. 2. De Purgatione. 210.
Punct. 3. De Diureſi, Vomitione, & Sudatione. 216.
Art. III. De ἀφαιρέσει Cauſarum motu peccantium.
Punct. I. De Revulſione & Repulſione. 218.
Punct. 2. De Derivatione, & Interceptione. 220.
Art. IV. De ἀφαιρέσει Cauſarum loco peccantium.
Punct. 1. De Emollitione, & Diſcuſſione. 222.
Punct. 2. De Suppuratione, & Attractione. 223.
Art. V. De ἀφαιρέσει flatuum, ſeu Carminatione. 224.

LIBER V.

De Αφαιρέσει MORBORVM.

TIt. I. De Morbis partium ſimilarium, & eorum curatione.

Cap. I. De morbo intemperiei ſine materia. 225.
Cap. II. De morbo intemperiei cum materia. 227.
Cap. III. De Morbis occultarum qualitatum. 230.
Tit. II. De morbis organicis.
Cap. I. De morbis confirmationis. 232.
Art. I. De morbis Figuræ. ibid.
Art. II. De morbis Cavitatum.
Punctum 1. *De morbis Cavitatum in exceſſu.* 233.
Punct. 2. *De morbis Cavitatum in defectu.* 235.
Art. III. De morbis Superficiei. 237.
Cap. II. De morbis Numeri. 238.
Cap. III. De morbis Magnitudinis.
Art. I. De Tumoribus. 239.
Punct. 1. *De Abſceſſu.* 242.
Punct. 2. *De Sinu.* 244.
Art. II. De morbis magnitudinis imminutæ. 245.
Cap. IV. De morbis Situs. ibid.
Art. I. De Luxatione. 246.
Tit. III. De morbis ſolutæ unitatis. 247.
Cap. I. De ulceribus. 248.
Cap. II. De Vulneribus. 254.
Cap. III. De Fracturis. 259.
Tit. IV. De Symptomatibus, & eorum ἀφαιρέσει. 262.
Cap. Vnicum. De Dolore in genere. 263.

LIBER VI.

DE MORBIS EXTERNIS.

Tit. I. De Tumoribus in ſpecie. 265.
Cap. I. De Tumoribus à ſanguine ortis.
Art. I. De Corpulentia nimia. 266.
Art. II. De Inflammatione. 267.
Art. III. De Bubone. 269.
Art. IV. De Phygetlo, Phymate, Furunculo. 270.
Art. V. De Parotide. ibid.

Art. VI. De Paronychia & Pernionibus. 271.
Art. VII. De Ecchymomate. 272.
Art. VIII. De Carbunculo. 273.
Cap. II. De Tumoribus à bile ortis.
Art. I. De Eryſipelate. 275.
Art. II. De Herpete. 276.
Cap. III. De Tumoribus à pituita exortis.
Art. Vnus. De OEdemate. 277.
Cap. IV. De Tumoribus ab humore melancholico.
Art. I. De Scirrho. 278.
Art. II. De Cancro. 279.
Cap. V. De Tumoribus ab humoribus ſeroſis, ſalſis, & bilioſis, inter ſe miſtis.
Art. I. De Scabie. 281.
Art. II. De Phlyctenis, Sudaminibus, Sironibus, & varis. 283.
Art. III. De Epinyctidibus, Alpho, & Leuce. 284.
Art. IV. De Impetigine & Gutta roſacea. 285.
Cap. VI. De Tumoribus, in quibus humor peculiari membrana concluditur. 286.
Cap. VII. De Tumoribus à ſolida ſubſtantia. 287.
Cap. VIII. De Tumoribus à partibus ſolidis aliò incumbentibus.
Art. Vn. De Aneuriſmate, Varice, & Elephantiaſi Arabum. 288.
Cap. IX. De Tumoribus malignis.
Art. Vnicus. De Elephantiaſi. 290
Tit. II. De Cutis affectibus.
Cap. I. De Lentiginibus, Ephelidibus, Nævis maternis, & Maculis infantum. 292.
Cap. II. De Maculis hepaticis, Pruritu, & malo odore. 293.
Tit. III. De Capillorum vitiis.
Cap. I. De Capillorum caſu. 294.
Cap. II. De Porrigine & Plica. 297.
Tit. IV. De Ulceribus in ſpecie.

Cap. I. De Gangræna. 298.
Cap. II. De Sphacelo. 300.
Cap. III. De Combustionibus. 301.
Tit. V. De Luxationibus in specie.
Cap. I. De Luxationibus Mandibulæ, claviculæ & Vertebrarum. 303.
Cap. II. De Luxatione humeri, cubiti, radii & Digitorum. 305.
Cap. III. De luxationibus Femoris, Genu, Tali. 307.
Tit. VI. De Fracturis in specie.
Cap. I. De fracturis ossium frequentioribus. 308.
Cap. II. De fracturis minùs frequentibus. 309.

LIBER VII.

DE FEBRIBVS.

Tit. I. De Febribus in genere. 311.
Tit. II. De Febribus non putridis.
Cap. I. De Febre Ephemera. 313.
Cap. II. De Synocho simplici. 315.
Tit. III. De Febribus putridis in genere. 316.
Cap. I. De Febribus putridis continentibus.
Art. I. De Synocho putrida. 319.
Art. II. De Causo. 321.
Cap. II. De Febre continua periodica in genere. 323.
Art. I. De Febre continua primaria.
Punct. I. De Febre Continua tertiana. 324.
Punct. II. De Febre continua quotidiana. 325.
Punct. III. De Febre continua quartana. 327.
Art. II. De Febre continua symptomatica. 328.
Cap. III. De Febre intermittente in genere. 329.
Art. I. De Tertiana intermittente. 331.
Art. II. De Quotidiana intermittente. 335.
Art. III. De Quartana intermittente. 337.
Art. IV. De Febribus compositis, & Semitertiana. 339.

Tit. IV. De Febre Hectica. 341.
Tit. V. De Febribus malignis.
Cap. I. De Febribus malignis in genere. 344.
Cap. II. De Febribus malignis in specie.
Art. I. De Variolis. 346.
Art. II. De Morbillis, & similibus exanthematibus. 348.
Art. III. De Febre Petechiali. 349.
Art. IV. De Morbo Hungarico. 351.
Art. V. De Sudore Angelico, Febre maligna cum spasmo, & febre maligna cum tussi & catarrho. 352.
Tit. De Febribus pestilentibus. 353.
Cap. Vnicum. De Pestilentia. 355.

LIBER VIII.

DE MORBIS CAPITIS.

Tit. I. De morbis Cerebri.
Cap. I. De intemperie cerebri sine materia. 359.
Cap. II. De intemperie Cerebri cum materia. 362.
Cap. III. De meatuum Cerebri angustia. 367.
Cap. IV. De Commotione Cerebri. 369.
Cap. V. De inflammatione Cerebri. 370.
Cap. VI. De Hydrocephalo. 372.
Cap. VII. De contusione capitis. ibid.
Cap. VIII. De vulneribus capitis.
Art. I. De vulnere cutis & pericranii. 374.
Art. II. De vulnere seu fractura cranii. 375.
Art. III. De cranii fractura cum meningum læsione. 377.
Tit. II. De Symptomatibus Cerebri.
Cap. I. De symptomatibus sensuum externorum. 378.
Art. Vnicus. De Cephalalgia, seu dolore capitis. ibidem.

Cap. II. De symptomatibus sensus communis.
Art. I. De Vigiliis nimiis. 382.
Art. II. De Comate somnolento, seu Cataphora. 383.
Cap. III. De symptomatibus Imaginationis.
Art. unicus. De Vertigine. 385.
Cap. IV. De symptomatibus imaginationis & ratiocinationis læsa. 338.
Art. I. De Memoriæ læsione. ibid.
Art. II. De Delirio 389.
Art. III. De Phrenitide. 391.
Art. IV. De Melancholia. ibid.
Art. V. De Mania. 395.
Art. VI. De Rabie. 397.
Cap. V. De symptomatibus plurium sensuum internorum.
Art. I. De Comate Vigili. 399.
Art. II. De Lethargo. ibid.
Cap. VI. De Symptomatibus motus animalis.
Art. I. De Lassitudine 402.
Art. II. De Inquietudine. 403.
Art. III. De Rigore. 404.
Art. IV. De Tremore. 405.
Art. V. De Paralysi. 407.
Art. VI. De Spasmo, seu Convulsione. 409.
Cap. VII. De symptomatibus sensus internos, ratiocinationem & motum, cum sensibus externis simul lædentibus.
Art. I. De Incubo & Catalepsi. 412.
Art. II. De Epilepsia. 414.
Art. III. De Caro. 419.
Art. IV. De Apoplexia. 420.
Cap. VIII. De symptomatibus Excretorum.
Art. Vnicus. De Catarrho. 413.
Tit. III. De Oculorum morbis.
Cap. I. De Palpebrarum affectibus. 426.
Cap. II. De Ciliorum vitiis. 429.

Cap. III.

Cap. III. De Carnis angularis vitiis. 430.
Cap. IV. De Tunicæ annatæ morbis.
Art. I. De Ophthalmia. 431.
Art. II. De Vngue oculi, Panno, & Hyposphagmate. 433.
Cap. V. De morbis Corneæ.
Art. I. De Crassitie, Nebula & Albugine. 436.
Art. II. De Pustulis & Vlceribus Corneæ. 437.
Art. III. De Vulneribus Corneæ, & Dolore oculorum. 438.
Cap. VI. De Vveæ morbis.
Art. I. De Vveæ procidentia, Pupillæ dilatatione, & angustia. 439.
Art. II. De Suffusione. 440.
Cap. VII. De Humorum in oculis vitiis. 442.
Cap. VIII. De morbis oculi globum infestantibus. 444.
Tit. IV. De Aurium morbis. 445.
Tit. V. De aurium symptomatibus.
Cap. I. De Dolore, & Surditate. 447.
Cap. II. De Aurium tinnitu, & Obauditione. 449.
Tit. VI. De Narium morbis & symptomatibus.
Cap. I. De Vlceribus narium, Ozæna, & Polypo. 450.
Cap. II. De Hæmorrhagia narium. 452.
Cap. III. De Olfactus læsione, Gravedine & Sternutatione. 455.
Tit. VII. De Linguæ morbis & symptomatibus. 456.
Tit. VIII. De morbis & symptomatibus labiorum. 459.
Tit. IX. De Faciei morbis & Symptomatibus.
Cap. I. De Oris apertione, hiatu & oscitatione. 460.
Cap. II. De Oris tortura. 462.
Cap. III. De Ptyalismo. 463.
Tit. X. De Oris affectibus.
Cap. I. De Aphthis. 465.

Cap. II. De fœtore Oris. 466.
Tit. XI. De morbis & ſymptomatibus Dentium.
Cap. I. De morbis Dentium.
Art. I. De Dentium corroſione. 467.
Art. II. De Dentium mobilitate. 468.
Cap. II. De Dentium ſymptomatibus.
Art. I. De Odontalgia. 469.
Art. II. De Stupore, Stridore, & Nigredine dentium. 472.
Tit. XII. De Gingivarum affectibus. 473.
Tit. XIII. De Maxillarum affectibus. 474.
Tit. XIV. De Gurgulionis affectibus. 475.
Tit. XV. De Tonſillarum affectibus. 476.

LIBER IX.

DE MORBIS MEDII VENTRIS.

Tit. I. De morbis Faucium, ſeu Angina. 478.
Tit. II. De morbis Gutturis.
Cap. Vnicum. De Strumis & Bronchocele.
Tit. III. De Aſperæ arteriæ morbis. 484.
Tit. IV. De Pulmonis morbis.
Cap. I. De Pulmonis intemperie. 485.
Cap. II. De Peripneumonia. 487.
Cap. III. De Pulmonis anguſtia. 489.
Cap. IV. De Pulmonis vulneribus. 492.
Cap. V. De Pulmonis ulcere, ſeu phthiſi. 493.
Tit. V. De morbis Thoracis.
Cap. I. De Mediaſtini inflammatione, & Diaphragmatis tumoribus. 497.
Cap. II. De Pleuritide. 498.
Cap. III. De Empyemate. 502.
Cap. IV. De Tabe & Vermibus dorſi. 503.
Tit. VI. De ſymptomatibus Pulmonum & Thoracis.

Cap. I. De vitiis Respirationis. 504.
Cap. II. De Asthmate. 505.
Cap. III. De Tussi. 508.
Cap. IV. De Hæmoptysi. 510.
Tit. VII. De Cordis affectibus.
Cap. I. De palpitatione Cordis. 512.
Cap. II. De Animi deliquio. 514.
Tit. VIII. De Mammillarum affectibus.
Cap. I. De Mammillarum morbis.
Art. I. De Tumoribus. 517.
Art. II. De Cancro & magnitudine Mammarum. 519.
Cap. II. De symptomatibus Mammarum.
Art. I. De Lactis defectu, redundantia, & coagulatione. 520.

LIBER X.

DE *Morbis infimi ventris.*

TIt. I. De affectibus OEsophagi.
Cap. I. De Morbis OEsophagi.
Articulus I. De OEsophagi intemperie & tumore. 522.
Art. II. De OEsophagi angustia, Vulnere & ulcere. 524.
Cap. II. De OEsophagi symptomatibus. 525.
Tit. II. De affectibus Ventriculi.
Cap. I. De Morbis ventriculi. ibid.
Art. I. De intemperie Ventriculi in genere. 526.
Art. II. De intemperie Ventriculi sine materia. ibidem.
Art. III. De intemperie Ventriculi, cum materia. 528.
Art. IV. De Tumoribus Ventriculi. 530.
Articulus V. De Vulneribus & ulceribus Ventriculi. 532.

Cap. II. De Ventriculi symptomatibus.
Art. I. De Dolore & Ardore Ventriculi. 533.
Art. II. De Anorexia. 535.
Art. III. De nimia Appetentia. 538.
Art. IV. De Appetitu depravato, seu Pica. 539.
Art. V. De nimia siti. 540.
Art. VI. De Coctionis seu Chyloseos læsione. 541.
Art. VII. De singultu. 544.
Art. VIII. De Ructu, & Rugitu. 545.
Art. IX. De Nausea & Vomitu. 547.
Art. X. De Cholera 550.
Tit. III. De affectibus Intestinorum.
Cap. I. De morbis Intestinorum. 552.
Art. I. De inflammatione intestinorum. ibid.
Art. II. De intestinorum angustia. 553.
Art. III. De Vermibus. 554.
Art. IV. De Hernia intestinali. 557.
Art. V. De Ani procidentia ac Vulneribus, ac ulceribus Intestinorum. 559.
Cap. II. De symptomatibus intestinorum.
Art. I. De Iliaca passione. 560.
Art. II. De Coliaca. 563.
Art. III. De Alvi retentione. 567.
Art, IV. De Alvi fluxu.
Punct. I. De Lienteria, & Cœliaca. 568.
Punct. 2. De Diarrhœa. 571.
Punct. 3. De Dysenteria. 576.
Punct. 4. De Fluxu alvi sanguineo & Epatico. 582.
Tit. IV. De Recti intestini affectibus.
Cap. I. De intestini recti morbis. 584.
Cap. II. De Recti intestini symptomatibus.
Art. I. De Pruritu & Tenesmo. 586.
Art. II. De Hæmorrhoidum fluxu, & suppressione. 587.
Tit. V. De Mesenterii affectibus.
Cap. I. De Mesenterii intemperie & Obstructione. 590.

Cap. II.

Cap. II. De Mesenterii inflammatione, & Abscessibus. 592.
Cap. III. De Mesenterii dolore, & Omenti ac Pancreatis affectibus. 594.
Tit. VI. De Epatis affectibus.
Cap. I. De Epatis morbis.
Art. I. De Epatis intemperie. 596.
Art. II. De Epatis obstructione. 599.
Art. III. De Epatis inflammatione. 602.
Art. IV. De Epatis scirrho. 605.
Art. V. De Vulneribus & Vlceribus Epatis. 607.
Cap. II. De Epatis symptomatibus.
Art. I. De imbecillitate Epatis. 608.
Art. II. De Cachexia. 609.
Art. III. De Hydrope in genere. 611.
Art. IV. De Ascite. 612.
Art. V. De Tympanite, & Anasarca. 616.
Art. VI. De Ictero. 618
Art. VII. De Atrophia. 620.
Tit. VII. De Lienis affectibus.
Cap. I. De Lienis morbis.
Art. I. De Lienis obstructionibus.
Art. II. De Lienis inflammatione, & Scirrho. 623.
Art. III. De Vlcere & Vulnere Lienis. 625.
Cap. II. De symptomatibus Lienis.
Art. I. De Dolore Lienis & Ictero nigro. 626.
Art. II. De affectione hypochondriaca. ibid.
Art. III. De Scorbuto. 632.
Tit. VIII. De Renum affectibus.
Cap. I. De Renum morbis.
Art. I. De Renum angustia. 641.
Art. II. De Renum inflammatione. 643.
Art. III. De Calculo Renum. 645.
Art. IV. De Vlcere & Vulnere Renum. 648.
Cap. II. De Renum symptomatibus. 649.
Tit. IX. De Vesicæ affectibus.

Cap. I. De Vesicæ morbis.
Art. I. De Vesicæ calculo. 650.
Art. II. De Vesicæ Inflammatione, Scabie, ulcere, & fistula. 652.
Art. III. De Meatus urinarii angustia. 654.
Cap. II. De Vesicæ symptomatibus.
Art. I. De Incontinentia Vrinæ. 655.
Art. II. De Diabete. 656.
Art. III. De Ischuria. 658.
Art. IV. De Stranguria. 660.
Art. V. De Dysuria. 661.
Art. VI. De Mictu cruento, purulento & pilari. 663.
Tit. X. De partium genitalium in viris affectibus.
Cap. I. De earundem morbis.
Art. I. De morbis Testium. 665.
Art. II. De morbis Scroti. 666.
Art. III. De morbis Virgæ. 669.
Cap. II. De membrorum genitalium in viris symptomatibus.
Art. I. De læsa seminis generatione, & Virgæ erectione. 670.
Art. II. De Salacitate, Priapismo, & Satyriasi. 672.
Art. III. De Gonorrhœa. 673.
Tit. XI. De partium genitalium in fæminis morbis.
Cap. I. De morbis Cervicis uteri.
Art. I. De Tentigine & Cauda. 675.
Art. II. De Cervicis uteri angustia. 676.
Art. III. De Vteri pustulis, condylomatibus & hæmorrhoidibus. 678.
Art. IV. De Cervicis uteri Vlceribus. 680.
Cap. II. De morbis Vteri.
Art. I. De intemperie uteri. 682.
Art. II. De vasorum Vteri angustia. 685.
Art. III. De Vteri inflatione. 686.
Art. IV. De inflammatione Vteri. 688.
Art. V. De scirrho uteri. 690.

Art. VI. De Hydrope Vteri. 691.
Art. VII. De Vteri procidentia. 692.
Art. VIII. De Vteri adſcenſu, vulneribus & ulceribus. 694.
Tit. XII. De ſymptomatibus Uteri.
Cap. I. De ſymptomatibus communibus.
Art. I. De uteri imbecillitate. 695.
Art. II. De Vteri dolore. 697.
Art. III De Menſium ſuppreſſione. 698.
Art. IV. De Menſium ſtillicidio & difficultate. 701.
Art. V. De Menſium decoloratione. 703.
Art. VI. De Menſium inordinato fluxu. 704.
Art. VII. De nimio Menſium fluxu. 706.
Art. VIII. De fluore muliebri & Gonorrhœa. 708.
Cap. II. De ſymptomatibus extra conjugium viventibus magis familiaribus.
Art. I. De Morbo virgineo. 711.
Art. II. De ſuffocatione Vteri. 712.
Art. III. De furore uterino, & Melancholia mulierum. 716.
Cap. III. De ſymptomatibus Conjugatis propriis.
Art. I. De ſymptomatibus circa conceptionem.
Punct. I. De ſterilitate. 717.
Punct. II. De Mola. 720.
Art. II. De ſymptomatibus Gravidarum. 721.
Art. III. De ſymptomatibus circa partum. 724.
Tit. XIII. De Abdominis affectibus.
Cap. unicum. De Hernia umbilicali, & Muſculorum abdominis inflammatione.
Appendix. De Arthridite.

LIBER XI.

DE Morbis Venenatis.

TIt. I. De Lue Venerea. 733.
Tit. II. De Venenis.
Cap. I. De Venenis fossilibus. 740.
Cap. II. De Venenis vegetabilibus. 741.
Cap. III. De Venenis animalibus. 742.

LIBER XII.

DE MORBIS PVERORVM.

TIt. I. De morbis Capitis. 744.
Tit. II. De morbis medii Ventris. 747.
Tit. III. De morbis infimi Ventris. 748.
Conclusio. 751.

IDEÆ

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS

PROLEGOMENA.

Medicina practica est ars, ſanitatem humani corporis, quantum poſſibile eſt, præſentem conſervandi, amiſſam inſtaurandi.

I. *Practicam* voco, non quòd aliqua ſit Theorica; tota enim Medicina operationi deſtinatur: ſed quod hæc operationem immediatè reſpiciat; illa verò quæ Theorica dicitur, per ſe ad opus non tendat, ſed potiùs cognitione ſuâ Practicæ inſerviat.

II. *Ars eſt*, tum quia ποίησιν pro fine habet: tum quia de objecto ſuo, corpore humano, non ut id cognoſcat, ſed ut medeatur, agit. Eſt autem *Ars omnium artium* ἐπιφανεστάτη, *præclariſſima*: ſed διὰ τὴν ἀμαθίην τῶν τε χρεωμένων αὐτῇ, καὶ τῶν εἰκῇ τοὺς τοιούσδε κρινόντων, *propter ignorantiam, & eorum qui eam exercent, & eorum qui temere hos judicant, infima.* Soli namque Medicinæ nulla pœna in Rebuſp. ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ, quæ, οὐ τιτρώσκει τοὺς ἐξ αὐτέης συγκειμένους, *non lædit eos qui ex ipſa conflati ſunt*; ut Hippocrates in lege loquitur. Ad ipſius ergo *acquiſitionem*

tria neceſſariò requiruntur. I. *Natura*: Nam Φύσιος ἀντιπραττούσης κενεὰ πάντα, *natura repugnante irrita ſunt omnia.* Φύσιος δὲ εἰς τὸ ἄριστον ὁδηγεούσης διδασκαλίη τέχνης γίνεται, *eam viam ad optima commonſtrante, artis Doctrina contingit.* II. *Doctrina*, illaque à puero, quod καθ' ὥρην, opportuno tempore, oporteat ſemina εἰς τὴν ἄρουραν πεσεῖν, *terræ committere.* Hac comprehendo omnium eorum notitiam, quæ vel Medicinam conſtituunt, vel eidem ancillantur; ſive ſint linguæ, ſive diſciplinæ philoſophicæ. *Methodum* aperuit *D. Kyperus.* habemus & nos quædam in præfatione. Authores in *Lindano* de ſcriptis medicis invenies; ſufficiunt tamen illi quos Kyperus produxit. III. *Exercitatio multi temporis*, eoque diligentior, quo certius, duobus cruribus, *Ratione* nempe & *Experientiâ* Medicinam niti; & impoſſibile eſſe, καθεστηκόντι ἐν αὐτῇ σόφισμα γένεσθαι, id eſt, *in ea doctrinam firmam tradi non poſſe.* Sic μάθησις ἐμφυσιωθεῖσα, diſciplina in naturam verſa ac veluti ingenerata, feliciter & copiosè fructus ſuos proferet: & ἀπειρίη κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτέην, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ, εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος, δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη, hoc eſt, *imperitia malus theſaurus, & infelix opulentia, his qui eam poſſident, tum opinione ipsâ, tum revera tranquillitatis animi, & lætitiæ expers, timiditatis & ignorantiæ nutrix*, exſulabit.

III. *Ob-*

III. *Objectum Medicinæ practicæ* eſt corpus humanum vivens, non quidem in ſe, ſed in ordine ad finem, quatenus nempe medicabile eſt. Neceſſaria autem ejuſdem Medico cognitio, tum quoad *Res naturales*, Temperamentum nempè, Partes tam ſimilares quàm diſſimilares; Humores tam alimentales, quàm excrementitios, ſeu hi ſint prolis cauſa, ſeu ſimpliciter tales, ſeu aliquando corpori utiles; Spiritus tam inſitos, quàm influentes; facultates denique & actiones, tam naturales, quàm vitales & animales: tum quoad *Res naturalibus annexas*, ſexum nempe, ætatem, corporis colorem, ejuſdem habitudinem (undecim iſtius ſunt ſpecies, Quadratus habitus, Carnoſitas, Extenuatio, Pinguitudo, Macies, Succulentia, Marcor, Proceritas, Parvitas, Craſſitudo, & Gracilitas) & conſuetudinem. Cauſas in ſequentibus ſparſim habebis.

IV. *Finis* Medicinæ practicæ eſt *Sanitas*, quæ nihil aliud eſt quàm corporis humani, eas quæ ſecundùm naturam ſunt, actiones exercendi potentia, à partium omnium naturali conſtitutione dependens, ita ut ea non in conſtitutione eſſentiali, quæ immutabilis eſt, quàm diu homo vivit, quia anima nec lædi nec labefactari poteſt; ſed in accidentali, quæ varias mutationes ſortitur tam ratione partium ſimilarium, quàm diſ-

similarium consistat; latitudinem certam habeat; ita ut unus homo perfectiùs actiones exerceat quàm alter; & Neutri ideò dicantur, quod ab optima sanitate deflectant.

V. *Subjectum* est *Medicus*, Non *Methodicus*, qui paucis generalibus regulis contentus, experientiæ omnem derogat fidem. Nec *Empiricus*, qui soli experientiæ innititur. Nec *purus Paracelsista*, qui Theophrastum Paracelsum sequutus, omnia ferè in medicina ex sale, sulphure, & Mercurio deducit, & veterem Medicinam planè rejicit. Sed *Dogmaticus & Rationalis*, qui rationem cum experientia jungit, seu simpliciter Græcos & Arabes (de quibus Neumannum in Historia Medicorum consule) sequatur; seu Dogmaticam medicinam Spagyricæ prudenter jungat: quod plerosque nunc facere video. Lege de hisce *Sennerti de consensu & dissensu Chymicorum cum Galenicis opus*. Quid in eo præter accuratam Medicinæ notitiam requiratur, haurire tum ex *Hippocrate* de Decoro habitu, & aliis primæ sectionis scriptis, tum ex *Septalii Animadversionibus Medicis*, & *Zacuti Praxi Historiarum* poteris. Posui & ego in Epilogo præcipua.

VI. *Partes* Medicinæ Practicæ sunt duæ: *Hygieine*, de sanitate in quantum possibile est tuenda; & *Therapeutice*, de eadem collapsa instauranda.

IDEÆ

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ.

LIBER PRIMUS.

De Hygieine.

TITULUS I.

De Rebus non naturalibus in genere.

H*Ygieine eſt pars medicinæ practicæ modum ſanitatem, per rerum non naturalium adminiſtrationem tuendi, præſcribens.*

Res non naturales illas vocamus, quæ, etſi in naturalium cenſu ſint, imo neceſſario tum ad tuendam ſanitatem ſi adeſt, tum ad recuperandam ſi abeſt, requiruntur; corporis tamen viventis eſſentiam, ſive naturam non conſtituunt: quinimo corpus humanum afficiunt, illiuſque ſanitatem lædere poſſunt. Unde Salubrium & Inſalubrium titulum à quibuſdam accepere.

Præſcriptio duabus partibus abſolvitur. 1. *Prima* Res non naturales recenſet, & quomodo corpus humanum afficiant, exponit. Diæteticam communiter vocant. *Altera*, Methodum ſanitatis tuendæ, ſeu quomodo rebus non naturalibus, ne corpus humanum lædant, utendum ſit, aperit.

Rerum Non-naturalium quatuor ſunt claſſes. I. Illa quæ aſſumuntur, continet. II. Ea quæ geruntur. III. Ea quæ foris corpori adveniunt. IV. Ea quæ excernuntur, complectitur.

CAPUT I.

De Rebus Non-naturalibus, quæ assumuntur.

ARTICULUS I.

De Aere.

R*Es Non naturales quæ assumuntur, sunt Aër, Cibus, & Potus.*

Aër est res non naturalis, corpus humanum ambiens, eique se per certos meatus insinuans.

Quatuor de eo observanda. I. *Necessarium ad sanitatem esse.* II. *Corpus humanum afficere.* III. *Differentias varias habere.* IV. *Mutationibus variis obnoxium esse.*

I. *Necessarium ad sanitatem esse*, & quidem ita, ut si quis τὰς τοῦ πνεύματος εἰς τὸ σῶμα διεξόδους intercipiat, eidem exigua diei parte pereundum sit; vel ex eo patet, quòd nisi cor refrigeraretur, nisi ignis internus ventilaretur & excitaretur, nisi Spiritus regenerarentur, homo actiones suas exercere non posset. Aër verò ideò in pulmonibus attrahitur, ut Cor contemperet: idem calorem internum motu suo tanquam flabello ventilat, ut non modò tepescat, sed & excitetur: idem denique ab asperis arteriis extrinsecus attractus, in pulmonis carne primum, mox in corde & arteriis, iis maximè, quæ in plexu sunt reteformi, ultimò ac perfectissimè in cerebri ventriculis, confectus, Spiritus suâ substantiâ generat.

II. *Corpus humanum afficit dupliciter.* I. Quatenus ipsum seu nudum seu vestitum ambit. II. Quatenus eidem se insinuat, seu per inspirationem, quæ fit vel ore, κατ' εἰσπνοὴν καὶ ἐκπνοήν: vel Arteriis, κατὰ διαστολὴν καὶ συστολήν: seu per transpirationem, quæ fit per cutem universam, quæ tenuissimis cribri instar meatibus, quos πόρους Græci vocant, pertusa est.

III. *Differentias, à Quantitate, Qualitate, &*

Sub-

Subſtantia ſortitur. I. *Ratione Quantitatis* eſt *copioſus*, *paucus*, *plenus*, quem Hippocrates de flatibus, ἀθροώτερον vocat. II. *Ratione Qualitatis eſt* 1. *Calidus*, qui bilem auget, humores liquat, coctionem imminuit, & diſſipato calore nativo vitam breviorem efficit. 2. *Frigidus*, qui cutis meatus occludendo ac perſpirationem impediendo, febres putridas; comprimendo, deſtillationes excitat, & quæ in ventre ſunt obdurat. 3. *Humidior*, qui pituitam & cruditates multas congerit. 4. *Siccior*, qui quidem humores ſupervacuos abſumit, ſed febres acutas ob humorum acrium proventum parit, & cutem deſiccat. 5. *Vitioſus*, qui vel nimis in primis qualitatibus excedit, vel vaporibus è ſtagnis vel paludibus elatis inquinatur, vel flatibus ventorum agitari nequit. 6. *Optimus*, qui in qualitatibus primis temperatus eſt, purus, nullis inquinamentis obnoxius, ſerenus, à ventis ſuaviter ſpirantibus agitatus, quique pluviis ſalubribus interdum irrigatur. III. *Ratione Subſtantiæ*. 1. *Craſſus*, qui viſionis adſpectum plerumque intercipit, ne aut ſtellas minutiores cernere poſſimus, aut niſi infuſcatas. 2. *Turbidus*, qui partes craſſiores multas humore ſuo conſtantes ventis turbulentis inter ſerenum agitatas habet. 3. *Tenuis*, qui huic eſt contrarius, limpidus, ſerenus, liber & perflatus. 4. *Putris*, ſeu à ſe putreſcat, dum non ventilatur, ut qui montibus excelſis undique velut concluſus teneatur; ſeu aliunde, puta à cœlo, ſideribus, ventis ex locis infectis ſpirantibus, tetro vapore, *&c.* 5. *Sincerus*, qui ſub conſtitutionibus benignis conſtituitur, ventis ſalubribus agitatur, nec rerum putridarum vaporibus inquinatur.

IV. *Mutationes*, quas Galenus εἰς κατὰ τὴν κρᾶσιν ἀλλοιώσεις vocat, à decem potiſſimum rebus Aër accipit.

I. *Ab Aſtris*. Nam & planetis & ſtellis fixis ma-

gnæ ſunt in hæc inferiora vires. *De illis* apud Porphyrium in paraphraſi librorum Ptolemæi de ſtellarum effectionibus, cap. 4. legere eſt, plenilunio pleraſque mulieres concipere, Hippocrates ſcribit. *De his* vel ex ſola Canicula, Plejadibus, & Arcturo, videre eſt. Ex ortu Caniculæ æſtuant maria, fluctuant in cellis vina, canes in rabiem aguntur, *&c.* Plejadum occaſu tempeſtates ventique aquilonii inſurgunt. Arcturo emergente, procelloſæ grandines.

II. *Ab Anni temporibus*, tam *majoribus*, quæ à Medicis, quod maximarum mutationum ex ortu & occaſu ſtellarum primæ magnitudinis in iis rationem habeant, ſeptenario numero includuntur; vulgò ad Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem rediguntur: quàm *minoribus Menſibus*, nempe, *Septimanis* & *Diebus*. *Ver* enim eſt calidum & humidum. *Æſtas* calida & ſicca. *Autumnus* frigidus & ſiccus. *Hyems* frigida & humida. *Menſium* qualitates ex ſigno Zodiaci in ipſis dominantis ſumi debent. *Septimanarum* ex quadris Lunæ deducuntur; quarum prima humida eſt, ſecunda calida, tertia ſicca, quarta frigida. *Dierum* à partibus, quarum *matutina* vernalis quodammodo eſt, *meridiana* æſtiva, *veſpertina* autumnalis, *nocturna* hyemalis: in quo tamen parum momenti conſtituitur.

III. *A Ventis*, tam *communibus*, quorum alii ſunt Anniverſarii, ut Chelidoniæ, Eteſiæ prodromi; alii Regionales, ſeu illi Terreſtres, ſeu Marini: quàm *propriis*, qualis eſt Chenerona illis, qui Phaſin accolunt, Attabulus Apulis, Garbas Siculis, Japix Calabris, *&c.* *Et hic nota.* I. Ventos omnes ſua natura humectare & refrigerare. II. Propter ſitum & conditionem locorum, per quæ ſpirant, aliam atque aliam temperiem induere. III. *Ex Septentrionalibus*, cum vehementer ſpirant, Boream eſſe vehementiſſimum. Dimidiatos ipſi eſſe proxi-

mos.

mos. Ex collateralibus ſubſolano boream tepidiorem & humidiorem. Favonio boream nebuloſiorem. IV. *Ex Orientalibus*, qui moderatè caleſiunt & ſiccant, cum à terra ſpirant; humectant, cum à mari. *Eurus*, qui ab Ortu brumali ſpirat, de natura Auſtri aliquid accipit. *Cæcias*, qui ab ortu æſtivo, borealium aliquid retinet, & nubium coactor dicitur. *Subſolano*, qui ab ortu æquinoctiali, id quod in genere diximus, convenit. V. *Occidentales* moderatè ſunt frigidi & humidi. In Vaſconia tam noxii, ut rarò ſine incolarum pavore ingruant. VI. *Meridionales* ſunt aquoſi, nimboſi, & morboſiſſimi. Phœnix tamen minus quam Libonotus, quia ad Subſolanum accidit. Vide de eis egregiè agentem *Verulamium*, & *Federicum Bonaventuram*.

IV. *Ab aliis Meteoris*. Ignem enim, ſi ſunt pura, ut faces ardentes, ſagittæ, dracones volantes; quia ἀναθυμίασιν θερμὴν καὶ ξηρὰν pro materia habent, immoderatos aëris caliditates & ſiccitates, ne de peſtilenti corruptela dicam, inferunt: ſi impura, ut Cometæ, tonitrua, fulmina, ſiccitates, peſtes, ſterilitates, diluvia, æſtus, &c. cauſantur. Aëria quid poſſint, ſuperius dictum; ſufficiat addidiſſe, ſolere poſt magnos terræmotus peſtilentiam fieri: de quo vide Senecam l. 6. II. Q. c. 27. & 28. Ex Aqueis, Pluvia ſi continua, ſæpè putredinem aëris infert. Ros frequentior vermiculos noxios generat. Pruina gemmas vitium & calamos ariſtarum nigro colore inficit. Nix aërem turbidum reddit. Conſule de iis *Fromondum* & *Keckermannum*.

V. *A Zonis*, quarum ideò una *Torrida*, altera *frigida*, tertia *Temperata* vocatur. Torridæ regiones propter æſtum incultas credidere veteres: nos commodiſſimè, propter noctium & dierum æqualitatem, imbrium aſſiduitatem, locorum vallibus & montibus diſtinctum ſitum, Oceani viciniam, ventorum tam

ſtatis quam extraordinariis temporibus leviter flantium auram, habitari novimus. Frigidæ ſtatum Hollandi didicere, cum per Oceanum glacialem tranſitum in Cathaiam quærerent.

VI. *A Climatibus*, quæ nihil aliud ſunt, quàm ſpacia globi terreni inter duos parallelos verſus eundum polum ab Æquatore diſtantes regiones ab invicem diſterminans ſemihora diei, quamvis id in illis quæ magis ad polum accedunt, non obtineat: quorum ſeptimum quod per Venetias & Mediolanum inter duodecimum & decimum quartum parallelum decurrit, temperatiſſimum putatur, non quod nulli exceſſui vel mutationi ſit obnoxium, ſed quod viciſſitudines non omninò excedentes, ſi ad tempeſtates extremarum regionum comparaveris, admittat. Habenda tamen eſt propter generalem locorum poſitionem, uniuſcujuſque regionis ſitus proprii ratio.

VII. *A regionibus mundi cardinalibus. Orientales* enim regiones, ſunt mediocriter temperatæ, aquas habent limpidas, odoratas, incolas λαμπροφώνους, ſanos, mulieres fecundas. *Occidentales* morboſæ ſunt, aquas habent turbidas, incolas decolores. *Meridionales* aquis ſcatent multis ſubſalſis, ſublimibus, incolas ferunt capite humido, alvi profluvio obnoxios. *Septemtrionales* aquas habent duras & frigidas, homines ſiccos, longævos, proceros. *Orientales ſunt ſalubriores Occidentalibus*, tum quòd ſol humiditates quas Oriens excitavit, dum viget, diſſolvit: tum quòd eos quos toto die ſecum verſus Occidentem rapit, non tantum non diſſolvat, ſed etiam in Occidente plures excitet, eoſdemque deſerat; tum quòd plures in Occidentali, quàm Orientali parte, quia longè plura & majora ibi ſunt maria, excitentur vapores.

VIII. *A Mundi partibus, regnis, & provinciis.* Nam vel ipſa locorum poſitione interdum fit, ut venti,

ti,qui habentur alicui loco ſalutares,alteri ſint noxii. Sic Aquilo sereniſſimus eſt Europæis, Lybicis oris nimboſus; Auſter illis noxius; Zephyrus Vaſconibus pernicioſus, Græcis & Italis gratiſſimus.

IX. *A Civitatibus & Ædibus.* Hinc Caunii aëris vitio tam luridi & pallidi erant, ut quidam mortuos ibi ambulare diceret. Sol æſtate altius incedens, domos ad meridiem verſas non intrat; hyeme verò propinquius accedens, totus per feneſtras infunditur. Ideò ædes pro diverſitate regionum aut mundi inclinationum, diverſimodè conſtituuntur.

X. *A particulari locorum conſtitutione.* Ubi obſerva I Loca *elata* aëre puro, & ab aëre ac ventris defecato gaudere, ideò incolas robuſtos, propter humidorum excrementorum carentiam, & longævos alere. II. *Declivia* & inter altos montes depreſſa, radiis ſolaribus reflexis æſtate ſuffocari, humore nimio madeſcere, & craſſis vaporibus ob Solis abſentiam pollui. III. *Plana*, ſi ſe undique decenter habent, nullam proprietatem, niſi eam quæ ex Climatum obſervatione deſumitur habent. IV. *Petroſa* & *aperta* æſtate aërem habent calidum, hyeme frigidum, & adeò ſubtilem, ut nulli ferè vapores ex petris eleventur. V. *Montoſa* & alta nivoſa ſunt, & per nives ſalubria; his liquatis, nimboſa evadunt; quod ſi montes ſunt ad Aquilonem poſiti, erunt propter reflexionem radiorum ſolarium calida; ſi ad Aquilonem, ſunt propter nives & ventos frigida. Si ad Orientem, ſunt frigida, quia ab Oriente teguntur. Craſſi aëris, tum quia montibus vicina, tum quia ventis Occidentalibus aperta: ſi ad Occidentem ſunt, quia ventis Orientalibus expoſita, ſalubria. VI. *Sylvoſa*, ſpiſſo & ſuffocato, nebuloſo & turbido aëre infeſtantur: inter arbores Nux & quercus præcipuè nocent. VII. *Fluviis vicina* nimium humectant. VIII. *Paluſtria & lacuſtria*, propter tetros vapores, morbis generandis oppor-

opportuna ſunt. I X. *Marina* ſalubria eſſe, quod ſalſedo corruptioni reſiſtat, & venti ſemper aërem perpurgant, mare hyeme & in frigida regione aërem tepidiorem, æſtate & in calida temperatiorem reddat, eſſe putantur. X. *Thermis ſcatentia*, loci aërem vitiare, non tamen ideò ut robuſta corpora, quæ calida non ſunt, lædant, quoniam à putredine procul abſunt, Cardanus reliquit. Sed vide quæſo de his, poſt Hippocratem egregiè agentem, *Renatum Moreau* ſupra ſcholam Salernitanam.

ARTICULUS II.

De Cibo.

PUNCTUM I.

De Ciborum differentiis.

Cibus eſt res non naturalis, ſubſtantiam corporis humani reſtaurans & augens.

Circa eum ſex iſta explicanda. 1. *Differentiæ variæ.* 2. *Genera.* 3. *Condimenta.* 4. *Panis ipſe.* 5. *Tempus ſumendi.*

I. *Differentiæ Ciborum* ſunt variæ. 1. *Ratione ſubſtantiæ, eſt* 1. *Durus*, qui difficulter coquitur, & facilè corrumpitur. 2. *Mollis*, qui facilè perniciem concipit. 3. *Gravis*, denſus, & craſſus, qui craſſum, fibroſum, & terrenum ſuccum cumulat. 4. *Viſcidus* & lentus, qui difficulter in venas diſtribuitur. 5. *Firmus*, qui quidem multum alimenti ſuppeditat, ſed magno caloris robore ad coctionem indiget. 5. *Infirmus*, qui quidem facilè coquitur, ſed vel paucum, vel citò diſſipabile nutrimentum ſuppeditat. 6. *Difficilis*, vel *Facilis concoctu.* 7. *Difficilis*, vel *Facilis* corrumpi. II. *Ratione Quantitatis*, eſt 1. *Nimius*, ſeu ut ad vaſorum capacitatem refertur, qui quidem totus in ſanguinem faceſſit, ſed ob nimiam humorum abundantiam periculum ſuffocationis, &c. minatur; ſeu

ſeu ad vires ſeu naturam nos gubernantem, qui cruditates multas parit. 2. *Paucus*, quando vel paucis cibis, vel ὀλιγοτρόφοις, vel ex longo intervallo aſſumtis utimur, qui ſemper vires minuit. 3. *Moderatus*, qui corporis ſubſtantiam caloremque nativum, & humorum ſymmetriam tuetur, excrementiſque modum adhibet, in quo aſſumendi modus eſt, cum nondum ſatietas cepit. III. *Ratione Qualitatum*, eſt 1. *Calidus*, qui craſſos humores attenuat, viſcidos incidit, flatus diſcutit, in temperatis bilem auget. 2. *Frigidus*, qui æſtum ſanguinis & ventriculi temperat, ſed flatus materiam ſuggerit. 3. *Humidus*, quo ſiccitas partium emendatur, alvus ſubducitur. 4. *Siccus*, qui ægrè concoquitur, firmiter alit, & ſuccum melancholicum ſuppeditat. 5. *Dulcis*, qui quidem, benè ſi compactus eſt, alit, ſed jecinoris & lienis obſtructiones efficit. 6. *Salſus*, qui putredinem arcet, ſi nimirum ſumatur, ſanguinem exurit, & pruritum excitat. 7. *Amarus*, qui tergit, & incidit. 8. *Acris*, qui obſtructa liberat, bilem auget, & acres halitus excitat. 9. *Acidus*, qui incidit, & ſi ſimpliciter talis eſt, ſuccum craſſum deorſum ſubducit; ſi ad dulcorem vergit, alvum lenit; ſi ad acerbitatem, adſtringit. 10. *Acerbus* & *Auſterus*, qui adſtringit, ſi cibis aliis præmittatur; ſi poſtremo aſſumatur, laxat. 11. *Boni vel mali ſucci*. 12. *Simplex* vel *medicamentoſus*, qui præter vim nutriendi, alterandi quoque potentiam habet. 13. *Inſalubris*, è quo pravus ſuccus generatur, & qui facilè putreſcit. 14. *Optimus*, qui facilè concoquitur, plurimum nutrit, bonum alimentum ſuppeditat, non facilè corrumpitur, aut pravam qualitatem induit, & pauca excrementa relinquit. IV. *Ratione præparationis*. 1. *Crudus*, quo hodiè Abyſſini, Scythæ, & multi alii Barbari gaudent. 2. *Aſſus*, quo ſolo Trojani belli temporibus Heroës uſi dicuntur, qui ſiccum alimentum præbet, & excrementa ſæpe moratur: quod ſi ex

ſi ex venis extractus, undique ne exhalare poſſit concludatur, noxius eſt. 3. *Toſtus*, qui nimium aduſtus eſt. 4. *Frixus*, qui in ſartagine cum humido externo paratur, & ſuavis quidem propter humidum pingue eſt; ſed quia humidum internum ſuperfluum non ita convenienter emittit, imò plus externi redundantis imbibit, coctu eſt difficilis, nidorulentus & ſanguinem exaſſans. 5. *Elixus*, qui intus quidem eſt ſiccior, propter exteriorem tamen humiditatem humectat. 6. *Suffocatus*, qui quia æqualiter coctus eſt, laudabilem, temperatum, & permeabilem ſuccum generat. 7. Eſt *conditus*, vel *Non*.

PUNCTUM II.

De Ciborum generibus.

GEnera ciborum ſumuntur 1. *Ex plantis*. 2. *Avibus*. 3. *Quadrupedibus*. 4. *Piſcibus*. 5. *Exſanguibus*.

I. PLANTÆ ſunt, *Frumenta*, *Legumina*, *Olera*, & *Fructus*.

I. *Ad Frumenta* pertinent. 1. *Triticum*, quod eſt calidum & humidum, plurimi, firmi & ſaluberrimi nutrimenti. Viſciditas, ſi qua ei ineſt, præparatione tollitur. 2. *Zea*, vulgò *Spelta*, quæ eſt naturâ tritico proxima, & nutrit plus hordeo, minus tritico; fit ex ea Alica. 3. *Secale*, quod aliis Rogga, è qua panis in pleriſque locis conficitur, calidius eſt hordeo, & plus eo nutrit, ſed difficilius quàm triticum concoquitur. 4. *Hordeum*, ex quo Ptiſana conficitur, alimentum bonum, meatus abſtergens, & facilè tranſiens, ſed tenuius, & ad vitæ longitudinem minus commodum. 5. *Avena*, quæ calefacit, & bonæ notæ alimentum præbet, alvumque ſiſtit. Paratur alibi ex ea *Avenatum*, cum lacte bubulo, caprillo, aut ſucco amygdalarum dulcium & ſaccharo. Editur tuſa, & ex jure carnium. 6. *Oryza*, quæ apud Orientis populos plerumque

rumque in panes cogitur. Temperata eſt, cum lacte cocta multum nutrit; ſed difficilius coquitur, & ſuccum craſſiorem ideò obſtruentem præbet, ſemen auget. 7. *Frumentum Saracenicum*, quod commodè labori deditos nutrit, difficulter coquitur, flatus gignit, & oculis nocet. 8. *Milium*, quod frigidum & ſiccum eſt, alvum ſiſtit, & difficulter coquitur. 9. *Panicum*, quod deterioris eſt, quàm milium naturæ. Pinſitum & evolutum furfure, pultem, quaſi inopia, non faſtidiendum præbet.

II. *Ex Leguminibus* ſunt, 1. *Fabæ*, quæ ſunt frigidæ, ſiccæ, & flatulentæ. Crudi, ſed ſimul abſterſivi nutrimenti, difficiliſque coctionis, ſenſum hebetiorem & ſomnium turbulentum reddunt. ideò ſtudioſis ſunt inimica. Lugdunenſes molâ fractas, percoctas, & delibratas, in craſſamen quoddam album reformant. 2. *Piſa*, quæ ſunt frigida, ſicca & flatulenta, inprimis viridia, nervis creduntur nocere: jus ſubſtantiâ eſt melius. 3. *Lentes*, quæ alimentum frigidum & ſiccum, difficilis coctionis, caput craſſis vaporibus replens, oculis avidis noxium, ſanguinis craſſi authorem præbent, inprimis ſi cum ſalſis carnibus edantur. 4. *Ciceres*, qui propter abſtergendi facultatem magis in uſum medicum expetuntur. Dioſcorides utentibus coloris præſtare elegantiam ſcripſit. 5. *Cicercula*, quæ medium locum inter ea cibaria, quæ boni malive ſucci ſunt, concoctu facilia & pervicacia, obtinent. 6. *Vicia*, quæ craſſum ſuccum & atra bili generandæ commodum ſuggerit, & alvum ſtringit.

III. *Sub Oleribus*, ſeu *Hortenſibus cibariis*, herbæ ſeu *folia, germina, Radices*, & *fructus*, tacebo de ſeminibus, comprehenduntur. 1. *Ex foliis & germinibus* ſunt 1. *Lactuca*, quæ omnium olerum optima, ſanguini generando plus quàm alia materiæ præbet: frigiditate ſuâ æſtum ventriculi compeſcit, ſomnum conci-

conciliat, renum calorem temperat. Sed si nimium ea vescaris, semen extinguit. Succus duarum unciarum pondere interficit. Sumitur cruda oleo, sale & aceto. 2. *Intubum*, quod vires lactucis similes habere docuit Galenus. Alibi in hybernos menses accersitur. Solent enim folia ubi adoleverint, ea velut in globum exiliore filo colligare, & fictilibus vasis cooperta servare. 3. *Brassica*, quæ frigida & sicca est, difficulter concoquitur crassum alimentum, & quod fuliginosos in caput vapores exhalat, somnos turbat, & visum hebetat, præbet. Corrigitur, si cum jure carnium sumseris. Succus acrimoniam & vim alvum exstimulandi præ se fert. Melior foliis expansis quàm capitata. Labori deditis offerri potest. His piper adjicitur. 4. *Spinachium* refrigerat & humectat, serosos humores gignit, & flatuum proventu, nisi piper Sal & butyrum admiscueris, felix est. 5. *Malva* leviusculè alit, alvi profusionem concitat, & gratiam à butyro & condimentis mutuatur. 6. Idem de *Atriplici* & *Blito* dici potest. 7. *Beta* frigida & sicca est, & diversarum partium, succus detergit, substantia sistit; Epatis tamen & lienis obstructiones tollit. Veteres eis vina piperque adjiciebant. 8. *Asparagi*, quibus turiones seu prima germina lupuli affines sunt, temperatæ sunt naturæ, alimenti parum nec id probum præbent, gustui grati sunt, appetitum excitant, detergunt, urinas movent, & renes mundant. 9. *Nasturtium*, quod condimenti loco propter calorem sumitur. Ægineta stomacho adversari, & mali succi esse addidit. Persis olim familiare in cibo. 10. *Sinapi*, quod est acris saporis calidum evidentissimè & siccum. Ideò inter condimenta reponitur, quæ crassos cibos attenuant. Musto per vindemias diluitur; unde Mustardæ nomen. II. *Ex radicibus* sunt 1. *Cepæ*, quæ parum alimenti præbent, calefaciunt, incidunt, attenuant, sanguinem accendunt, discussis

cuſſis partibus tenuioribus, ſuccum craſſum poſt ſe relinquunt, Venerem irritant, ſomnia turbulenta adferunt;& capiti, oculis, dentibus, ac gingivis in bilioſis inprimis nocent. 2. *Allium*, quod menſe Majo cum recenti butyro à multis Gallorum populis editur, & ex quo cum nucibus juglandibus ſimul in pila contritis, Alliatum parant. Nullum in crudo alimentum, in cocto pauciſſimum & pravum. inſigni caliditate & ſiccitate humores craſſos attenuat & incidit, ad toleranda frigora aquarumque pravitatem corrigendam exquiſitum eſt remedium. 3. *Porrum*, quod ferè earundem eſt virium, Bilioſos, cerebro infirmos, graviter afficit, aciem oculorum hebetat frequentius ſumtum bilem porraceam gignit. Crudum ex ſale primo cibo eſitatum ventriculum à craſſis ſuccis liberat. 3. *Raphanus*, quo cruda ſale aſperſa utimur. Obſonii potius loco eſt,utpote calida, acris. dentes atterit. Spiritum colligit, & ructum laxat, urinam movet, arenulas ex renibus pellit. Optimus putatur,qui facilè frangitur. 4. *Raphanus ſylveſtris*, eaſdem vires obtinet,& condimenti potiùs quàm alimenti vicem habet. 5. *Rapum*, quod ſatis alimenti, calidi nempe & humidi præbet,tardius,crudum præſertim coquitur,& ventrem inflat. Habetur & flaccidum. 6. *Napus*,qui plus nutrimenti ſuppeditat,minus quam Rapum craſſi & flatulenti ſucci eſt, Venerem ſtimulat. 7. *Paſtinaca ſativa*,paucum,craſſum, calidum,nec admodum probi ſucci, alimentum præbet. Urinam promovet, Venerem ſtimulat, menſes movet. 8. *Beta rubra*, quæ cum aceto ſemine carvi & radice ſylveſtris raphani condita, acetarii potius quàm cibi loco exhibetur, cum parum nutriat. III. *Ex fructibus* ſunt. 1. *Cinara*, quæ in ſecundo gradu calefacit & ſiccat,coctionis eſt difficilioris,ſucci non ſatis boni. Eſtur à quibuſdam cruda ex ſolo ſale, ab aliis ex piperis polline, & butyro cocta. ex

aceto & oleo copiofam & fœtidam urinam pellit: quidam appetentiam excitare, & dejectam reftaurare credunt. 2. *Cucurbita*, quæ alimentum præbet gelidius humidiufque, ideò citò delabitur. Corrupta in ventriculo, in malignum fuccum vertitur. Quidam eas cucumeribus innocentiores ponunt. Aliquando affæ frictæve in menfas veniunt. Gratiores quæ longiores tenuiorefque, ideò falubriores; quæ pendendo crevere, minimum feminis habent. 3. *Cucumeres*, qui funt frigidi & ficci. Galenus hominum cibis perpetuò abdicandis cenfuit. Vivunt quippe in ftomacho in pofterum diem. Commodiffimè tamen fumuntur immaturi adhuc, in acetariis conditi muria ex aceto & pipere; iifque minus noxii funt, qui ventriculum habent calidiorem. Veneti in peftilentiales morbos ab iis incidunt. 4. *Melones*, qui & guftui funt grati, & odorem aromaticum fpirant; fed quia aquosâ humiditate abundant, facilè corrumpuntur, & corrupti veneni naturam induunt, & choleram excitant. Ideò primis menfis fumi debent, ut facilius delabantur, eos cibus boni fucci, & unus vel alter hauftus boni vini excipiat. 5. *Fraga*, quæ humida funt & frigida, tenuis fucci, & facilè in ventriculo corrumpuntur. Ventriculum & epar biliofiora refrigerant, fanguinis & humorum fervorem reftringunt, fitim fedant, urinam movent, renes purgant. Optimè in prima menfa fumuntur. Eduntur interdum ex lactis cremore cum faccharo: fæpe & meliùs ex vino. 6. *Cappares*, quæ recentes valentius alunt, & alvum fubducunt. Ex aceto & oleo fumtæ, cibi appetentiam excitant, lienis & jecoris obftructiones tollunt, & pituitam in ventre contentam detergunt. IV. *Arborum* fructus funt. 1. *Poma*, ex quibus *Dulcia*, & aromatico odore fragrantia, alimenti mediocrem quantitatem præbent, & affectibus melancholicis profunt. *Acida* frigida funt, & nimis flatulenta. *Au-*

fteriora

ſteriora craſſiora ſunt, & nimis tardè per alvum deſcendunt, quamvis coctione vis corrigatur. *Aquoſa* vitioſiſſimi ſunt ſucci, nulliuſque ſaporis. 2. *Mala Cydonia,* quæ frigida & ſicca ſunt, pauci alimenti & difficilis coctionis, cruda nervis nocent. primo cibo ſumta alvum ſiſtunt: à cibo, alvum laxant, & os ventriculi claudunt. 3. *Aurantia,* quæ ſi acida, intinctus cibariis præſtant, aviditatem excitant, & faſtidium tollunt: ſi dulcia, intinctibus quidem accepta non ſunt, ſed tuſſibus & exaſperatis faucibus opitulantur. 4. *Pyra,* quæ *ſi dulcia,* humidioris & frigidioris ſunt naturæ, *Muſcatellina* ſi excipias, quæ calida, & corruptioni magis obnoxia: ſi *Auſtera* & *acerba* adſtringunt & refrigerant, ventriculo & inteſtinis noxia. Coctione emandantur. 5. *Meſpila,* quæ ſunt frigida & ſicca; mitia tantum eduntur, paucum idque concoctu difficile alimentum præſtant, vomitum ſedant, & bilioſo ventriculo conveniunt. 6. *Ficus,* quæ calidæ & humidæ ſunt, plus reliquis fructibus nutriunt, facilè è ventre deſcendunt. ſi nimium ſumantur, flatus excitant. Aridæ, quæ *Caricæ* dicuntur, ita interdum abſtergunt, ut lienteriam inferant, humores ad exteriora pellunt, ſudores movent, copioſius ſumtæ pediculos gignunt. 7. *Mala Perſica,* quæ omnia ſunt frigida & humida, parum nutriunt, & facilè corrumpuntur. recentia ante cibum ſumenda. ſiccata vel cocta pravitatem aliquomodo deponunt. 8. *Mala Armeniaca,* quæ Perſicis ſunt meliora, & ſtomacho gratiora. 9. *Pruna,* quæ omnia ſunt humida & frigida. Dulcia bilem mitigant, facilè coquuntur, & per ventrem deſcendunt. *Alba* & cerea viliſſima ſunt. Optima Damaſcena & Ungarica. *Recentia* excrementitiæ ſunt humiditatis; & ſi *cruda,* deterioris ſucci, imò ventriculi tonum laxant. *Siccata,* nutritioni magis ſunt accommoda. 10. *Ceraſa* ſi ſunt *dulcia,* ob copiam facile corrumpuntur, & lum-

bricos ac putridos febres gignunt : ſi ſunt *Acida*, refrigerant, epatis & ventriculi fervorem compeſcunt, facilè coquuntur, & per alvum deſcendunt, appetentiam excitant, nec mali ſucci ſunt. 11. *Mora*, quæ humectant, refrigerant, parum nutriunt, facilè per ventrem deſcendunt, & quia ſi retineantur, facilè corrumpuntur & putreſcunt, vacuo, & à vitioſis humoribus libero ventriculo, aſſumenda ſunt. 12. *Vvæ*, quæ ſi *dulces*, ſunt calidiores, & ſitim excitant. Si *Acidæ* vel *auſteræ*, frigidiores ; ſi *vinoſæ*, mediæ. Si *recentes*, ſunt pauci alimenti, lienem in tumorem tollunt, colicam pariunt, epar & ventriculum crudis humoribus, ſi diutius detineantur, replent. Si *Paſſæ*, auſteræ & acerbæ ventrem adſtringunt. dulces plus alimenti exhibent. dulces & auſteræ inter omnes excellunt, epati tota ſubſtantia conveniunt, & pectori proſunt. *Corinthiacæ*, quæ ſine nucleis, plus roboris ventriculo addunt. 13. *Olivæ*, quæ ſi *Halmades*, ſeu muriâ ſervatæ, ad invitandum appetitum ſunt nobiliſſimæ, & minore negocio à ventriculo perficiuntur. Adſtringentiores ſecundis menſis adhibentur, ut roborato ventriculi ore cætera per alvum pellantur. 14. *Amygdalæ*, quæ ſi *amaræ*, urinam vehementer cient, & amaritudine faſtidium pariunt : ſi *dulces*, calidæ ſunt & humidæ, copioſum & boni ſucci alimentum præbent, ideò emaciatis optimæ. Febribus bilioſis & ſtomacho calido non ita commodæ ſunt. 15. *Caſtaneæ*, quæ calidæ & ſiccæ, difficilis coctionis, boni ſi benè coquuntur, ſed difficilis diſtributu, alimenti ; ſi copioſius comedantur, flatus pariunt. 16. *Nuces juglandes*, calidæ ſunt & ſiccæ. *Recentes*, quia humidæ, commodius ſale aſperſæ eduntur. *Siccæ*, poſt piſcium eſum quorum humiditatem ſiccitate ſua temperant, ſumuntur. bilem generant, os ventriculi, gulam, & aſperam arteriam exaſperant. 17. *Nuces avellanæ*, juglandibus ſunt frigidiores, &

plus

plus alimenti præbent, difficilius coquuntur, & terrenum ſuccum generant. His *Tubera* & *fungi* adduntur, qui plerique ſunt frigidi, inſipidi, aquei & craſſi alimenti, non ſine periculo ſumuntur, tum quia mali ſucci, tum quia interdum venenata.

II. AVES quæ homini in cibum cedunt, ſunt vel *Terreſtres*, vel *Aquaticæ*: ſuppeditant *carnem*, *partes alias*, & *ova*.

I. *Carnis reſpectu ex Aquaticis*, præcipuè in cibum veniunt. 1. *Anas* tam cicur, quam ſylveſtris, quæ craſſum & melancholicum ſuccum generant, venas meſenterii & lienem infarciunt, & quartanis febribus opportunæ ſunt: illa inprimis, quæ cœno perpetuo immoratur. 2. *Anſer*, qui ſi domeſticus, excrementitii eſt ſucci, quique putredinem facilè concipit; ſed ille magis. Ex *Terreſtribus*, principem locum obtinent 1. *Gallinaceum genus*, quod carnem habet temperatam, ſucci boni, & excrementi pauci. Ubi nota. 1. Carnem corporis primas obtinere, & omnium avium laudes, quantum ad obſonia pertinent, comprehendere. 2. Gallinas eſſe ſicciores. 3. Gallorum carnem duriorem & ſicciorem, ſenum inprimis, quorum jus alvum dicit. 4. Gallum Indicum nec ſapore, nec ſucci bonitate caponibus cedere, convaleſcentibus benè apponi, hyeme, pectore, & ventre ſuaviorem eſſe. variè & ſaginari & præparari. Unde ſunt conchillati pulli, parthici, oxyzomi, laſerati, variani tracto gælati, leucozomi, Iſicii, Amilati, Oxylipari, Aſſi, Elixi, frixi, preſſi, deſtillati. 2. *Perdix*, cujus caro temperata eſt, nonnihil ad ſiccitatem declinans, facilis concoctionis, præſtantis ſucci, multi alimenti, pauci excrementi, quæque convaleſcentibus & lue venereâ laborantibus benè exhibetur. 3. *Phaſianus*, qui carnis & ſucci bonitate gallinaceos æquat. Autumno & hyeme laudatur, alis quam coxis melior. Ejus pullus ſex octove ſeptimanarum

narum æſtate eſt ſuaviſſimus. 4. *Attagen*, cujus caro ejuſdem cum priore qualitatis. Convaleſcentibus convenientiſſimus eſt cibus. 5. *Columbæ*, quarum caro eſt craſſi, melancholici, & excrementoſi ſucci, nec facilè coquitur, nec febribus putridis convenit. Meliores ſunt montani & ſylveſtres. *Turtur* modicum & tenuem ſuccum præbet, ſed ſeniores ſanguinem melancholicum creant. 6. *Turdus*, cujus caro facilè concoquitur, bonum præbet ſuccum, nutrimentumque firmum. 7. *Alauda*, quæ optimum ſuccum generat, & facilè coquitur, peculiari facultate à colica præſervare, eandemque curare creditur. 8. *Merula*, cujus caro ſuavitate, coctionis facilitate & ſucci bonitate hœdis eſt paulò inferior. 9. *Coturnix*, quæ calida & humida, difficilis coctionis, mali nutrimenti, multi excrementi, febribus generandis materiam ſuppeditans. 10. *Sturnus*, cujus eſum Galenus concedit iis, qui gracili & attenuato ſunt habitu. Apicius Diabolicam earum carnem vocat, quod viroſum odorem ob cicutam ſpiret. Uvis matureſcentibus præpingues capiuntur. 11. *Paſſer*, qui omni tempore quibuſdam gratus, ſed hyeme magis, quod æſtate propter ſalacitatem, macrior, aridior, calidiorque evadit.

II. *Partes avium* ſunt 1. *Criſtæ*, quæ ſolæ gallinaceo generi datæ ſunt. Inter cibos Galenus enumerat, quos nemo vel probarit, vel damnarit. Creduntur ad venerem tardos accendere. 2. *Alæ*, quæ ob ſuperfluam crudamque humiditatem labore diſſipatam, ſucci ſunt boni & facilis coctionis. 3. *Vropygium*, quod magis iis, quibus breviores pedes, Carnoſum eſt & præpingue, ſed ob adipis copiam interdum nauſeam movet. 4. *Cerebrum*, quod quadrupedum ſiccius & durius eſt, montanarum delicatius quam illarum, quæ circa paludes & campos degunt. Gallinaceorum, perdicum, & Phaſianorum, ſuaviſſimum.

mum. Pasſerum, & Columbarum irritat venerem. 5. *Collum*, quod claritati oculorum propter ſanguinem ibi coagulatum, officere creditur. 6. *Lingua*, quæ quo muſculoſior, eo melior. Anſerum, libidinem movere, ſcribit Bruyerinus. 7. *Cor*, quod fibroſæ & duræ ſubſtantiæ eſt, difficulter coquitur, & ægrè permeat. Sæpius ſumtum melancholicum ſanguinem generat. 8. *Pulmo*, qui ob raritatem facilè coquitur, & parùm nutrit. 9. *Ventriculus*, qui magnam partem carnoſus calloſuſque, ſuaviſſimus Anſerum. Carnoſus magis quàm calloſus Gallinarum altilium. 10. *Inteſtinum*, quod in roſtratula ſuaviſſimè editur. Alaudæ interanea, quæ dura & amara, à quibuſdam ad alvum ciendam pillularum inſtar deglutiuntur, ſed evanido ſucceſſu. 11. *Iecur*, quod propter temperamentum calidum & humidum, noſtro calori affine eſt. Anſerinum eſt περισπούδαστον καὶ πολυτελές. Ut potenter nutriret, olim eorum alimenta lacte imbuta fuere. 12. *Lien*, quia maximæ avium parti exiguus, in nullam venit rationem. 13. *Teſticuli*, qui in gallinaceis præſtantiſſimi, ſi galli cibo ſeroſo lacte imbuto enutriti fuerint. Expetuntur à delicatis tanquam incentiva libidinis. 13. *Pedes*, qui, quia exiguæ carnis, tenuiſſimè nutriunt, quia nervoſi & tendinoſi, difficulter coquuntur. 14. *Cutis*, quæ, ſi altilium & pinguium ſuavis eſt, ſed alimenti exigui, & difficilis coctionis, ſi illa quæ lumbos gallinaceorum tegit, ſuaviſſima eſt. Si colli rugoſa & adipoſa, elixa melior quàm toſta. 14. *Medulla*, quæ ſi ſpinæ, ejuſdem eſt virtutis cum cerebro, niſi quod paulò durior exſiſtat; ſi oſſium, jucundior ac pinguior eſt; ſed liberalius ſumta, nauſeam parit. 15. *Pinguedo*, quæ moderatè ſumta, ſale aſperſa, parum quidem & malè, ſed non injucundè nutrit. Appetitum, ſi vinum ſuperbibatur, aufert, quod ventriculus complanetur, rugæ auferantur, & ſenſus doloris ex ſuctu excitetur.

III. *Ova avium* ex vitello & albumine constant. *Ille* proprietate substantiæ facilè inflammatur, & in fumos abit. *Hoc*, frigidum & glutinosum, sanguinem pravum generat, & ægrè concoquitur. *Ipsa* pro ratione substantiæ, figuræ & coctionis variant. Sunt 1. *Gallinarum, Perdicum, Phasianorum, juvenum* & *pinguium*, quæ omnibus præstant. 2. *Anatum, Anserum, Pavonum*, quæ deteriora habentur. 3. *Parva* oblonga, & candida, quæ reliquis succi bonitate excellere creduntur. 4. *Pallidiora*, qualia sunt Anatum & Anserum, quæ plus aqueæ naturæ possident. 5. *Tremula*, quæ eatenus per coctionem inspissantur, ut in manu tenentis in putamine tremere videantur, plurimum alimenti & optimi succi corporibus exhibent, facillimè concoquuntur & distribuuntur, & sanguinem cordi quam maximè congruum generant. 6. *Sorbilia*, ῥοφητὰ, quæ tremulis minus nutriunt, sed facilius subducuntur, & faucium asperitates lævigant. 7. *Cocta*, Græcis ἑφθὰ, id est, coctura in temperatione densata, quæ difficulter coquuntur, tarde transeunt, & crassius alimentum præbent. 9. *Assa*, quæ quod humiditatem eorum foci caliditas depascatur, elixis sunt crassiora; & si cinere totâ obruuntur, quia densata undique à circumfuso igne extrema parte fumorum exhalatio intercipitur, pejora evadunt: si nuda prunis imponuntur, quia fumos exhalant depuranturque, meliora sunt. 10. *Elixa*, quæ quia aquæ humiditas ne foci caliditate exsiccentur, obsistit, assis præstantiora sunt. 11. *Frixa*, quæ dum in ventriculo coquuntur, in nidorem abeunt, & alios cibos corrumpunt, crassumque succum reddunt. 12. *Suffocata* seu πνικτὰ, quæ Galenus parare docet, elixis & assis sunt meliora, si in meliorem consistentiam redacta fuerint.

III. *Tertium Ciborum genus* sunt QUADRUPEDES, quæ subministrant cibando homini. 1. *Carnem*

nem musculosam. 2. *Caput.* 3. *Pectus.* 4. *Abdomen.* 5. *Extrema*, & 6. *Ea, quæ ab iisdem sumuntur, sed partes non sunt.*

I. *Caro musculosa*, frequentissimè cibi loco sumitur, & calidior est vivifico calore volatilibus, ideò animalia ter majora hisce evadunt. Est 1. *Bubula*, quæ si Novellorum, quoniam nondum laboribus fracti, utilior habebitur, sed rarò apponitur; si vetulorum, est crassa, difficilis coctionis, & venas non facilè pervadens, lentoris tamen & viscidítatis expers est. Alimentum præbet dissipatum, difficile, & sanguinem crassiorem producit. Hippocrates Choleram siccam inducere scripsit. 2. *Vaccina*, quæ est crassi, & atrabiliarii succi. 3. *Vitulina*, quæ est temperata, boni succi, concoctu facilis. Crassiorem tamen paullò succum quàm hœdina, aquina & vervecina præbet. 4. *Suilla*, quæ pro ratione ætatis variat. Δελφάκων seu lactentium est humidior, succi minimè boni & facilè putrescibilis, ideò ei vinum superbibendum. *Adolescentum* est melior, & benè nutrit. *Iuvenum*, inprimis si Majales, cæteris præstat. potentissimè nutrit, & firmum alimentum præbet, hominibus ætate florentibus, & qui magnis laboribus exercentur, commodissima. *Decrepitorum*, qui χοῖροι, est dura, insipida, melancholicorum morborum parens, vino diluenda. *Aprugna*, tum quod nec ita excrementitia sit, neque viscosum siccorum progeneret, domestica præstantior est. Non alio ex animali post interitum numerosior Materia ganeæ, quinquaginta ferè sapores, cum cæteris singuli. 5. *Ovilla*, quæ est nimium sapore ingrato, & rusticis conveniens: Graviter olet, si post Solstitium elixetur; gravius, si assetur. 6. *Agnina*, quæ ante annum completum, est humida, mucosa, post annum, boni, copiosi, & mediocriter constantis succi, facileque coquitur in iis, qui laboribus exer-

centur, facilè diſcutitur. 7. *Vervecina*, quæ facilè coquitur, & bonæ notæ ſanguinem generat, ſi juniorum eſt. 8. *Capreoli*, quæ nutrimenti boni, & reliquorum Sylveſtrium carne, coctionis facilitate, & excrementorum paucitate præſtantiores, ſicciorum tamen eſt. 9. *Hœdina*, quæ temperata facilè digeritur, & bonos, ſed magis quàm vitulina viſcoſos generat humores. Fatua eſt, & niſi aſſetur, inſipida. 10. *Cervina*, quæ ſicca, difficilis coctionis, ſuccum melancholicum generat, ſi adultioris eſt, & facilè viſcera obſtruit. 11. *Leporina*, quæ melancholicum ſuccum præbet: ſed ſi probè coquatur, non mali ſucci eſt; floridumque faciei colorem conciliare creditur.

II. *Capita quadrupedum* edulia ſunt, *Bovinum*, *Vitulinum*, *Suillum*, *Aprugnum*, *Hœdinum*, *Leporinum*, &c. de quibus in genere hoc dici poteſt, coctionis eſſe difficilis, craſſi viſcoſique ſucci, multum tamen nutrientis. *Partes ipſorum* potiores ſunt. 1. *Lingua*, quæ carne ſui generis, laxâ nempè, fungosâ, humidâ & glutinosâ conſtat: ideò minimè ſolidum, denſum, aut diu perſiſtens alimentum præbet; nonnullis tamen ſuaviſſima ineſt, mollis, probi ſucci, facilis coctionis, & alimenti non pœnitendi. Pars ea quæ exſeritur, durior eſt. 2. *Oculi*, qui deſpiciuntur, vitulinos ſi excipias, qui multa pinguedine, mollique carne obſepti ſunt, & tenerioribus membranis involvuntur. 3. *Aures*, quæ quia Cartilagineæ, parcè nutriunt, niſi cum vicinis partibus ingerantur. 4. *Genæ*, quæ ſi ſunt quadrupedum juniorum pinguium & carnoſorum, bonitate ſucci non deſtituuntur. Vitulinæ ſunt tenerrimæ. 5. *Cerebrum*, quod pituitoſum eſt, craſſi ſucci, tardè permeantis, & ad coquendum difficilis. Nauſeam excitat, & vomitum movet. Varignana venenis conferre dixit, fortè propter viſciditatem, qua ventriculi

culi parietes oblinuntur. 6. *Palatum*, quod in bove laudatur. Membranosâ quadam carne obductum est, & frequentissimè minutalibus additur. 7. *Rostrum*, quod Galenus in porco pedibus postponit, auribus anteponit.

III. *In Pectore Cor* & *Pulmo* locum suum sortita sunt. 1. *Cor* coctu difficile esse, superius diximus. Suillum augere mœrorem, in illis scilicet, qui jam aliquo affectu melancholico tentantur, Salernitanis placet. 2. *Pulmo* frigidi & humidi est temperamenti, pituitosi succi, facilis ob raritatem, & levitatem coctionis ac distributionis: quidam inflare ventrem dicunt.

IV. *Abdominis partes* sunt, *Iecur*, *Lien*, *Renes*, *Testes*, *Vulva*, *Ventriculus*, *Intestina*, *Mesenterium*, *Ilia*, *Sumen*. 1. *Iecur*, omnium animalium crassi est succi, ad coquendum difficile, & tardè permeans. Suillum reliquis præfertur, inprimis συκωτὸν. Agnorum, hœdorumque facilius permeat, & minus crassi succi est. Caprillum epilepticas convulsiones afferre dicitur, non minus quam hircinum. Aprugnum ἐντετυλιγμένον, seu Epiploo obvolutum, laudatur. 2. *Lien*, quia sanguinem crassum, lutulentum, & melancholicum attrahit, tale quoque nutrimentum præbet. Pubentes, quales porcorum, quia sanguine minus pravo tinguntur, non ita mali sunt succi. 3. *Renes* sunt pravi succi, ingrati saporis, difficilis concoctionis: hœdini & vitulini, quod neque duri sint, neque virosi laudantur. 4. *Testiculi*, quia virosum, quid in animalibus maximè coitum expertis sapiunt, duri sunt & concoctu difficiles. Suum tamen præferuntur, nec agnini omninò improbantur. 5. *Vulva* veteribus ἥδιστον κρέας, suavissimum edulium, metropolis quoque & mater filiorum Hippocratis, (Lurconem quendam Atheniensem puta) fuit, & in duplicem, Ejectitiam nempe,

pe, ſeu prægnantem, & porcariam ſeu virgineam, quæ ἐκτόμις, dividebatur. Succum quia gignit, frigidum & crudum, ideò difficulter concoquitur. 6. *Ventriculus*, quale nutrimentum præbeat, facilè ex ejus conſtitutione colligi poteſt. 7. *Inteſtina gracilia*, quæ Græci χορδὰς, Latini *lactes* appellant, eſu ſuaviſſima fuiſſe, Epicharmus in Megaride teſtatur: craſſa, quæ φύσκας nuncupabant, non minus in deliciis fuere. 8. *Meſenterium*, vituli inprimis lactentis & obeſi, ſuaviſſime cum tantillo aceti editur. 9. De *Ilibus* nihil ferè occurrit. 10. *Sumen*, ὖθαρ Græcis, Latinis uber, ſpectile ſeu ſpetile, inter lautiores cibos computatum fuiſſe, ex Plauti Pſeudolo colligi poteſt.

V. *Extrema*, Græci ἀκροκώλια vocant, quo vocabulo in macellis & culinis extremi pedes mactatarum victimarum veniunt. Pedes verò quadrupedum inter μυξώδεις habenteſq; aliquid ὕλκιμον καὶ γλίσχρον, Ariſtoteles retulit. Mneſitheus Athenienſis hos & caput οὐ πολὺ τὸ τρόφιμον καὶ λιπαρὸν habere ſcripſit. Alii Veneris victimam vocavere. Huc refero *Glandia* & *Callum*. *Glandium* eſt corpus glandinoſum, molle, ſpongioſum, & album, quod thymum vocant. Commendatur à Plauto in Curculione. Vitulinum eſt ſuaviſſimum. Callus & callum, caro erat ſuillâ pinguior, & mirum in modum denſata, ut callum obduxiſſe videatur. Fuit inter lautitias veterum.

VI. Quod à Quadrupedibus ſumitur, & pars non eſt, eſt *Lac*; quod partes quoque ex quibus conſtat, *Serum, Butyrum, Caſeum* largitur. 1. *Lac* multiplex eſt. 1. *Crudum*, quod recentiſſime mulſum ſumi debet, ne flatus excitet. Recens enixorum animalium non probatur. Corrigitur ſalis vel ſacchari modico. 2. *Coctum*, quod quidem minus flatulentum, ſed quia ſerum coctione abſumitur, craſ-

crassius evadit, & venas obstruere aptum est. 3. *Caseosum*, quod plurimas casei partes obtinet. Multum nutrit, sed minus salubre est. 4. *Butyrosum*, quod viscosius paullò est, difficilius distribuitur, inflationesque generat. 5. *Serosum*, quod minimum nutrit, sed confestim alvo secedit. Nihil de Melca, aphrogala, argyrotophemate, pyrasto, σχιστῷ, colostro, & oxygalo dicam. 6. *Animalium macilentorum*, quod parum alit. 7. *Animalium obesorum*, quod periculum convulsionis afferre dicitur. 8. *Animalium nigrorum*, quod melius candidorum lacte. 9. *Post partum emulctum*, quod liquidissimum ac tenuissimum, spissatur temporis progressu. 10. *Optimum*, quod tepidum, æqualis substantiæ, admotum ungui statim non diffluens, levius quàm gravius, minimè viscosum, sed dulce, inodorum, album, & aliquo pacto splendens, ac denique à sano animali, & in benè valentibus benéque constitutis mammis elaboratum. 11. *Humanum*, quod quàm proximè ad optimum accedit. 12. *Bubalum*, quod muliebri crassius est, pinguius, & magis nutriens. facilè obstruit, & ægrè in ventriculo coquitur. 13. *Ovillum*, quod bubulo inferius est, & magis obstruit. 14. *Caprillum*, quod supradictis paullò calidius, substantiæ tenuioris, & paucioris nutrimenti, magis alvo secedit. 15. *Equinum*, cui, ob multi serosi tenuitatem & caliditatem, eximia detergendi facultas. 16. *Asininum*, quod reliquis frigidius, tenuius, & serosius, minus nutriens, & minus obstruens, maximè absque acrimonia & mordacitate tergit, & subducit. II. *Serum*, quoad substantiam aqueam & phlegmaticam refrigerat & humectat; quoad acrem salsam & biliosam, detergit. III. *Butyrum* pectus & pulmones juvat, sputum educit, & ad frigidas aridasque tusses confert: abundè sumtum ventrem lubricat, facultateque digerendi, discutien-

cutiendi, coquendi, & leviter educendi pollet. Vetuſtam acrimoniam contrahit. IV. *Caſei aliquot ſunt differentiæ.* 1. Eſt *Recentior & mollis*, qui durato & recentiori præfertur: quippe magis alit, & ocyus ſubit. 2. *Rarus & laxus*, qui denſitate utilior. 3. *Immodicè lenteſcens*, & ariditate friabilis, qui culpatur. 4. *Ovillus*, qui faciliùs reliquis coquitur, & melius alimentum præbet. 5. *Vaccinus*, qui ovillo bonitate proximus. 6. *Caprinus*, qui utroque deterior, calidior certè eſt & tenuior. 7. *Optimus*, qui nec eſt ocellatus & foraminulentus, nec ſale nimio adſperſus, nec capillis intrinſecus ſordidus, nec liquorem ſtillans, nec vetuſtus, nec durior, neque denique fœtidus. Vide de his *Geſnerum de Lacte & operibus lactariis*, *& Nardium in Lactis phyſica analyſi*. IV. *Quartum Ciborum genus*, ſed quadrupedibus deterius, ſunt PISCES, quorum Qualitates, per Differentias & partes, *Carnem* nempe & *reliqua membra*, optimè explicabuntur.

I. *Differentiæ* ſumuntur I. *A Loco*, ratione cujus, alii ſunt Lacuſtres tam τελματιαῖοι, quàm λιμναῖοι, alii Fluviatiles; alii Marini, tam ſaxatiles quàm pelagii & litorales; alii Foſſiles, alii Αμφίβιοι, de quibus omnibus ſequentia notentur. 1. *Paluſtres*, quia cœnoſi, & minus exercentur, excrementis ſcatere. 2. *Lacuſtres*, qui lacus ingentes, fontibus & fluminibus irriguos incolunt, meliores eſſe. 3. *Fluviatiles*, qui in turbidis & magnarum urbium ſordes excipientibus fluminibus verſantur, ſtomacho adverſari, craſſioris ſubſtantiæ eſſe, & difficulter excerni; qui in aquis perpetuò limpidis, lacuſtribus præferri. 4. *Marini*, qui in mari ventis agitato, & ad boream ſpectante vivunt, propter exercitationem & venti puritatem, carnem habent optimam. 5. *Pelagii*, qui in imo maris degunt, dura ſunt carne, difficulter coquuntur, ſed copioſum corpori alimen-

mentum ſubminiſtrant. 6. *Litorales*, quia eluvie maris cibantur, improbari poſſunt: & quia à ſole illuſtrata loca incolunt, & jugi exercitatione, quicquid excrementitium ex pabulo colligitur, diſſipatur, pelagiis anteponendi ſunt. 7. *Saxatiles*, ἀτρεμίζοντες, qui nec locum, nec cibum mutant, ſunt εὔφθαρτοι, εὔχυλοι, σμηκτικοὶ, κοῦφοὶ, ὀλιγοτρόφοι, concoctu faciles (nonnulli veterum Chyloſin per putrefactionem fieri putarunt) boni ſucci, abſtergentes, leves & parùm nutrientes: qui πλανῆται *errones* vocantur, propter motum aſſiduum & fluctuum verbera, carnem duriorem acquirunt. 8. *Foſſiles* duram nec jucundam carnem habent, tam pravos & exitiales aliquando fuiſſe, ut omnes, qui illos ederant, perierint, Seneca author eſt. 9. Ἀμφίβιοι, qui partim in terra partim in aquis degunt, propter cibi & motus varietatem ad facultatis tutelam vix probantur. 10. Piſces ejuſdem generis & ſpeciei differentiam bonitatis & malitiæ, pro ſalubritate & inſalubritate loci, in quo vivunt, obtinent. Meliores nonnulli in Oceano, quàm mediterraneo; & contra. II. *A ſubſtantia*, ratione cujus piſces ſunt, 1. *Carnis duræ*, qui improbantur, maximè ſi eadem lenta quoque fuerit. 2. *Mollis*, quæ præſtantiſſimi, ſi teneram ſimul & friabilem obtinere. 3. *Mediæ naturæ*, qui friabilem carnem habent, ſed non mollem; quales ſunt Mulli. III. *Ratione Ætatis*, cujus reſpectu nota, 1. *Parvos*, ſi duriore ſunt carne, improbari; ſed & molliores, quod mucoſam habeant, rejici. 2. *Senes*, multum carnis per ætatem amittere. 3. *Mediam ætatem*, quod nec mucoſa ſit, nec ſucco deſtituatur, probari. IV. *Ratione Cibi*, ratione cujus 1. *Sarcophagi*, duriore, ſiccioreque ſunt carne. 2. *Qui muco veſcuntur*, glutinoſæ ſunt ſubſtantiæ. 3. *Qui radices & herbas depaſcuntur*, friabili mollique carne præditi ſunt, &c. Sed de his vide nos in libris de Piſcibus.

II. Ex

II. Ex *Partibus piſcium*, quæ in cibos veniunt, præcipua eſt *caro*. Ratione hujus itaque, 1. *Aſellus* etſi recens friabilis, tener, loci ſucci, & facilis coctionis ſit; tamen exſiccatus, craſſum & difficilis coctionis alimentum, & quod non niſi à valentiore ventriculo vinci poteſt, ſuppeditat. 2. *Solea*, *Paſſer* & *Rhombus*, recentes, candidum & bonum ac copioſum nutrimentum ſuppeditantem, quodque non facile corrumpitur, habent. Siccati duriores ſunt. 3. *Salmonis* caro tenera eſt, palato gratiſſima, facilè coquitur, & bonum ſuccum præbet, recentem intelligo. 4. *Trocta* inter piſces, qui in dulcibus aquis progignuntur, ſunt optimi, facilis coctionis, multi, boni, ac tenuis ſucci: majores pinguedine & viſciditate improbantur. Palmam referunt, quæ carnem rubram, & plures maculas rubras habent. 5. *Funduli*, ſunt ſalubris alimenti, boni ſaporis, concoctu faciles, nec diu in ſtomacho morantur. 6. *Gobitides* fundulis ſunt affines. 7. *Lucius minor* inprimis carnem habet friabilem, haud difficulter concoquitur, & facilè diſtribuitur: ſecundum alios eſt duræ carnis. Fluviatilis lacuſtri potior eſt. 8. *Perca* marina, eſt ſecundum Diphilum tenera, minimè viroſa, coctu facilis; fluviatilis, friabilem quidem carnem non habet, haud tamen difficulter coquitur, nec mali ſucci eſt; alii imbecillum alimentum, & quod facilè diſſipetur, præbere ajunt. 9. *Cyprinus* ſeu *Carpa*, carnes humidiores, aqueo potius, quàm tenaci humore dilutas poſſidet, ſuccumque non parvum excrementitium habet. Laudatur maximè qui in rapidis & puris aquis vivit. Non debet variis cibis miſceri. 10. *Barbis* caro candidiſſima eſt, facilis coctionis & diſtributionis, alimentique & ſucci non mali. 11. *Lampetra* glutinoſa eſt: ſed ſi benè condiatur, gratum & ſapidum alimentum præbet. In vino quidam ſuffocari volunt eam.

12. *An-*

12. *Anguilla* carnem habet mollem & dulcem, ſed glutinoſam, pinguedine & humiditate multâ ſcatentem: quidam quippiam intus anguillæ ineſſe dicunt, quod non exemtum, viſceribus peſtem adferat. Inflammationem pulmonis inferre certum. Veteres tamen tanti habuere, ut cœnarum Helenam appellarent. 13. *Tincam*, Auſonius vulgi ſolatium dixit. Tantæ creditur pravitatis, ut ejus eſus febres inducat. 14. *Halec* carnem habet albam & friabilem, boni ſaporis, non difficilis coctionis, ſucci boni. Salitus vel fumo induratus, à ſeipſo degenerat. 15. *Acipenſeri*, ſeu ſturioni caro eſt dura, pinguis glutinoſa. Non malum præbet ſuccum, niſi quid difficulter coquatur: juniores ſunt gratiores, & multum alimenti præbent.

III. *Reliqua Piſcium membra* ſunt. 1. *Caput*, quod in quibuſdam edule eſt. Mullus olim non niſi propter caput & jecur emebatur. Hodiè Salmonis, Umbrinæ, & Carpionis in deliciis eſt. Carnium Lupi piſcis tres olim lautiſſima. 2. *Lingua*, quæ in Delphino tenera & pinguis; in Cyprino ſi aſſetur prædulcis, & Venerem exſtimulat. 3. *Oculi*, qui in Salmone ſunt teneri & adipoſi. 4. *Barbæ*, quas plenis fabatariis, & diſcis Heliogabalus pro Naſturtiis, Apiaſtris, & fœnograeco exhibuit. 5. *Clidium*, ſeu ea pars, quæ pectus à cervice diſterminat. Utraque pars ſalita *Omotarichum* dicitur, & ori gratum, ægreque vitiari Xenocrates prodidit. 6. *Hepar*, quod in Aſellis cæterorum piſcium jecinoribus anteponitur. Siluri adeò dulce eſt, ut nauſeam pariat. Lupi aſſatum & ſucco mali aurantii conditum, hepati anſerino non cedit. In Muſtelarum fluviatilium jecinora, reditus principatus aliquando inſumti ſunt. 7. *Latera*, quæ in Acipenſere & Muræna laudantur. 8. *Viſcera*, ſine quibus Scarus eſt inſipidus, quæque in Delphino ſapore & violæ odore dele-

ctant. 9. *Venter*, qui in Husone carnem porcinam sapore refert. Ex Thynnorum ventre, circumciso abdomine umbilicos enucleando, & sale, aceto, & fœniculo inclusos cadulis condiendo, quidam obsonii genus commentus est. 10. *Lactes*, qui in Lucio, Husone, & Muraenis commendantur. 11. *Abdomen*, quod in Thynnis pinguius & sapidius Hicesius prodidit. 12. *Intestina*, quae in Salmone, Asello, Congro, & Lucio laudantur. 13. *Ilia*, quae in Rhombis Horatius l. 2. s. 8. depraedicat. 14. *Lumbi*, quorum in Sphyraena seu Sudi Antiphanes inter lautissima obsonia meminit. 15. *Cauda*, quae in Lucio, Thynno exposcitur. Vulgari proverbio, Cyprini caput, Scordulae pars media, Lucii cauda à cupediarum peritis petitur. 16. *Cutis*, quae in Tinca à mulieribus Gallicanis carni longè praefertur. 17. *Ova*, quae ex Percis craticulâ tosta; ex Cyprinis elixa, & frixa; ex Lupo, Salmone, Husone, Marde condita; πέρκα expetebantur. *Barborum* intolerabilia tormina excitant, Luciorum ventrem distendunt. Et tantum de Piscibus.

IV. Inter EXSANGUIA, *Ostreas* duntaxat, *Cochleas* & *Cancros* reponam. I. *Ostreae* salso, quem prae se ferunt succo ventrem ad dejectionem irritant, appetitum excitant, Venerem stimulant, minùs nutriunt, & aliquid difficultatis in ventriculo pariunt. II. *Cochleae terrestres* seu Limaces, carnis sunt durae, & contumaces concoqui: at si perficiantur, perplenè nutriunt, si crebrius mensis adhibeantur. Crassum & atrum sanguinem gignunt. Quod hecticis prodesse dicuntur, in carnium jure est, & in parte saltem posteriore, quàm Aristoteles μήκωνα, hoc est, papaver nominat. Inest huic aliquid glutinosum, caseosae substantiae paullò magis duratae simile, facilè dissolubile, dentibus statim cedens, tenerum, quod non difficulter coquitur, & valdè nutrit.

trit. Laudantur minus albæ, & quæ in vinetis & fructicetis inveniuntur. III. *Cancri* qui cauda carent, & gammari ac Aſtaci, qui caudam habent, qui noſtris regionibus familiares ſunt, non multum inter ſe differunt. Difficilis ſunt coctionis; victi, validè nutriunt, ſed craſſum ſuccum gignunt. De *Reptilibus* & aliis, quæ apud quaſdam gentes in uſu, tacemus.

PUNCTUM III.

De Condimentis, Pane, & Cibi ſumendi tempore.

T*Ertium quòd circa cibos explicandum venit, ſunt* CONDIMENTA, ἡδύσματα, καὶ ἀρτύματα, quorum & Differentia & Materia ſeu Genera enarranda ſunt. I. *Differentia Condimentorum* quod attinet, ſunt illa, vel 1. *Simplicia*, quæ ex unius rei admiſtione exſurgunt: vel *Compoſita*, quæ ex duabus aut pluribus. *Illa* ſunt Calefacientia, frigefacientia, Temperata, Acria, quæ Aromatica, Amara, Salſa, Acerba, Acida, Dulcia, Pinguia. Hæc fortè plura. *Intinctus*, nempe, *Embammata*, *Saccharata*, *Salviata*, *Alliata*, *Cepata*, *Oxypora*, *Acetaria*: ut taceam, *Tyrotarichos*, *Tuceta*, *Tomacula*, *Succidia*, *Capniſtas*, *carnes*, *jura atra*, *pulmenta*, *vitulos*, *porcelloſque Trajanos*, *pernas*, *minutalia*, *ventres faliſcos*, *apexabones*, & alia νογαλεύματα, de quibus conſulantur Apicius & Athenæus.

II. *Materia Condimentorum*, ſunt *Foſſilia*, *Plantæ* ipſæ, *Plantarum ſucci*, *& Mel*. *Ex Foſſilibus* eſt *Sal*, qui viſcoſa cibaria attenuat, inſipidis ſaporem conciliat, humida exſiccat, graveolentiam fœtidorum tollit. Optimus eſt candidus, pellucidus, cryſtalli inſtar, denſus, inodorus, quique æqualem & cum quadam ſuavitate acrimoniam obtinet. Dicitur ſi Mauris fides eſt, oculos hebetare, genituram abſumere, & ſcabiem excitare. II. *Ex Plantis eſt*.

1. *Piper*, nigrum inprimis, quod concoctionem præclarè adjuvat, & naturis pituitosis mirè confert. Optimum gravissimum, plenum, nigrum, sine rugis. 2. *Zingiber*, cujus calor diutius quàm piperis perdurare creditur, stomachi cruditates compescit, & Venerem excitat. 3. *Cariophylli*, quibus bubulæ linguæ, vaccarum ubera, *&c.* transfiguntur. Calefaciunt cum quadam adstrictione, & graveolentiam animæ infringunt. 4. *Cinnamomum*, quo jüscula cerevisiaria frigida, & aquarum vitia castigantur. Calefacit ventriculum cum adstrictione quadam. 5. *Cardamomum*, quod gustatu est acre & amarum. 6. *Nux myristica*, quæ ad hos pariter usus, ut superiora usurpatur. 7. *Crocus*, qui ciborum coctionem juvat, bonum colorem parit, hepatis oppilationem aperit, & narcotica vi præditus est. 8. *Sambucus*, cujus prima germina aceto condiuntur, & alvum commovent. 9. *Cappares*, qui Sale conditi cum oleo vel oxymelite appetentiam excitant, pituitam in ventre contentam dejiciunt, & lienis obstructiones levant. De *Nasturtio*, *Cepis*, *Aliis*, &c. vide supra. III. Ex *Plantarum succis* est, 1. *Saccharum*, quod acria lenit, acida retundit, salsa suaviora reddit, austeritatem vincit, acerba mitescere docet, insipidis sensum tribuit, sed simul in calidioribus bilem producit; dentibus verò nigredinem, rubiginem, & mobilitatem adfert. 2. *Oleum*, quod si ex olivis benè maturis expressum fuerit, conveniens naturæ nostræ alimentum suppeditat: & aliorum alimentorum malitiam, herbarumque cruditatem emendare & corrigere potest. Alvum etiam mollit & laxat, omnem asperitatem tollit, ruptis & fractis auxiliatur, & dolorem mulcet. 3. *Succi uvarum acerbarum*, *Citriorum*, *malorum agrestium*, quibus Galli & Itali utuntur. Refrigerant, adstringunt, & malaciæ muliebri conferunt. Huc pertinet *Acetum*, quod

quod summè refrigerat, & penetrat. Acrementum ejus pane tosto, vino, uvis passis, sambuci floribus, rosis, saccharo, & similibus infringitur. Melancholicis & feminis uteri morbos reformidantibus, noxium est. IV. *Mellis* natura calidior est, illud quod albicat, & sanis videtur commodum si exceperis. Facilè in bilem transit, ideò nec calidioribus naturis nec calidioribus partibus commodum, aliàs detergendi & putredini resistendi vim habet. Paratur ex eo Medo.

IV. *Quarto* loco posuimus PANEM, cujus, ratione materiæ & præparationis, variæ sunt Differentiæ.

I. *Ratione Materiæ* I. *Necessariæ* est 1. *Siligineus*, qui ex flore farinæ conficitur, quique potissimum corpori tribuit alimentum. 2. *Similaceus*, qui ex Similagine, quæ post florem est purior farinæ pars, fit, & superiori quàm proximè accedit. 3. *Cibarius*, qui ex polline, quæ pars furfuris minus impura & crassa, coquitur, & minus quidem alit, sed magis ob admistos furfures per ventrem descendit. 4. *Furfuraceus*, qui minimè omnium nutrit, sed maximè per alvum secedit. 5. *Domesticus*, seu αὐτόπυρος, satis optimè nutrit, citoque alvum petit. 6. *Hordeaceus*, qui si ex hordeo præstantissimo conficitur, minus à triticeo abest; si ex laxo & levi, furfuraceo respondet. 7. *Secalinus*, qui si ater & ponderosus, gravitatem infert, mali est succi & crassi, in renibus calculos generat. II. *Condimentariæ* est 1. *Fermentatus*, qui levior & distributioni melior, quam azymus. 2. *Azymus*, qui è contra se habet. 3. *Acrizymus*, qui quoque est δύσπεπτος, & ventriculum gravat. 4. *Salitus*, qui levior non salito. 5. *Non salitus*, qui generandis obstructionibus aptus est. *Crocatum*, *Ovatum*, *Butyratum*, *Caseatum*, *Saccharatum* non attingo. Huc pertinent *partes*

ipſius panis. 1. *Medulla*, de qua ſumendum eſt, quod hic de pane dicitur. 2. *Hetta*, *ſeu Cruſta ſuperior*, quæ humiditates abſorbet, & calorem acuit; ſi verò eſt retorrida, humorem aduſtum & atrabiliarium generat. 3. *Cruſta inferior*, quæ ſuo nomine caret, & cui eadem competunt.

II. *Ratione præparationis* panis eſt 1. *Sapidus*, in quo fermentum & ſal benè miſta ſunt. 2. *Inſipidus*, qui ſe in contrarium habet. 3. *Benè ſubactus*, qui nec nimium, nec parum, plurimùm, moderatè tamen, ſubagitatus eſt. 4. *Male ſuctactus*, qui obſtruit, inflat, onerat. 5. *Clibanites*, qui quia per totum ſeipſum coctus eſt, omnium optimus eſt. 6. *Furnarius*, quibuſdam Clibanites, qui in teſtis ſeu furnis portatilibus coquitur; & quia in profundo non ſimiliter afflatur, præcedente paullò eſt deterior. 7. *Ipnites*, ſeu in majore ſummo toſtus, qui vel ſuper craticulam vel pavimentum, aut cineres calidos torrentur, quia exuſta ſuperficie partes intimæ crudæ relinquuntur, parvus eſt. 8. *Subcineritius*, qui cineribus obruitur, & cui cineres pravitatem aliquam adſpergunt. 9. *Bis-coctus*, qui deſiccat, & ſi ſiligineus eſt, minimum excrementi relinquit. 10. *Recens*, qui *ſi calidus*, ſiticuloſus eſt, flatuſque & ſuffocationes parit; *ſi frigidus*, ſalubriter eſitatur; *ſi viduanus* ant *triduanus*, præ ſiccitate ægrè concoquitur. 11. *Vetus*, qui durus & mucidus, humorem melancholicum generat; & alvum adſtringit. 12. *Magnus*, qui, quia ignis ejus humidum non excoxit, gravitatem ventriculo adfert, & flatus excitat. 13. *Parvus*, qui, quia cruſtam juſto majorem undique obducit, ſanguinis aſſati materiæ, & ſiccitatis cauſa eſt. 14. *Mediocris*, qui magis laudatur. 15. *Spongioſus* & *lævis*, qui leviter alit, & obſtructiones in viſceribus minimè creat. 16. *Solidus* & gravis, qui ſuperiore deterior. 17. *Optimus* itaque eſt Siligineus,

neus, qui ex tritico maturo, non admodum recenti, ſolo pingui enato, tineis, pulvere, lolii ſemine, nigella aut pruina minimè vitiato, non imbre madido, aut ex aſſervatione fœtido conficitur, benè perteritur, fermentatur, ſalitus coquitur.

V. *Quintus locus* TEMPORI CIBI SUMENDI datus eſt, quod etiam pro ratione Nationum variat. Ebræi videntur bis in die ſumſiſſe. Apud Græcos jam dudum ab Homeri tempore edendi tempora diſtincta fuere in ἄριστον καὶ δεῖπνον, ſeu prandium & δόρπον ſeu cœnam; ſequentes habuere ἀκράτισμα, ἄριστον ſeu δορπηστόν, ἑσπέρισμα, ſeu δείλινον, δεῖπνον, & quintum tempus, cujus epulæ κῶμοι, & ἐπιδορπίσματα dicebantur. Romani habuere jentaculum, prandium, merendam, cœnam, & comeſſationem. Noſtrum tempus à Romanorum conſuetudine non recedit: plurimi tamen mortalium prandio duntaxat, & cœnâ contenti vivunt. Et tantum de cibis ſufficiat. Plura qui voluerit, adeat poſt *Galenum* de Alimentorum facultatibus. *Morellum* in Scholam Salernitanam *Bruyerinum* de Re Cibaria, *Iulium Alexandrinum* de Salubr. & *Vlyſſem Aldrovandrum* de Animalibus.

ARTICULUS III.

De Potu.

P*Otus eſt res non naturalis humidam corporis humani ſubſtantiam inſtaurans, & ſitim ſedans.*

Duo circa eum obſervanda. *Neceſſitas ad ſanitatem, & Genera.*

I. *Neceſſarium ad ſanitatem potum eſſe*, vel exinde patet, quod potus humidam corporis ſubſtantiam, quæ indies abſumitur, inſtauret, ſitim naturalem ſedet, humidum pingue craſſumque per anguſtos meatus deferat, ciborum in ventriculo miſturam,

ram, coctũram, & fusionem faciat, & pinguis illius alendo corpori humano destinati inflammationem prohibeat.

II. *Genera potus* sunt, 1. *Aqua.* 2. *Vinum.* 3. *Cerevisia.* 4. *Mulsa.* 5. *Liquores* quidam è pomis, pyris & similibus parati.

I. Circa *Aquam* duo obveniunt, *Differentiæ* nempe, & *Correctio*. I. *Differentiarum* respectu, Aqua est 1. *Pluvialis* seu cœlestis, quæ si procellosa & nimbosa, damnatur; si cum tonitru descendit seu temporaria, levissima est & tenuissima, quod sol subtilissimum sorbeat atque trahat; impura tamen, & putredini obnoxia, quia varii vapores per calorem sublati, pluviæ permiscentur. 2. *Nivalis* & *glacialis*, quæ quia pars tenuissima, & levissima difflatur & evaporat, crassa, ventriculum lædit, & graves articulorum nervorum viscerumque morbos excitat. 3. In *Cisternis collecta*, quæ multum limi de se dat, pigra est, calcis virosum saporem odoremque sæpè repræsentat, & animalcula quædam interdum concipit. *Putealis*, quæ, cum supra terram non attollatur, crassa est, & diu in visceribus hæret. *Nota* vero, *Dulcem* in argillosa terra, *frigidiorem* in topho, *exilem* & limosam in sabuloso. *Optimam* speique certissimam in saxis rubris, *boni saporis* in glarea, *rigentem* ad radicem montium, in saxosis & silice, *laudatissimam*, quæ hyeme calet, æstate alget. 4. *Fontana*, quæ si è *petra* exit, & versus Septemtriones fluit, adversumque solem habet, inutilis est: si ad *emersum solis* æstivum, salutaris est: si *in planis* jacet, quia sol tenuissimum educit, & terrenum reliquit, minus salubris: si *per plumbeas fistulas* decurrit, noxia; si *per arenam ac lapillos*, nihilque limi secum trahit, laudata. 5. *Fluvialis*, quæ maxima parte, quod è pluribus fontibus confluvio oriatur, & à nivibus in montibus solutis, & pluviis augea-

gea-

geatur, mixta eſt. Cruditatem ejus ſolis radii, dum per multa ſpacia terrarum decurrit, corrigunt. Ipſa pro varietate fluminum,& terrarum per quas fluunt, variat. 6. *Lacuſtris ſeu ſtagnans, & Paluſtris*, quæ peſſima eſt. Eſt enim craſſa,& cruda, ſæpe peſtilens. Ventriculum offendit, viſcera obſtruit; humores corrumpit, ſæpe putridarum febrium cauſa eſt. 7. *Optima*, quæ pellucida, ſaporis & odoris alieni expers, citò refrigeratur, citò incaleſcit, levis eſt, & in qua carnes & fructus citius elixantur. II. *Correctio aquarum*, coctione perficitur, quâ non ſolum cruditas & frigiditas emendatur, ſed & terreſtres & vitioſæ partes ſeparantur, quæ poſtea calore evaneſcente ſubſident. Vide de hac materia *Pamphilum Herilacum*, de Aquæ & vini qualitatibus.

II. *Vini aliquot ſunt Differentiæ.* I. *Ratione loci natalis*, eſt 1. *Falernum*, quod præſtantiſſimi ſucci. 2. *Creticum ſeu Malvaſium*, ventriculi frigidi levamentum, quod colicos dolores pellit. 3. *Gallicum*. 4. *Rhenanum*, quod tenue, cordi roborando, viribuſque inſtaurandis aptiſſimum. 5. *Hungaricum*. 6. *Hiſpanicum*, &c. II. *Ratione ſubſtantiæ*, eſt 1. *Tenue*, quod facilè penetrat, vires ſubitò reficit, meatus aperit, ſudores & urinas movet, ſed paucioris eſt alimenti. Tale eſt inprimis aquoſum. hinc fulvum & flavum. 2. *Craſſum*, quale eſt nigrum, rubrum, dulce & auſterum, quod plus nutrit; ſed diutius in partibus hæret, eas magis calefacit, & ſiccat, aliquando & obſtructiones generat. II. *Ratione coloris* eſt 1. *Album*, quod minus quàm fulvum & flavum calefacit, ſi præter colorem ſubſtantiæ etiam tenuitatem habeat. 2. *Fulvum*, quod albo proximum, & ſi ſimul tenue, optimum. 3. *Rubrum*, quod moderatè calefacit, ſanguinem bonum generat, nec caput tentat: ſi craſſum ſimul eſt, lienis & epatis obſtructiones approperat. 4. *Helvolum*, quod earundem ferè eſt virium. 5. *Ni-*

grum, quod craſſioris eſt ſubſtantiæ, plerumque dulce, maximè nutriens, & ſanguinem craſſum generans. Dum in viſceribus diutius hæret, viſcerum obſtructiones parit, & caput replet. III. *Ratione ſaporis eſt* 1. *Dulce*, quod benè nutrit, palato, viſceribus, pulmoni & faucibus eſt gratum, nec caput tentat: at quia craſſum, obſtructiones gignit, & facilè in bilem mutatur. 2. *Auſterum*, quod debiliorem calorem habet, in ventre diutius moratur, & ad vias urinarias penetrat, fluxionibus eſt commodum; ſed quia ſputum detinet, in morbis thoracis adhiberi non debet. 3. *Medium*, quod optimum. IV. *Ratione odoris* eſt 1. *Fragrans*, quod vel ipſo odore vires collapſas reficit, ſpiritus auget, omnes facultates roborat. Senibus eſt utile, niſi quod caput repleat, & nervos feriat. 2. *Inodorum*, quod nec à ventriculo tam avidè arripitur, nec tam aptam augendis ſpiritibus malè materiam præbet. 3. *Alieni odoris*, quod noxium eſt. V. *Ratione Ætatis* eſt 1. *Muſtum*, quod flatulentia ſua colicam gignit, & urinæ excretionem impedit. 2. *Novum*, quod muſteâ adhuc dulcedine blanditur, excrementoſum eſt, non facilè in corpus diſtribuitur, & fluctuationes in corpore paret. 3. *Vetuſtum*, quod nervos ferit, & caput tentat. 4. *Medium*, cujus uſus ad omnia commodior. In hoc tamen magna varietas. Alia ætatem ferunt, alia vires citius amittunt. III. *Cereviſia*, apud Septentrionales, ubi minor vini proventus in uſu eſt. Paratur ex tritico, hordeo, ſecale, avena, vel ſeparatim ſumtis, vel miſtis; & conditur lupulo. *Differentias* quoque habet varias. I. *A materia* eſt 1. *Triticea*, quæ plus hordeaceâ nutrit, calefacit, & humectat; ſed ſuccum viſcidiorem generat, obſtructiones parit, urinam conciet, ſed alvum laxat. 2. *Hordeacea*, quæ quidem propter hordeum minus calefacit; ſed quia plus lupuli ſortitur,

tur, non parvam calefaciendi vim acquirit, ſuccum præbet tenuiorem, & magis eſt diuretica. 3. *Avenacea*, quæ ejuſdem eſt cujus avena qualitatis. 4. *Secalina*, quæ validè nutrit; ſed obſtructiones parit, & urinam remoratur. Huc pertinent *Differentiæ ab Aquis*, pluvia nempe ſtagnante, fluviali, puteali, *&c.* ſumtæ, quæ quoque facultates & vires cereviſiarum variant. II. *Ab Ætate* eſt 1. *Recens* quæ inſalubris eſt, inprimis ſi turbida: meatus enim obſtruit, & calculoſis noxia eſt. 2. *Defæcata*, quæ ſalubrior. III. *A Locis* eſt 1. *Polonica*, quæ plerumque ex tritico fit, benè nutrit, & moderate calefacit. 2. *Dantiſcana*, quæ eſt Syrupi inſtar, aſſuetos optimè nutrit, in non aſſuetis ſitim excitat. 3. *Hamburgenſis*, quæ plerumque ex tritico conficitur, eſt boni ſaporis, vividum colorem conciliat, urinam pellit, ſi nimium bibatur, ruborem faciei excitat. 4. *Lubecenſis*, quæ nimis fortis, caput gravat, & ſanitati officit. 5. *Goſlarienſis*, quæ primo guſtu dulcis videtur, mox vinoſum ſaporem linguæ imprimit. Conducit ſanitati. 6. *Embecenſis*, quæ ſubtilis eſt, clara, & penetrans, primò amariuſcula, mox acris, pellit urinam & bilem: ideò in ictero & febribus laudatur. 7. *Brunſvicenſis*, quam *Mumam* vocant, non multum ab Embecenſi abludit; niſi quòd ſit craſſior, & flatulenta. 8. *Roſtochienſis*, quæ ſitim ſedat, urinam pellit, & parum nutrit, æſtate benè bibitur. 9. *Serveſtana*, quæ diu in hypochondriis hæret, & quandoque ardorem urinæ excitat. 10. *Neoburgenſis* in Thuringia, quæ benè excoquitur, & nutrit; nimium ſi bibatur, caliginem oculis inducit: quidam à nimio ejus potu, cæci evaſere. 11. *Erfurtenſis*, quæ ſanitati maximè conducit. 12. *Torgavienſis*, quæ laudabilem ſanguinem generat, & aromatico ſapore principalia membra roborat. 13. *Wittenbergenſis*, quæ earundem eſt cum

Rhe-

Rhenana malè excocta virium. 14. *Rauſchenburgenſis* in Haſſia, quæ contra calculum laudatur. 15. *Paderbornenſis*, quæ craſſum ſanguinem generat. 16. *Brabantica*, *Geldrica*, *Zutphanica*, quæ ſcorbutum producunt. 17. *Flandrica*, quæ laudabiliſſima, inprimis duplex. 18. *Anglica*, quæ bibentes pingues reddit. 19. *Rhenana*, quæ plerumque vilis & noxia. 20. *Colonienſis*, quæ Brabanticam ſuperat. Taceo *Differentias à vaſis* ſumtas, quæ quoque facultates mutant. Servantur aliquando in picatis, aliquando non picatis vaſis. *Mulſum* ſeu *Hydromel*, plerumque plus quàm vinum calefacit, præſertim, ſi aromata addantur. Facilè verò in bilem ob mel abit.

CAPUT II.

De Rebus non naturalibus, quæ geruntur.

R*Es non naturales quæ geruntur, ſunt Affectus animi, Motus & quies corporis, ſomnus & vigiliæ, magna ad ſanitatem ſeu conſervandam, ſeu violandam momenta. De Affectibus animi*, & eorum actione in corpus, hæc ex præcipuis occurrunt. 1. *Moderatos* ſanitatem conſervare, nec quicquam in corpore mutare. 2. *Exceſſum paſſos*, ſæpè corpus de ſtatu naturali dejicere, aliquando & mortem repentinam inferre. 3. *Affectus bonos* ſi ſpectes, 1. *Amor* ſi excedit, quia Spiritus in corde, rem amatam ad ſe attrahere geſtiente vehementer accendit, ut eos rei amatæ obviam mittat, ſæpe palpitationem, aliquando inſaniam, ſyncopen, &c. excitat. 2. *Lætitia*, ſi *moderata* eſt, cor & ſpiritus vitales recreat; ſi *repentina* & nimia, Spiritus, quos in ea cor ad membra exteriora, propter nimiam ſui dilationem effundit, ita diſſipat, ut ſæpè mortem inferat. 4. *In Affectibus malis* 1. *Triſtitia* ſenſim & paulatim Spiritus diſſolvit, corpus

pus

pus refrigerat & ſiccat, concoctionem vitiat, vigilias inducit,& morbos melancholicos generat. 2. *Metus*, vires propter ſubitum caloris Spiritum & ſanguinis ad exteriora recurſum, reſolvit,pulſum parvum cum extremorum refrigeratione inducit, & aliquando ſubitæ etiam in juvenibus caniciei cauſa fuit. 3. *Ira*, in qua Spiritus & ſanguis quaſi in corde efferveſcunt, & cum impetu ab interioribus ad exteriora moventur; Spiritus & humores agitat, corpus univerſum calefacit,febreſque generat. Sæpe iratos,tremores artuum, & cordis palpitationes, invadunt. Mulieres verò in periculum abortus incidunt. Mortem, quia Spiritus in ea libere & cum impetu feruntur,vix cuiquam intulit;ſi factum, aliquem affectum naturalem acceſſiſſe, neceſſe eſt.

II. *Motum* ad ſanitatem eſſe neceſſarium, exinde patet,quod calorem nativum augendo, nutritionem promoveat; Spiritus movendo & agitando, vapores & excrementa diſcutiat; ſoliditatem membrorum & duritiem ex mutua attritione partibus conciliando, δυσπάθειαν quandam corpori inducat. Pro ratione verò *Differentiarum* diverſimodè in corpus humanum agit. *Optimus*, omnes partes æqualiter exercet. Huic *proximus*, quo omnes ſed non æqualiter moventur; *leviſſimus*,qui unam exercet. I. *Nimius*,Spiritus & ſolidas partes exhaurit, totum corpus refrigerat, muſculorum, nervorum,& ligamentorum robur diſſolvit, & lumini oculorum obeſt. II. *Celer*, corpus denſat & attenuat. III. *Tardus*, carnem rarefacit & auget. IV. *Vehemens*, corpus durum, vegetum, ſed ſimul gracile reddit. V. *Continuatus & æquabilis*, quia ab eo tanquam multo membra refranguntur, magis delaſſat. VI. *Inæquabilis*, quia quiete interciditur minus. VII. *Interciſus ac ordinatus*, minorem defatigationem, cum interruptio quietem, quies laſſitudinis minus inducat, parit.

VIII.

VIII. *In calidis locis* magis exurere, in humidis humectare, quod corpora exercitatione rarefacta facillimè ad imbibendas aëris & locorum qualitates disponantur, certum est. IX. *Ex Motibus à se factis,* 1. *Saltus sine intermissione*, calorem nativum excitat, sed caput concussione & pectori compressione dum dorsum flectitur, nocet. *Versus altum*, coxas juvat, pectori noxius; *versus inferiora*, caput à superfluitatibus emundat, & crura corroborat. *Cum exsilitione*, diuturnis capitis morbis accommodatur, & materiam ad superiora tendentem ad inferiora deducit. 2. *Cursus*, si est *vehemens*, obesis & humidis corporibus prodest, sed capite quoquomodo dolentibus nocet. Si *moderatus*, corpora perbellè calefacit, appetitum excitat, & licet primum defluxiones moveat, eas tamen postea tractu temporis cohibet. *Longus anterior*, si sensim fit, carnem diffundit; sed corpora crassiora reddit. *Retro* si placidus est, capiti oculis, stomacho, lumbis, accommodatus est; *Circularis*, carnem & ventrem distendit, & caput valdè offendit. *Per acclivia*, thoraci & cruribus inimicus est. *Per declivia*, caput vehementer afficit, viscera quassat, coxas debiles perturbat, *per plana*, omnia superius dicta præstat. *Tecto corpore*, sudorem movendo humectat, & carnem calefacit, sed corpora decoloratiora, quod Spiritus sincerus, allabens ipsa non depurget, facit. *Nudo* magnam sudorum copiam elicit, per occultos halitus humores evocat, corporaque magis adurit. 3. *Discinctus*, propter vehementiores in longius discum projiciendo obnixus, vehementia motus, & musculorum intentione, artus magis solidescunt, & ab excrementis purgantur, sed renibus aut thorace malè affectis vitandus est. 4. *Iaculatio*, boni habitus acquisitioni inservit; ideò Æsculapius & Apollo magistri jaculandi esse putantur. 5. *Deambulatio, mediocris, contenta* tamen, corpora pura red-

dit,

dit, defluxionibus & mensium suppressionibus auxiliatur. *Velox*, magnopere calefacit, & magnitudinem carnis tollit. *Tarda*, senibus imbecillioribus commoda est: quia corpora immodicis laboribus exsucta emollit, meatusque corporis laxando purgat. *Nimia*, corporis tremorem debellat, flatus discutit, & capita debilia magnopere perturbat. *Multa*, capitę & thorace affectis, & quibus partes infernæ non nutriuntur, auxiliatur. *Pauca*, iis quibus deambulationibus à cibo opus est, quique gravitatem corporis sentiunt, prodest. *Longa & recta*, capiti prodest, sed nimis humiditates exsugit. *Longa & concitata*, singultui comprimendo prodest. *Brevis*, ex motu & quiete inter reflectendum orta, laborem infert, & continuis reversionibus caput labefactat. *Cum intensione crurum, calcibus incumbendo* instituta, thoraci humido & utero convulso prodest. *Extremis digitis insistens*, lippientibus & alvo suppressis conveniens est. *Per acclivia*, magis, quod corpora quasi onere premantur, fatigat, sudorem movet, & Spiritum cohibet; genibus verò infirmis valdè adversatur. *Per declivia*, à capite ad inferiores partes trahit, sed femora invalida reddit. *Per plana*, ob motus universitatem, corpus labore afficit, ob naturæ quam tenent similitudinem, citius eosdem finiunt. *Per inæqualia* iis qui citò deambulando defatigantur, commodæ sunt. *Per aspera* caput replent. *Per arenas profundas*, maximè ad omnes corporis partes firmandas corroborandasque faciunt. *Loco concluso*, aëre intemperato, vitioso, crasso, & corpus universum replente fruitur. *Sub dio*, si *ad mare*, & siccandi, & crassos humores attenuandi vim habet; si ad *stagna & flumina*, humectat, sed Epilepticis nocet; si in *mediterraneis*, factæ circa mare cedit; si *in rore*, non sine damno humectat; *si in locis vento minus perflatis*, ad evocandum per halitum, & excrementa digerendo facit, & in co-

licis

licis à frigida cauſa ortis commendatur; ſi *ſub borea*, tuſſes excitat, ſed ſenſuum integritatem affert; ſi *ſub Auſtro*, caput replet, alvum mollit; ſi *ſub Zephyro*, omnium ſaluberrima eſt; ſi *ſub Apeliote*, ferit; ſi *in ſole*, capiti humano noxia eſt, calidum liquefacit, ſiccum ſiccius reddit. De illa quæ *ſub umbra*, nota 1. Arbores rore ſuffuſas vitari debere, quod colliquatis à rore arborum ſuperficiebus, aſpergo noxia corporibus affuſa, partes extimas mordeat & diſcindat. 2. Saluberrimam deambulationem, quæ ſub myrto, lauro, & inter benè olentes herbas inſtituitur. *Cœlo ſereno*, levat, per halitum evocat, bonam reſpirationem conciliat. *Cœlo nebuloſo*, gravitatem affert, caput implet. *Matutina*, alvum mollit, ſegnitiem à ſomno contractam diſſolvit, appetitum excitat, & humidioribus temperamentis, quod humoris tranſitus exinaniantur, confert. *Veſpertina*, hominem ad ſomnum præparat, inflationes diſpergit, & caput debile malè afficit. *Poſt cibum*, exigua aſſuetis & illis quibus non ſine labore cibus in ventriculi fundum deſcendit, conveniens eſt. 6. *Erecta ſtatio*, univerſim, qui dorſo ſunt imbecilliori, vel renum inflammatione & ulceribus laborant, noxia eſt: In ſpecie conſiderata. *Ante cibum*, ventriculi excrementis inaniendis, & aſthmaticis, auxiliatur, urinam provocat, & pedes corroborat, ſed vertiginoſis, quod fumi caput petant, non convenit. *Poſt cibum*, ſi *moderata*, deſcenſui ciborum in ventriculi fundum cooperatur; ſi *diutina*, vaporum copiam ad ſuperiorem corporis regionem mittit, humorum multitudinem ad inferiora præcipitat, thoracem labefactat, & veſicam, totamque mingendi actionem vitiat. *In umbra*, ex ambulatione in eadem judicanda eſt, habita pauci & multi ratione. *Sub ſole*, magis in æſtate deurit quam deambulatio, & in impuro corpore magnum capiti nocumentum affert, &c. X. *Ex Motibus ab alio factis*

ctis

ctis est, 1. *Equitatio*, quæ si placida & lenta, lassitudinem magnam parit, hominesque infecundos reddit: *si celer*, nec admodum frequens, equitantes, continuâ genitalium attrectatione, libidinosiores facit, & corpus laboriosè concutit, thoracique maximè adversatur: si *succussante equo* peragitur, caput, collum, dorsum, & nates offendit, sed renum arenulas educit: si *currentibus equis*, nimium calefacit, sensus hebetat, & oculos offendit. 2. *Gestatio*, in genere, in sanis & valetudinariis, calorem naturalem auget, & materiæ multitudinem discutit: in vigilantibus verò, somnium, excrementa quæ à capite ad stomachum delabuntur digerendo, conciliat &c. In Specie. *Vehiculo* quæ peragitur, si *est mitior*, in capitis affectionibus, & intestinorum fluxionibus prodest, sed Epilepticis, quod motus rotarum vertiginem faciat, obest: si *retroversa sit facie*, visui debili, ejusque obfuscationi magnum juvamentum adfert. Si *vehementior*, in supprimenda carnis multitudine, à Cœlio commendatur. In *Lecticâ*, sanis post cibum in obeundis negotiis commoda, in ægris quoque olim in usu. *Decumbebant* lethargici, nephritici, &c. sic enim materiam expulsioni aptam efficit; *sedebant*, diuturno aliquo & levi morbo impliciti, in integra febrium declinatione consistentes. *In sella*, in naturis frigidis, & quæ manifestè inclinare animadvertuntur, admittitur. Sed de his omnibus consule eruditissimum Mercurialis de Arte Gymnastica opusculum, quod forte recensitum, & aliquot Notulis auctum, in publicum aliquando iterum emittemus. IV. De *Quiete* non est, quod aliquid dicam. Ex Motu quod dici potest, unusquisque colliget.

III. *Somnus* quoque ad sanitatem necessarius est, ut & membra corporis humani lassa refocillentur, & Spiritus quibus anima in perficiendis actionibus utitur, restaurentur. *Moderatus* si est, non tantum eo

vires defatigatæ refocillantur, & Spiritus laboribus diurnis dissipati instaurantur; sed & calor ad interiora revocatur; unde alimentorum, crudorumque humorum in toto corpore coctio feliciter perficitur, totum corpus, & inprimis viscera, suaviter humectantur, calor augetur, & totum corpus validius redditur; curæ tolluntur, ira sedatur, animusque tranquillior evadit; immoderatæ evacuationes, præter sudorem, supprimuntur; senibusque inprimis utilis est somnus. *Immoderatus* contra somnus, spiritus obscurat & torpidos reddit, mentique & memoriæ stuporem quasi conciliat, caloremque crudis humoribus cumulatis & superfluis cohibitis obtundit. Somnus etiam, qui corpore quocunque modo inanito initur, corpus exsiccat, atque extenuat.

IV. *Vigiliæ* etiam vel sunt *Moderatæ*, vel *Immoderatæ*. *Illæ* Spiritus ac sensus excitant & vegetiores reddunt, spiritus & calorem in omnes corporis partes distribuunt, alimenti distributionem adjuvant, excrementorum propulsionem promovent. *Immoderatæ* tamen si sint vigiliæ, spiritus, inprimis animales, absumunt & dissipant, & universum corpus, præcipuè cerebrum, exsiccant, bilem augent, acuunt & inflammant; tandemque calore dissipato morbos frigidos excitant.

CAPUT III.

De Rebus Nonnaturalibus extrinsecus adhibitis.

Res Nonnaturales extrinsecus adhibitæ sunt, Balneæ, Inunctiones, Frictiones & Vestes.

I. De *Balneis* observa. 1. Non minus alterare, quam aër ipse. Sed pro diversitate temperaturæ, diversimodè, plusque in iis artificii quàm in aëre. 11. Non raro & quidem graviter, inprimis insuetos, plethoricos, cacochymicos, catarrhosos, inflammationi

tioni & eryſipelati obnoxios, lædere. III. Fieri aut ex *liquoribus*, ut aqua dulci, fontibus medicatis, decoctis herbarum, oleo, lacte, vino, &c. aut ex *vapore*, aut ex *ſolida ſubſtantia*, calida nempe, arena, ſale, vinaceis. IV. *Vapor aquæ dulcis* calefacit, primo humectat, relaxat; mox liquores concretos liquat, & ſudores elicit; tandem, diuturniore mora exſiccat. V. *Aqua dulcis calida*, per ſe humectat, ſed primum adhibita, calefacit; deinde exſpirantibus calidis vaporibus, refrigerat, attenuat, & exſiccat: *Aqua tepida*, ſive modicè calida calefactos refrigerat, refrigeratos calefacit, ſimulque relaxat, & mediocri tempore adhibita impinguat, & excrementa ſub cute coquit, longiori temporis morâ reſolvit & diſcutit; quare naturis gracilibus calidis, & quibus calor mordax eſt, mediocri temporis mora, convenit; item melancholicis, hecticis, ac febribus ſiccis, ſitientibus: præterea laſſitudines arcet, dolores mitigat, cutaneis affectibus convenit: *Aqua frigida* refrigerat, ſed ſimul meatus conſtipat, denſam duramque cutim efficit, totumque corpus roborat, calorem ad inferiora revocat, unde concoctiones juvat, & bonum præſidium eſt contra læſiones ab externis cauſis, ſi modicè rectâque ratione utamur. Illis qui augentur, & bona victus ratione ac exercitii non utuntur, aut cruditatibus & conſtipationibus opportuni ſunt, & acres vapores gignunt, noxia. VIII. De *Artificialibus balneis* ex ingredientibus judicandum eſt. IX. *Aquæ ex medicatis fontibus*, pro ſua qualitate partes alterant, ut ſulphureæ exſiccant, calefaciunt, reſolvunt: Nitroſæ exſiccant, abſtergunt, &c. Vide de illis *Fallopium, Mercurialem & Baccium.*

II. *Inunctiones* quod ſpectat, ante & poſt balneæ iſtæ olim inciſu, ut paſſim ex Galeno patet. Quia hodiè diſcere, ideò de illis nil dicam. Vide Galenum 2. de ſimpl. Medic. facult. c. 2, 4. item 7. Method.

medendi cap. 6. Consule & Mercurialem artis Gymnast. lib. 1. c. 8.

III. *Frictionis* effectus pro differentiarum ratione variat. 1. *Dura*, corpus indurat, cogit, densat. 2. *Mollis* contra, emollit, laxat, solvit. 3. *Media*, mediam rationem obtinet. 4. *Multa*, carnem minuit, dissolvit, & gracilitatem inducit. 5. *Pauca*, eadem eandem quantitate relinquit. 6. *Mediocris*, carnem auget. 7. *Matutina*, optimè post communium superfluitatum excretionem instituitur, resiccatis & lassitudinem sentientibus proficua. 8. *Vespertina*, lassatis, resiccatis, & alimentum non sentientibus commoda est.

IV. *Vestitus* loco aëris ambientis ab Hippocrate l. 6. Epid. l. 8. ponitur: nobis inter extra adhibita referre placuit. Omnis in genere aliquatenus corpus nostrum calefacit, tam prohibendo, ne aër frigidior corpus nostrum attingat; quàm impediendo calidum corporis nostri effluxum, & inducendo proprium ac germanum calorem. Effectus pro ratione *Differentiarum* variat. 1. *Bombycinus*, magis calefacit, cum subtile ac tenerum est, emollit. 2. *Sericeus*, quo magis villosus est, eo potentius calefacit. 3. *Laneus*, multum calefacit & exsiccat. 4. *Pelliceus*, si pilis multis refertus, omnium maximè calidus exsistit. 5 *Coccineus*, & quisquiliatus Spiritus & humores cum quibus analogiam habet, à centro ad circumferentiam evocat, ideò calidior habetur. 6. *Aromatizatus*, cerebro calidiori obest, & cephalalgiam inducit. 7. *Linteus* & *byssinus*, calce dealbatus, mordicat & scabiem excitat. 8. *Cannabinus*, siccior est lineo.

CAPUT

CAPUT IV.

De Rebus Nonnaturalibus, quæ excernuntur, & retinentur.

RES Nonnaturales, quæ excernuntur, & retinentur sunt, tum illæ, quas in nutritione corporis humani, natura, ad reſtaurandum id quod abſumtum eſt, retinet; tum illæ, quas tanquam inutiles ſeparat, & exercet.

De eis *obſervandum in genere.* I. *Excrementa* pro ratione coctionum variari. Sunt quædam *ſimpliciter talia,* ut Urina, vapor internus. Fuligo, Furfures, Sudor, Medor, Ichor, Lachrymæ, Lemæ, Menſtrum, Hæmorrhoides, Sputa, Mucus, Coryza, Styriæ, Aurium ſordes, Faces Alvi : Quædam *prolis cauſa,* ut Lac, ſemen, ſanguis maternus. II. Eadem ad ſanitatem neceſſaria eſſe, tum quod videamus, inculpatam hanc ſi commodè excernantur; lædi, ſi vel retineantur, vel intempeſtivè ejiciantur.

In *Specie* trium hic inprimis rationem habendam, *Excrementorum* nempe *alvi, Vrinæ,* & *Veneris.* I. *Alvi excrementa* ſi *ſæpius* deponantur, & ſecum humores vitioſos deferunt, ſicque corpus levant, ſanitatem firmant : ſi *frequentius & diutius*, corpus neceſſario alimento fraudatur, & tabeſcere incipit, vires dejiciuntur, & non rarò inteſtina abraduntur. *ſi non debito tempore,* per putridos vapores, coctionem impediunt, caput debile lædunt, & partibus reliquis moleſtiam creant. II. *Vrina*, ſi diutius retineatur, non ſolum veſicam, parteſque vicinas gravat, ſed ſæpe eandem adeò diſtendit, ut poſtea contrahi non poſſit. Quod ſi renes ſeroſam humiditatem ad ſe non traxerint, permiſta cum ſanguine manet, & in totum diffuſa corpus, cachexiæ & hydropi cauſam ſuppeditat. III. *Semen* intempeſtivè retentum, corporis

totius gravitatem inducit; & si corrumpatur, gravissima accidentia, excitat: *Nimium* excretum calorem nativum dissipat, corpus universum debilitat, cruditates cumulat, nervos lædit, paralysin, & mentis debilitatem inducit.

TITULUS II.

De Methodo tuendæ sanitatis.

CAPUT I.

De Tuenda sanitate in genere.

M*Ethodus tuendæ sanitatis est doctrina, præcepta de legitima rerum non naturalium ad sanitatem conservandam usum præscribens.*

Finis itaque erit Sanitatis conservatio, quæ & intemperiei totius corporis, & singularium partium similarium, earumque proprietatis specificæ, & occultarum qualitatum, & in organicarum, conformationis justæ, & utrarumque unitatis conservatione consistit.

Præcepta illa sunt vel *Generalissima*, vel *Generalia*, vel *specialia*.

I. *Generalissima* sunt quasi communia principia, ad quæ diæta conveniens exigitur, & sunt sequentia. I. Quod secundum naturam est conservandum esse. II. Mediocritatem semper esse sequendam. Nam πᾶν τὸ περισσὸν τῇ φύσει πολέμιον, *omne nimium est Naturæ inimicum*; quod sic egregiè expressit Phocylides: Μέτρα μὲν φαγεῖν καὶ πιεῖν καὶ μυθολογεύειν πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δὲ ἀλεεινή. III. Mutationes subitas esse vitandas. Semel enim multum vel repentè vel evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculosum est, ut Hipocr. l. 2. aphor. 51. loquitur. IV. A consuetis non facilè recedendum. Consuetudo enim altera natura, & τὰ ἐκ πολλοῦ χρό-

γε συνήθεν καὶ ἢ χείρω τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε· *Consueta longo tempore etsi deteriora sint, minus insuetis molesta esse solent*, ut l. 2. aphor. 50. traditur. Quomodo autem Consuetudo sit ἐπίκτητος φύσις, *adventitia natura*. & quantum in actiones naturales, vitales, animales, & partes humani corporis possit, vide apud Renatum Moreau in scholæ Salernitanæ caput 15. p. 215, & Sennertum in Paralipom. p. 48. IV. Exactè sana corpora similibus fovenda; ab exacto sanitatis statu recedentia, paulatim & moderatè ad contraria deducenda esse. V. Ita occultis proprietatibus servandis invigilandum, ne temperies corporis lædatur. VI. Calidum innatum omnium partium, moderatè calidis, & modicè adstringentibus, servandum est.

II. *Generalia*, de rebus non-naturalibus præcepta, secundum eorundem superiore titulo propositam seriem, optimè deducemus.

I. *Aër itaque* 1. Eligatur temperatus, purus, non fœtens, liber, tanquam salubris eligendus est, fugiatur, qui vitiosis halitibus scatet. 2. Mutatio calidi in frigidum & contra summopere vitetur. 3. Frigidus, accenso foco, suspensis peripetasmatis, hypocausto excalefacto; Calidus, aquâ gelida de vase in vas transfusa, vel per pavimentum sparsa, stratis per ædes rosis, foliis Nympheæ, salicis, viticis, arborum frondibus alteretur. Humidus igne luculento, & suffitibus aromaticis; siccus, aquarum irrigationibus & herbis humectantibus; Pestilens suffitu lignorum aromaticorum, Turis etiam, corrigitur. 4. Otiosis extra mœnia in aëre libero & campestri deambulandum. 5. Manè citra montes, vesperi circa fontes & flumina exspatiandum; tum quod ibi ver, tum temporis purior sit & illustrior; hic à sole occidente illustretur, & sincerior reddatur; tum quod manè non admodum æstuemus propter præceden-

tem noctem; vesperi per meridianum calorem molestum, refrigerium, ad aquas inveniamus. II. Circa *Cibum* observanda sunt quædam in genere, quædam in specie.

I. *In genere* nota. 1. Eligendos esse cibos maximè temperatos, & naturæ nostræ familiarissimos, ut sunt, panis benè coctus, carnes animalium, & quæ ab animalibus petuntur, pisces, *&c.* Inter Panes optimus est, benè fermentatus, oculatus, plurimum ab artifice subactus, & in clibano mediocriter calido bellè coctus, mediocri sale conditus, & ex optimis granis seu laudatissimo tritico confectus. 2. Utendum & simplici victu, &, quia iste facilè satietatem & nauseam parit, vario; modò hic non sit diversæ substantiæ diversarum qualitatum, sed earundem, ut ab eodem calore & eodem tempore concoqui possit; nec copiâ peccetur. 3. Consuetudinis summam habendam rationem, quâ effectum, ut quidam venena absque noxa assumserint. 3. Paullò pejorem sed suaviorem cibum & potum, meliori, at ingrato præferendum esse. Tales enim ventriculus avidè attrahit, rectè complectitur, & feliciter coquit.

II. *In specie*, habenda est ratio *Quantitatis*, *Electionis*, *Condimentorum*, *Temporis*, & *Ordinis*: de quibus in Diæta mediæ ætatis agemus.

III. De Reliquis nihil ferè in genere occurrit: hoc duntaxat addi potest, cavendum esse, ex Celsi monito, ne in secunda valetudine, adversæ præsidia consumantur; Præstat corpus moderatè quotidiè exercere, ne superfluitates colligantur, quàm purgationibus vel aliis medicamentis uti.

CAPUT II.

De tuenda ſanitate, in Specie; & primò de parte ὑγιεινῇ.

ARTICULUS I.

De tuenda Benehabitorum ſanitate.

PUNCTUM I.

De tuenda ſanitate infantum, puerorum & puberum.

T*Antum de tuenda ſanitate in genere: jam videndum quomodo in ſpecie ſanitas conſervari poſſit.* Eſt autem hæc vel *Benehabitorum*, vel *Intemperatorum*.

Benehabiti ſeu ὑγιεινοὶ, unde hæc pars ὑγιεινὴ dicitur, ſunt vel *Infantes* tam nondum nati, quàm in lucem editi; vel *pueri*, vel *puberes*; vel *mediæ ætatis* homines, vel *ſenes*.

I. *Infantes nondum nati*, bene habebunt, ſi Prægnans fugerit quædam, fecerit quædam. Ex *Fugiendis* ſunt 1. Aër tam humidus & Auſtralis, quàm fœtidus à lucernis exſtinctis, caſtoreo ſulphure, & ſimilibus excitatus. 2. Odor & herbarum fortium, rutæ, pulegii, menthæ, & ſuaveolentium, ſi ſuffocationi uterinæ obnoxia eſt. 3. Adſpectus rerum horridarum, & terribilium. 4. Cibi acres, amari, ſalſi, & qui venarum ora aperiunt: quales ſunt, allium, cæpæ, ſinapi, petroſelinum, *&c.* nec non illi qui flatus excitare poſſunt; quibus adde abſurdos, vel difficulter acquirendos. 5. Motus tum violentus tam corporis quàm animi, primis præſertim menſibus, tum nullus, qui humores colligit. 6. Veneris uſus in initio conceptionis, ne uteri conceptione fœtus excutiatur. 7. Balnearum uſus, ne uteri ligamenta laxentur. 8. Riſus nimius, vel imaginatio.

9. Alvi tarditas, quæ uſu juſculorum & mannæ tolli poteſt. Ex *Faciendis* ſunt 1. Aër temperatus, ſiccus potiùs quàm humidus. 2. Cibus boni ſucci, & ultimis menſibus copioſus Poma, Cydonia fœtui vigorem conciliare creduntur, ſed & ficuum aſſarum ſingulis diebus ante cibum uſus partu appropinquante commendatur, quod inde ſecundas facilius ſeparari & extrahi credant. Crocus denique & Cinnamomum ultimâ mensâ probantur. 3. Vini boni vel cereviſiæ claræ moderatus uſus. 4. Motus nono menſe fortior, ut partes dilatentur. 5. Venus circa idem tempus moderata. 6. Balnea aquæ tepidæ, quæ partes genitales ad partum laxant. 7. Somnus quam vigiliæ potior. 8. Uſus fœtum confortantium; inter quæ Balſamus, Embryonis, & Amygdalæ dulces cum malvatico excellunt.

II. *Infantibus recens natis*, ſecundum ſeptenarium benè providebitur. 1. Si in lucem edito, ſuperfluitates per alvum, exhibito ſaccharo penidiato, cum oleo amygdalarum dulcium vel melle, ut Epilepſia præcaveatur, deturbentur. Si à Nutrice niſi mater ſit debilis, vel morbis obnoxia, vel pravorum morum, caveatur. 3. Si lacte ad biennium vel octodecim menſes ita alatur, ut interim aliis cibis aſſueſcat. Commune eſt apud nos ex farina triticea & lacte pulmentum; quod quia tormina & obſtructiones parit, vel iſta in clibano benè exſiccanda eſt; vel cibus ex medulla panis triticei olim juſculo gallinæ ſubſtituendus. 4. Si victus primo triennio ad humidum vergat. 5. Si recens natus ſingulis diebus poſt tertium menſem ad ſeptimum alternis, à ſeptem ad ablactationem ſingulis ſeptimanis bis, lavetur. 6. Si ſub primi ſeptennii finem, balnei uſus ſit rarior; nec ſtatim à cibo vel potu, ne crudus in corpus trahatur, fiat. 7. Si vinum ante XXI annum ex Platonis præcepto fugiat. 8. Si quo magis creſcit, eo ſæpius, ſed

ita

ita ne vel membrum aliquod diſtorqueatur, vel intempeſtivè ſiccitatem contrahat, exerceatur. 9. Si dum creſcit, ſenſim de ſomno abſtrahat.

III. *Pueri* exigunt. 1. Cibos ſolidiores, ſed moderatè ſiccatos, ne humidum importunè lædatur. 2. Exercitationem validiorem, ſed minorem aliquando quàm vires ferre poſſunt.

IV. *Puberibus* debetur 1. *In genere* victus cuique vitæ generi convenientis inchoamentum, ut corpus, hac ætate, diætæ toto vitæ decurſu ſervandæ aſſueſcat. 2. Cibi qui etiam in non magna quantitate, magnam alendi vim habent. 3. Labores firmiores, ut ad quodcunque exercitiorum genus & aëris conſtitutiones ferendos corpus aptum reddatur. 4. Veneris fuga, quæ calorem nativum intempeſtivè diſſipat, & corpus frigefacit, fuga. *In ſpecie. Studioſis* debetur Spirituum animalium cura, ut ſint copioſi, nitidi, puri. Tales verò ſuppeditant Aër ſubtilis & purus. Victus tenuior, & ſucci laudabilis. Excrementorum juſta evacuatio. Intempeſtivorum ſtudiorum, quibus cruditates accumulantur, & corpus morbidum redditur, fuga.

PUNCTUM II.

De Sanitate mediæ ætatis tuenda.

MEdiam ætatem illam vocamus, quæ ſumta à tertio Septenario initio, per quatuor ſequentes decurrit, & in quinquageſimo anno finitur, ita ut adoleſcentiam, juventutem, virilitatem, & maturam ætatem complectatur.

Hujus ſanitatem tuebimur, ſi quædam circa *Cibum*, *Potum*, *Affectus*, *Motum* corporis, *Somnum*, *Balneas* & *Excreta* obſervaverimus: &, ſi quod erratum commiſſum fuit, id poſtero die mox emendemus.

I. *In Cibo* habenda eſt ratio I. *Quantitatis*, de qua

qua nota. 1. Tantam eſſe debere, quanta ad vires reſtaurandas, non verò gravandas requiritur, quod ex famis, poſt ſex vel ſeptem à cibo horas ſenſu; ructu, gravitatis & odoris carentia, ſomno quieto, vigiliarum, & peregrini ſaporis abſentia; & ſi Sole orto caput non ſit grave, & homo ad omnia negocia promtus, colliges. 2. Ad tria inprimis reſpiciendum, 1. Alimenti naturam, cujus reſpectu, Cibi difficulter concoctibiles majori copiâ plus nocent, quam qui facilè concoquuntur. Pernicioſa copia, ſi qualitatem noxiam adjunctam habet, niſi à ſuavitate aliquo modo imminuatur. Qui ventriculum frigidum nacti ſunt, minus aſſumere debent; quia is plus appetit, quàm concoquit; qui calidum plus, quia plus digerit; qui temperatum, appetitam menſuram quantitatis cibi conſtituant, nec cibum antequam fames venit aſſumant. Melius eſt, ut calor cibos excedat, quàm ut ab iiſdem ſuperetur. 2. Corporis & vitæ genus, & labores, quorum reſpectu Otioſis minus ſumendum, quia minus digerunt; laborioſis plus, quia exercitio calor augetur. 3. Tempus anni & cœli conſtitutionem; cujus ratione, Hyeme & Vere plus edendum, quia tum ventres naturâ calidiſſimi. Contrarium æſtate. 3. Inedia, victu parciore, ſomno, quiete, & vomitu, corrigendum, ſi vel more pravo, vel ciborum illectamentis peccatum eſt, ſæpe boni cibi uſu natura ad coctionem invitata, cruditatem quàm antea vincere non potuit, aggreſſa eſt. II. *Electionis*, ubi nota. 1. Familiariores eſſe naturæ noſtræ animalium carnes, quam ullos alios cibos. 2. Ex *volatilibus* laudari, *Anatem* unius anni, hyeme, ex ea pulpam pectoris, jecur, & poſteriora; ex Sylveſtri alam à Septembri ad Januarium. *Anſerem* unius anni, hyeme, & ex ea pectus, jecur, & poſteriora, pullos unius menſis vere & æſtate. *Caponem*, unius anni ab Octobri ad Aprilem, & ex

eo,

eo, alas, Uropygium, pulpam pectoralem. *Coturnicem* Augusto, Septembri & tota hyeme. *Columbinos* pullos trium vel sex Septimanarum, quorum primæ partes Coxæ & venter. *Gallinam* annuam, Januario, Februario & Martio, pullos vero sex septemve Septimanarum. *Indicam* hyeme, pectore, & ventre, cujus etiam pullus vere melior est, duorum aut trium mensium. *Perdicem* Octobri ad Ver usque omnibus partibus, sed alis maximè. Cujus pullus sex octove septimanarum Julio, Augusto & Septembri regium est edulium. *Phasianum*, autumno & hyeme alis potius quàm coxis, cujus pullus sex octove Septimanarum, æstate suavissimus. *Turdum*, unius mensis, autumno & hyeme. III. Ex *Quadrupedibus* probari *Bovem*, à Septembri ad Martium, maximè si sit quinque annorum, pectorali inprimis pulpa, lumbaribus partibus, & musculis coxariis. *Cuniculum*, hyeme & æstate, vertebris ad lumbos, coxis & armis. *Leporem* hyeme rigida. *Lepusculum*, duorum triumve mensium omni tempore. Hœdum, vere, uno aut altero natum mense, præstat tamen ejus posterioribus partibus, costis, ventre, capite, & pedibus vesci, quàm aliis. *Porcum*, biennem hyeme, vertebris dorsi, lumborum, costis, auriculis & pedibus. *Porcellum*, quovis tempore. *Vitulum*, à Decembri ad Majum lumbis, pectore, ventre, capite, hepate, renibus. De *Piscibus* taceo, ne compendii nomen excedam. III. *Conditorum*, de quibus observa. 1. Sanis & valentibus paucis admodum condimentis utendum. 2. Ab iis quæ plurimum à temperamento nostro distant abstinendum. 3. Iis, quæ ad temperamentum ciborum quibus vescimur proximè accedunt, utendum. 4. Æstatis tempore, & biliosis natura condimenta frigidiora, hyeme & pituitosis calidiora concedenda. 5. Sic illis utendum, ut nusquam plures cibi ingerantur,

quam calor ventriculi, coquere poſſit. IV. *Temporis*, ſeu quoties & quando cibus ſit ſumendus. De utroque univerſim occurrunt. 1. Non comedendum ſæpe & multum, quod athletæ olim faciebant; quia hoc nec corpori nec menti commodum. 2. Præſtat pluries & parùm, quàm ſemel comedere: ſic nec ventriculus gravabitur, nec corpus contabeſcet. 3. Toties ad beneplacitum, quoties fames oboritur. hoc autem pro ratione ætatis, temperamenti, vitæ generis, conſuetudinis variat: ſaluberrimum tamen bis de die cibum ſumere, iis qui mediocribus laboribus exercentur, qui frequentioribus quater. Nec ſtatim fame obortâ cibus ſumendus, nec eadem diu nimis toleranda. Id enim ventriculi orificio, propter exquiſitam ſentiendi vim excitato, cruditates parit; hoc ventriculum pravis humoribus replet. 5. Bilioſi, graciles, & multo exercitio dediti, ſæpius cibandi ſunt. Illi enim ex inedia façilè in animi deliquium incidunt; inprimis ſi eis bilis in ventriculum effundatur. Iſti corpus perſpiratione & diſſolutione aptum habent. Hi nimiis exercitiis nimium diſſipant. 6. Frigidis & humidis, pinguibus & obeſis, laboribus paucis vel mediocribus occupatis, minus cibi, propter contrarias rationes debetur. 7. Temperatus homo bis de die comedere poteſt. 8. Quia non totus eodem tempore cibus coquitur, imò particula ad inteſtina deſcendit, non eſt cur ſubtilitas illa horarum, quæ inter prandium & cœnam intercurrere debent, attendatur. Modo manifeſta cruditatis vel repletionis ſigna non adfuerint, poterit cœna à prandio, quatuor, quinque ſexve horis diſtare. 9. Ita eadem hora comedendum eſt, ut ad inſuetum quoque deveniatur, ne exacta conſuetudo, quam Græci μονοειδῆ vocant, aliquid periculi inferat. 10. Conſuetudinis ubique ſummus habendus eſt reſpectus. Nam qui bis de die cibum ſumere conſueverunt, illi niſi

nisi pransi fuerint, καρδιαλγίαν patiuntur, calidum mingunt, &c. 11. Etsi vix definiri potest, an largius homo sanus & benè temperatus, qui sui juris est, in cœna & prandio sit cibandus; cum pro utraque sententia validæ rationes militent, & melior videatur de die quam de nocte in ventriculo concoctio, ut melior de nocte quàm de die invenis; certum tamen est, quosdam cibos ut cæpas, & alios vaporosos commodius in prandio sumi; nec tantum senes, sed & eos, qui à sano statu deflectunt, & Capitis imbecillitate, catarrhis & vertigine laborant, parcius cœnare quàm prandere debere. VI. *Ordinis*, ratione cujus nota. 1. Quia omnes cibi in Chylum mutantur, & citius cocta ab epate, liene & intestinis attrahuntur, nihil quidem quantum ipsam coctionem & cibi generationem attinet, in hominibus sanis referre, qui cibi prius qui posterius sumantur, melius tamen præmitti cibos liquidos durioribus, quod facilius in actum deducantur, & fermentatione sua reliquorum coctionem juvent; Liquidos & laxantes, adstringentibus, si os ventriculi inferius laxum non est, ne diutius in ventriculo retenti alvum segniorem faciant; Corruptione obnoxios aliis, ut orificio ventriculi laxato facilius descendant: adstringentes laxantibus, si retentrix ventriculi facultas debilis est. 2. Commodius facilè corruptibiles cibos separatim, & una vel altera ante alios hora sumi; ne, cum diversæ sunt naturæ, chylum fœdent & corrumpant.

II. *De Potu* hoc habe. 1. Tantum bibendum, ne cibus in ventriculo natet. Moderatus corpus humectat, spiritus fovet, distributione ciborum juvat, &c. Nimius calorem obruit, cruditatem parit, mentem turbat. 2. Bibendum inter edendum, post cibum licet, si è ventriculo cibus non facilè descendit; sed non nisi post integram coctionem. Durante si bibas,

bibas, coctio turbatur, & crudus cibus ad epar trahitur. 3. Jejuno ſtomacho, potus vitandus: quia nervos tentat. 4. Commodius eſt potum, qui cum cibo, ſumitur partiri, quam ſemel aut affatim eum haurire. Illo modo ſitis ſedatur, hoc fluctuationem in ventriculo parit. Sed vide de Prandio & Cœna Bernhardum Paternum, nec non Stuckium l. 1. Antiquit. Convival. c. 14.

III. *Affectus* moderati eſſe debent, ideò rationi eſt obediendum, quæ iſtos frenare ſolet.

IV. *Motus corporis* pro ratione corporum, temporis, loci & modi variare debet. Itaque 1. Graciles moderatè, robuſti validius moveantur, habitâ conſuetudinis ratione; de qua Hippocrates. Quotidianis laboribus aſſueti, etſi ſint invalidi & ſenes, inſuetis quamvis robuſtis & juvenibus, facilius aſſueta ferunt exercitia. 2. Ubi fames eſt, vel ubi cibi crudi, non laboretur, ſi hoc fiat, alimentum nondum elaboratum in diverſas corporis partes trahetur: ſi illud, calor diſſipabitur, & humores pravi ad ventriculum deducentur. 3. Motus cibum & præcedat, & ſequatur, ſed levis. Ille excrementa in meatibus anguſtis hærentia tollit; hic, cibum in fundum ventriculi deducit. 4. Qui imbecillo aut pleno ſunt capite, ſub Sole non ambulent. 5. Quies & motus alternis ſe vicibus excipiant. 6. Exercitiis finem, color in corpore, & erumpens ſudor imponat. 7. Studia ſtatim à cibo, ne calor à ventriculo avocetur, & cerebrum vaporibus repleatur, vitentur.

V. *Somnus*, quantum ad Tempus, tam diu durare debet, donec cibus ſit concoctus, Spiritus reſtaurati. Non protendendus itaque ultra novem horas, nec, ſi ſex ſit brevior, convenit. Sed nec diurnus laudatur, niſi fortè noctem bonam partem inſomnem egeris, alias cerebrum vaporibus implebit.
Vitu-

Vituperandus etiam, qui post ortum solis, qui corporis meatus suis radiis aperit, & humores ac spiritus à centro ad circumferentiam evocat, continuatur: quantum ad *Decubitum*, debet fieri super alterum latus, incipiendo à dextro, ut coctio ventriculi à calore epatis adjuvetur, cruribus & brachiis modicè contractis, capite non nihil elevato, corpore reliquo mollissimè posito: quantum ad *Locum*, vitandi sunt radii Lunares: Lectus sit mollis, ad aëris frigiditatem arcendam accommodatus. An caput tegumentis involvendum sit, in dubio relinquo.

VI. De *Balneis* hæc observa. 1. Nec frequentia nec diutina esse debere: nam calorem dissipant,& cacochymiam movent. 2. Non ineunda ante cibum concoctum, ne cruditates in corpus rapiantur. 3. Non comedendum in iis,nec bibendum. 4. Deserenda ante defatigationem, neç bibendum,vel comedendum, priusquam calor exspiravit. De lotione capitis & pedum hoc duntaxat addo. Illam in dolore capitis & catarrhis malè adhiberi; istis non obstantibus poros aperire, & fumos educere. Hanc, humores à capite avertere.

VII. Excrementa, quia quotidie cumulantur, quotidie quoque excerni debent. Itaque 1. Mox à somno fæces alvi dejiciantur. 2. Si id non fit, alvus jusculis gallinaceis, & aliis lenientibus promoveatur. 3. Tertiæ coctionis excrementa exercitationibus expellantur.

PUNCTUM III.

De sanitate senum tuenda.

S*Enum nomine illi veniunt, qui annum quinquagesimum assecuti sunt.* sed eorum ætas, *in viridem senectam*, quæ ab initio octavi Septenarii ad partem aliquam noni extenditur, *senectutem ipsam*, *senium*

& capularem ætatem dispescitur. Pars Medicinæ, quæ eorum sanitati providet, γεροντικὴ dicitur.

Tuebimur verò benè senum sanitatem, si quædam *in genere*, quædam *in specie* observaverimus.

I. *In genere* danda est opera, ut quia in senectute corpus indies magis exsiccatur, siccitas præcaveatur, & diæta in calidum & humidum vergat.

II. *In specie* I. *Aer* sit calidior & humidior. Frigidior in autumno & hyeme arte depellatur. II. *Alimentum* sit boni succi, & facilis coctionis; (quidam mel ad absumendam pituitam commendant) minore quam ante hac quantitate exhibeatur, ne major copia calorem imbecillis obruat. Ter in die potius, quam bis detur: in ejus quantitate nunquam, si possibile est, erretur. Interdum permutetur. III. *Potus* sit vel vinum tinue, fragrans, ætate medium, fulvum vel flavum, vel mulsa vel cerevisia. IV. *Animi affectus* vitentur, ne calidum illud debilius dissipetur aut suffocetur, & μαρασμὸς inducatur. V. *Exercitia* consueta non sunt omnino omittenda: leves ante cibum instituantur. Frictiones moderatæ mutatione, ut calore post somnum excitato cibi distributio felicius peragatur, laudantur. VI. *Somnus* sit longior: vigiliæ lotionibus pedum, ante somnum, & aliis hypnoticis præcaveantur. VII. *Excrementa* maturè & convenienter deponantur; & quia alvus senum ob temperamenti siccitatem est interdum adstrictior, emollientibus & abstergentibus, ut melle, ficubus, uvis passis, resinâ terebinthinâ & aliis, utantur. Vide Sebitium de Diæta senum.

ARTICULUS II.

De sanitate Intemperatorum tuenda.

INtemperatorum nomine tria hominum ab optima temperie deviantium genera intelligimus. Intemperatos

peratos nempe ſimpliciter, qui quidem exactiſſimâ ſanitate carent, ſed vitæ actiones ſatis commodè obeunt, nec ad morbum declinant. *Declinantes*, qui à ſtatu temperato verſus morbum vergunt, quod ex triplici Symptomatum genere cognoſcitur, & niſi obviam eatur, in eundem incidunt: & *Convaleſcentes*, qui à morbo iterum ſe recolligunt. Illis ὑγιεινὴ in ſpecie ita dictæ, illis προφυλακτικὴ; hiſce ἀναληπτικὴ ſuccurrit.

I. De *Intemperatis* nota 1. *In genere*. 1. Si ad ſtatum meliorem reduci non debent, ſimilibus, in genere & ſpecie, ſeu ut loquuntur quantitate & gradu, conſervandos: ſi reduci poſſunt, ſenſim contrariis aſſuefaciendos. 2. Calidam & humidam temperiem, quia naturæ noſtræ convenientem, nullo modo mutandam. 3. Siccam, in quantum poſſibile, repellendam. II. *In ſpecie*. 1. *Calidi & ſicci*, ne calorem mordacem magis accendant, vel excrementa acriora cumulent, aërem æſtuantem, cibos calidos, iram, meditationes nimias fugiant, potus ipſis ſit copioſior, ſed debilior. balneæ aquæ dulcis frequentes, ſomnus longior, calidorum & ſiccorum uſus fugiatur. 2. *Calidi & humidi*, ſi moderatè tales, temperamentum conſervent, & omnia moderata ſequantur, ne, copia excrementorum contracta, in morbis putridos incidant. 3. *Frigidi* expoſcunt & cibos calidos, qui calorem excitent, non abſumant, & excrementorum pituitoſam maturam evacuationem. 4. *Siccis*, Cibi humidi & balnea aquæ dulcis debentur. 5. *Frigidis & ſiccis*, infelix eſt conſtitutio, quæ ſomno longiore, frictionibus calorem roborantibus, non diſcutientibus, & balneo aquæ dulcis emendanda eſt. 6. In *frigidis & humidis* frigiditas corrigenda, humiditas quantum fieri poteſt, conſervanda eſt. Exercitia temperata calorem commovent, ut humido dominari poſſit.

II. *Declinantes*, qui aliàs *Neutri decidentiæ* vocantur, quia propter plathoram & Cacochymiam versus morbos vergunt, quietem primò & abstinentiam; quod si hæ non sufficiunt, venæ-sectionem & lurgationem exposcunt. Itaque Primo vere humores pituitosi & melancholici, sub ejusdem finem biliosi, sub auctumnum atrabilarii evacuentur. Aloë rosata, ex qua decies sexies in succo rosarum infusa pillulæ Aquæpendentis formantur, unâ ante cœnam hora sumatur, sed nec nimis crebro, nec nimia copia, quia epati noxia est: sufficiet, materiam in ventriculo & primis viis hærentem eduxisse.

III. Circa *Neutros Convalescentiæ* duo observanda. 1. Ne rursus in morbos incidant. 2. Ut citò pristinum sanitatis gradum recuperent. Itaque 1. Quia quæ in morbis post crisin relinquuntur, recidivas facere solent: si aliquid adhuc materiæ superfluæ adsit, per ἐπίκρασιν detrahendum, & partes roborandæ sunt. 2. Si nulla materia superest, corpus studiose alendum est alimento humido, concoctu facili, boni nutrimenti. 3. Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet; quæ brevi, repente. 4. Ea inprimis usurpanda, quæ causam imbecillitatis respiciunt, & morbosis dispositionibus resistere possunt. Et tantum de Methodo tuendæ sanitatis.

IDEÆ

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS

LIBER II.

De affectibus humani corporis præternaturalibus & eorum signis.

PROLEGOMENA.

SIc Hygieine fuit: sequitur *Therapeutice, seu pars Medicinæ altera, quæ modum affectus præter naturam Sanitatem humanam lædentes, eos benè cognitos, per certa remedia removendi, ut eadem, si possibile est, restituatur.*

Finis itaque ejus est Affectuum, si possibile est, præter naturam remotio, & sanitatis amissæ restitutio.

Partes quoque erunt duæ: 1. *Generalis*, in qua de Affectuum præter naturam natura, signis, causis, differentiis, & cura in genere, & separatim & conjunctim agitur. *Specialis*, quæ de affectibus ad partes corporis humani adstrictis agit. *Illa* in quatuor iterum dispescitur partes. In *prima* de Affectuum præter naturam natura & signis agitur. *Secunda* Medicamenta exponit. *Tertia* Methodum medendi generalem aperit. *Quarta*, primas morborum differentias & ipsarum curam collectim tractat.

TITULUS I.

De Morbo in genere.

CAPUT I.

De Morbi Natura.

AFfectus humano Corpori præter naturam infesti sunt tres: Morbus, Causa morbi, & Symptoma.

Morbus est partium viventium corporis humani ad actiones naturales exercendas, ex præternaturali earum constitutione, exorta impotentia.

Considerandа circa eum obveniunt, 1. *Subjectum.* 2. *Tempora.* 3. *Causæ.* 4. *Differentiæ.* 5. *Signa.* 6. *Eventus*: de quatuor illis hoc capite agemus, signis & eventui peculiaria destinabimus.

I. *Subjectum*, sunt partes corporis humani viventes, tam spermaticæ, quàm sanguineæ; tam quoad materiaturam, ad quam temperamentum & occultæ qualitates pertinent; quàm quoad structuram, ad quam conformatio & unitas. Interdum omnes simul, interdum plures simul afficiuntur; interdum una.

II. *Tempora* sunt quatuor. I. *Principium*, in quo crudus est morbus, nec ulla coctionis vel contrariæ corruptionis signa adsunt, omnia sunt remissiora, nisi materia agitata partem aliquam magis infestet; donec vel dissipetur, vel in ambitum corporis detrudatur, salubres denique morbi remotis causis interdum delentur. II. *Incrementum*, in quo Symptomata ingravescunt, & signa vel coctionis vel contrariæ corruptionis apparere incipiunt. III. *Status*, in quo inter morbum & naturam maxima est pugna; signa salutis & mortis manifestò se exhibent, & omnia sunt vehementia: quod si aliqua remissio apparet, fit id, quia viribus solutis natura succumbens, causis morbificis sese amplius opponere potest. IV. *Declinatio* denique, in qua morbus à natura victus mitescit, & nemo nisi vitio vel suo, vel Medici, vel morbi, qui in pejorem transiit, moritur. De istis omnibus in genere nota, 1. Singula, quia in omnibus morbis æqualia non sunt, in totidem dividi, ut principio sit suum principium, incrementum, &c. 2. Intermittentes morbos sua particularia tempora in paroxysmis habere. 3. Ægritudines hyeme

hyeme nutrimentum capientes, æſtate finiri,& contra, niſi infra dierum circuitum abſolvantur.

III. Dum de *Cauſis* agitur, non eſt res de Materia. Caret enim eadem, loco ipſius ſubjectum habens; nec de forma, hæc enim in definitione explicata eſt: nec de Fine, tum quia finem illa habent, quæ in perfectione conſiſtunt; morbus ex ipſius defectu oritur, tum quia ex accidenti generatur & creſcit; ſed de *Cauſis efficientibus*, quæ vel reſpectu ad morbum conſiderantur, vel abſolutè ſeu ut res ſunt. Illæ ſunt variæ: I. Remotæ, quæ aut agunt per modum cauſarum προκαταρκτικῶν, quæ 1. vel ſunt in corpore, vel extra corpus, ideo cum externis non recurrunt. 2. Externæ, quod non ſint in illis, quæ corpus noſtrum conſtituunt, dicuntur. 3. Cum cauſæ manifeſtæ, ut gladius &c. proximè morbum inferre poſſint, cum iiſdem identificantur. 4. Latentes in corpore cauſas excitant & movent, ita ut ad ſenſum corpus noſtrum afficiant, ut vigiliæ. 5. Suapte natura magnum morbum procreare non poſſunt: Aut agunt per modum cauſarum προηγουμένων, ſeu Antecedentium, quæ diſpoſitiones in corpore abditas, quas morbus inſequi poteſt, quæ tamen cum eo conjunctæ non ſunt, continent, potentia agendi duntaxat definiuntur, in morbis cum materia conjunctis tantum habentur: quia denique internæ, ut ad morbum relatæ & antecedentes & conjunctæ eſſe poſſunt, cum iis non recurrunt. II. Proximæ, quæ morbis proximè in corpore humano inhærent, ita ut poſitis illis ponantur, ſublatis tollantur. Hinc continentes & conjunctæ dicuntur. III. Per ſe, quarum viribus morbus exſiſtit; & Per accidens, quæ eundem alterius interventu excitant. IV. Privativæ, quæ per abſentiam; & Poſitivæ, quæ per præſentiam agunt. V. Communes & Propriæ. VI. Externæ denique & internæ, de quibus inferius agemus.

 IV. *Dif-*

IV. *Differentiæ morborum* vel ſunt *Eſſentiales* & primariæ, de quibus & earum cura, quinto libro agetur; vel *Accidentales*, quæ à *Numero*, *Magnitudine*, *Duratione*, *More*, *Eventu*, *Ordine*, *Subjecto*, *Cauſſis*, *Anni temporibus* & *Loco* ſumuntur. I. *Ratione Numeri*, morbus eſt 1. *Vnus*, qui unam partem, vel plures, verum ſine ulla interruptione occupat: qui, vel eſt Simplex, qui cum nullo alio morbo conjungitur, & unius duntaxat ſpeciei ſimplicem naturam accepit; vel *Compoſitus*, qui ex pluribus morbis in eadem parte concurrentibus conſtat, ſive ii ſint ejuſdem generis, ſive non; quod ſi cum cauſa aut graviore Symptomate connectitur, *Comitatus* dicitur; ſicut *Solitarius*, quem neque cauſa, neque ullum grave ſymptoma inſequitur. 2. *Multi*, quorum unus non inhæret parti quam alter occupat, & hi vel communi actioni nocent, & *Complicati* ſeu *Impliciti* dicuntur: vel unus ad alterius generationem aliquid confert, & *Connexorum* nomine veniunt. 3. Per *Sympathiam*, qui exſiſtit, vel cum pars humorem vel vaporem aliunde ſuſcipit, vel cum ſuſcipere cogitur materiam, qua vacua eſſe debebat; vel cum Spiritus animæ actionibus neceſſarium inſtrumentum influere prohibetur, vel cum materia ad actionem neceſſaria denegatur: hoc verò accidit, vel propter ſympathiam partium, quæ eſt vel generis, vel per nervos ac membranas continuitatis, de qua eleganter Paralip. p. 39 Sennertus, vel unius operis, vel vicinitatis, vel propter earundem robur ac debilitatem: hinc enim fit vel Diadoſis à parte nobili ad ignobiliorem, vel Metaſtaſis ab ignobiliori ad nobiliorem. 4. *Disjuncti*, qui in ſejunctis partibus hærentes nec eidem actioni nocent, nec ad mutuam generationem quicquam conferunt. II. *Ratione Magnitudinis*, morbi ſunt 1. *Parvi*, qui vel actionem minus mediocriter, quam ſeu à tota ſua ſpecie, ſeu in

una-

unaquaque facere ſolent, lædunt, vel partibus ignobilioribus inhærent. 2. *Magni*, qui vel conſtitutionem & partem magis ad vitam neceſſariam lædunt, vel à ſtatu naturali maximè recedunt, vel pravam qualitatem conjunctam habent, vel facultatem ex cujus læſione vitæ periculum oboritur dejiciunt, vel magnum ſpacium occupant. III. *Ratione Durationis* ſunt morbi, 1. *Longi*, qui tardè moventur. 2. *Breves*, qui citò. 3. *Continentes*, qui uno ſemper motu moventur, donec plenariè finiantur. 4. *Continui*, qui quidem continuò affligunt, ſed per intervalla intenduntur & remittuntur. 5. *Intermittentes*, qui periodos & paroxyſmos, inque iis typos ſuos habent. 6. *Acuti*, qui decimo quarto; *Peracuti*, qui ſeptimo; *Perperacuti*, qui quarto; *Acuti ex decidentia*, qui quadrageſimo die terminantur. 7. *Critici*, qui mutatione magnâ per evacuationem vel tranſlationem finiuntur. 8. *Non Critici*, qui paulatim diminuendo ſolvuntur. IV. *Ratione moris*, ſunt 1. *Benigni*, qui nullum grave ſymptoma præter naturam habent. 2. *Maligni*, qui aliquid de occultis traxere. 3. *Peſtilentiales*, qui per contagium afficiunt. V. *Ratione Eventus*, ſunt. 1. *Salutares*, qui ad ſalutem terminantur. 2. *Dubii*, à quibus multi ſanantur, & multi intereunt. 3. *Lethales*, qui ſemper aut magna ex parte perimunt, ſeu quod actionem per quam vita eſt tollant, ſeu quòd à materia pepaſmi experte inducantur, ſeu quòd focus eorum tam longè abſit, ut eò medicamenta integris viribus pervenire nequeant. VI. *Ratione Ordinis*, ſunt 1. *Ordinati*, qui typum ſuum ſervant. 2. *Erratici*, qui eum negligunt. 3. *Recidivantes*, qui cum putabantur eſſe penitùs finiti, denuò revertuntur. VII. *Ratione Subjecti*, ſunt 1. *Univerſales*, qui totum corpus afficiunt. 2. *Particulares*, qui partem unam vel plures. 3. *Cognati*, qui temperamento, conſtitutio-

ni corporis, ætati, tempori, &c. congruunt. 4. *Minus cognati*, qui iisdem adverſantur, ſunt *Virorum*, *Mulierum*, *Infantum*, *Puerorum*, *virorum*, *Senum*. VIII. *Ratione Cauſarum* ſunt 1. *Exquiſiti* ſeu *Legitimi*, qui ab una & ſimplici cauſa proveniunt. 2. *Nothi* ſeu *Spurii*, qui ex miſtis humoribus excitantur. 3. *Hæreditarii*, qui vitia ſeminis aut ſanguinis materni pullulant. 4. *Congeniti*, qui à primo ortu vitio conformationis contingunt, etſi parentes eo morbo non laborarunt. 5. *Adſcititii*, qui caſu quodam accidunt. 6. *Fientes*, qui jam producti ſine exſiſtente materia perdurare non valent. 7. *Facti*, qui cauſis remotis ſuperſunt. IX. *Ratione temporum Anni*, ſunt Verni, Æſtivi, Autumnales, Hyëmales. X. *Ratione Loci*, ſunt. 1. *Sporadici*, qui inter ſe ſpecie diſcrepantes, diverſos homines, eodem tempore, & eadem in regione prehendunt. 2. *Communes* ſeu Pandemii, qui nunquam niſi in aliqua regione tantum, aut qui quandoque in una, vel in pluribus, multos eodem tempore invadunt. 3. *Endemii* ſeu vernaculi, qui niſi unam regionem tantum, aut locum ſemper, vel potiſſimum infeſtant. 4. *Epidemii*, ſeu *vulgares*, qui certo quodam tempore, nunc in una, nunc in pluribus regionibus, multos ſimul infeſtant, & plerumque peſtilentes ſunt.

CAPUT II.

De Morbi Signis diagnoſticis.

SIgna morbi diagnoſtica, reſpiciunt 1. Morbum in ſe. 2. Tempora morbi. 3. Partes affectas. 4. Differentias morbi. 5. & denique Omnia illa promiſcuè: ſuntque vel pluribus & diverſis communia, vel uni morbo propria, quæ aut inſeparabilia ſunt, aut propria & inſeparabilia ſimul, vel Pathognomonica, & morbo

morbo essentialia, cumque eo recurrentia; vel Assidentia & supervenientia.

I. *Morbus in se cognoscitur* 1. *Ab essentialiter inhærentibus*; in externis facillimè, ut aliis signis opus non sit; in internis, mediantibus aliis. 2. *A Causis*, quæ vel adsunt, vel præcessere. 3. A corporis dispositione, quæ ab hæreditate, ætate, sexu, vitæ genere, victus ratione, & intermissa evacuatione pendent. 4. *Ab Actionibus naturalibus*, *vitalibus*, *animalibus*, quæ læduntur, abolentur, imminuuntur, depravantur, & quidem vel subitò, vel lento. 5. *Ab Excretis*, Urina nempe, fecibus, sudore, sputo, &c. 6. *A qualitatibus corporis mutatis*, colore, odore, &c. quæ tamen causam potius quàm morbum significant.

II. *Tempora morbi*, quorum cognitio vel ratione status, in quo cretionis perfecta signa apparent; si quæ apparent, & bonæ fiunt crises, est necessaria, cognoscuntur 1. *A Morbi Idea*, sive ille longus, sive brevis. 2. *Ab Anni tempore*, *victu*, *regione*, *temperamento*, *viribus*, *& similibus*. Calidiora calidorum & acutorum morborum causæ sunt. Virtus fortior in morbo non lethali, morbum brevem & statum in propinquo; in lethali, longum significet. 3. *A paroxysmorum mutationibus*, in quibus eorundem anticipatio, postpositio, duratio & vehementia observandæ: de quibus etiam vide Authores. 4. *A morborum symptomatibus*, quæ in principio levia, in statu maxima. 5. *A Coctione & Cruditate*, quæ vel est uni morborum generi propria, ut sputum in pleuritide, vel pluribus communis.

III. *Partes affectæ* cognoscuntur 1. A causis quæ assumuntur, geruntur, retinentur, foris adhibentur. Quædam magis uni parti quàm alteri infesta sunt; quâdam etiam tempestate pulmo maximè afficitur, aliâ ventriculus, &c. 2. Ab essentialiter

inhæ-

inhærentibus, seu partis proprietate, & morbis partibus inhærentibus. 3. Ab Actionibus læsis, nisi ab errore externo lædantur, Dolore inprimis, de quo in sequentibus peculiari capite agemus. 4. Ab Excretis, in quibus substantia, quantitas, qualites, & mistura observanda sunt. 5. A qualitatibus mutatis.

IV. *Differentiarum morbi* primarum & essentialium signa, libro quinto explicabuntur; ratione Accidentalium, quas superius posuimus, nota I. *De Morbis per Sympathiam*, 1. Eos cum primario affectu decrementum & incrementum suscipere, & primo ab affectu deseri. 2. Non continuò, sed per intervalla, nisi materia continuò suppeditetur, infestare. 3. Ex adhibitis alteri juvantibus vel lædentibus, juvari, vel lædi. II. *De Morbis Acutis*, eos mox à principio, ac primis tribus diebus extremos protinus labores habere, & gravia symptomata, quòd à calidis, acribus, tenuibus, & mobilibus humoribus, qui naturam vehementer lacessunt, exoriantur, inferre. III. *De Morbis Malignis*, 1. Eos à causis tota substantia peccantibus, tam externis quàm internis oriri. 2. Ægrum in iis sæpè esse inquietum, quamvis nullum vehemens aut periculosum symptoma referre possit; à principio sæpe graviore somno detineri, sudoribus & aliis excretionibus non levari, sine causa horrere, incalescere, sanguinem stillare; cætera verò febre quasi lentâ cum signis quasi salutis detineri, ex levi occasione animi deliquiis agitari. Cum linguæ nigredine & asperitate non silere. 3. Eosdem post levem remissionem malignitate se per humores diffundente, celerrime & vehementissime exacerbari. 4. In iisdem dolores qui aderant, absque excretione aut abscessu remittere, pulsum respectu caloris febrilis insolitam parvitatem cum inæqualitate & frequentia habere.

V. Omnia

V. Omnia ista promiscuè respicientia signa, Urinarum & Pulsuum differentiæ suppeditent.

I. *Vrinarum* differentiæ à *Consistentia*, *quantitate*, *qualitate*, *permistis* & *contentis* sumuntur. Itaque 1. *Quantum ad Consistentiam*, *Tenuis* indicat potum nimium, validam renum & Ureterum obstructionem, & nativi caloris ex intemperie sola penuriam. Salis, qui è cibo resolvi solet, defectum. *Crassa*, caloris per humorum exsuperantiam appressionem. *Mediocris*, calorem vegetum, exquisitam jecoris venarum, & ventriculi concoctionem. *Perspicua & clara*, integram concoctionem, humorum bonitatem, unde hypostasin postea secernit. *Turbata*, quæ à Frigore externo talis est, & calore corrigitur in febribus coctionis rudimentum. *Turbida*, quæ talis emittitur, renum vel vesicæ affectus. Crudorum crassorum, & viscidorum humorum, è quibus flatus crassi & multi producti, urinæ permiscentur, & materiam descendere prohibent, copiam, subitam obstructionem lienis, jecoris, venarum, renum, &c. solutionem, si subito accidat. *Confusa*, quæ tota sui similis, nec quicquam hypostaseos obtinet, venarum affectus, & propriè sanguinis & humorum, qui in venis majoribus sunt, confusionem, corruptionem, & putredinem; ideò in solis febribus, illisque continuis & malignis deprehenditur. *Pinguis*, humoris alimentarii qui ad partes adfluit inquinationem, ut in substantiam partium cedere non possit, ad quod exsolutio sequitur. II. *Quantum ad Quantitatem*, *Multa* significat immoderatum potum, Medicamenta diuretica, frigidam intemperiem, & frigus exprimens, victum humidum, renum calorem allicientem, aquam in aliquo loco conclusam, corporis in liquorem sive sponte, sive vi caloris resolutionem, cui pinguedo conjungitur. *Pauca* ostendit, potum paucum vel austerum, Sudores nimios, copio-

ſam alvi dejectionem, Renum, ureterum, cervicis, veſicæ obſtructionem. Febrilis caloris, vehementiam, potus in nutrimentum corporis abitum, quod convaleſcentibus interdum accidit. III. *Ratione Odoris*, *Odorata* innuit terebinthinæ, moſchi, ſilphei, &c uſum, ab internis cauſis vix unquam talis, *Fœtida* eſum putris caſei, allii, ulcus renum, pudendi, colli veſicæ, putredinem humorum ſi recens, ſubſtantiæ, ſi diuturnus eſt fœtor. IV. *Ratione coloris. Alba ſi tenuis* & *perſpicua*, indicat potum tenuem & copioſum, Meſenterii, jecoris, aut renum validam obſtructionem, ſummam coctionis imbecillitatem, bilis defectum, & aliquando ad ventrem, caput, partem aliquam in habitu corporis aſcenſum; ſi *craſſa*, & *obſcura* ſeu lactea, pituitæ craſſæ exſuperantiam. *Rubra*, ſi ſimul *perſpicua*, calorem jecoris vel febrem; ſi *craſſa*, flavæ aut vitellinæ bilis permiſtionem, jecoris phlegmonem, aut exquiſitum ſcirrhum. *Crocea*, Rhabarbari, croci, vel fœniculi uſum, follis felliculi obſtructionem, & tum lintea immerſa colorem referunt. *Cruenta*, Epatis atoniam, Renum & lumborum ulcus & contuſionem. *Vinea* & *paſſea* ſanguinis aduſtionem, & in atram bilem mutationem. *Viridis*, bilem æruginoſam. *Livida*, plagas, melancholiam, nativi caloris extinctionem. *Nigra*, ſi ex *nigra & viridi* componitur, ſummum incendium & bilis atræ permiſtionem; ſi ex *cærulea & livida*, caloris extinctionem, niſi criſi effundatur. V. *Ratione permiſtorum*, *Corona*, quæ ſupremam faciem ambitu cingit, qualis in vaſis majoribus ſit ſanguis, albedine, rubedine, & lividitate oſtendit. 2. *Spuma*, quæ citra agitationem, flatuum eſt teſtis. 3. Bullæ *magnæ & perſeverantes*, craſſos & viſcoſos humores, nec non flatus indicant. *Levi de cauſa ruptæ*, tenuiores, *parvæ*, per coronam, capitis totius dolorem ſi per totam; dimidii, ſi per dimidiam; acrem ſi aureæ,

mitem si albæ; diuturnam, si diu permanentes. *Granis similes* in corona sitæ & agitatæ, descendentes à capite in infimas partes destellationes demonstrant. 4. *Pinguedo* telis aranearum similis, pinguedinis vel renum vel totius consumtionem indicant. 5. *Ferfurosa* si subsident, vesicam scabie laborare; si in tenui apparent, substantiam solidum intertrimentum per flammeum ardorem deperdere, innuent. 6. *Squammulæ*, cum odore gravi, vel vesicæ exulcerationem, vel tunicarum in vasis & solidarum partium per ardorem colliquationem testantur. 7. *Farinacea*, idem volunt. 8. *Carunculæ*, à vulneratis sunt renibus. 9. *Filamenta*, à vasis seminariis, in mulieribus, vel mensium albore, vel fœda uteri colluvie laborantibus. 10. *Sanguis*, à recenti renum vel alicujus visceris ulcere. 11. *Pus*, ab inveterato & sordido, vel in renibus, si sine ullo sensu doloris, & bene urinæ permistum est; vel à cervice vesicæ, si cum dolore, & minus benè: ubique subsidet. 12. *Arenulæ*, si *flavæ* & *rubræ*, à renibus; si *albæ*, à vesica; si *purè obductæ*, à sordido vesicæ ulcere; si *superficiei innatant, & lateribus adhærent*, ab epatis calore, & sanguinis adustione. 13. *Semen* vasorum spermaticorum noxam indicat, & urinæ innatat. VI. *Ratione Contentorum*, quæ debent esse in sanis alba, lævia, æqualia, pyramidalia. 1. *Paucum*, ab alteratricis imbecillitante, intemperie, humorum multitudine vel crassitio, substantiæ per causas externas dissipatione proficiscitur. 2. *Multum*, à consuetæ evacuationis suppressione, si simul crassum ac crudum est; ab alimentorum & facultatis robore, si substantia & colore mediocre. 3. *Crassum*, à materiæ crudioris copiâ, vel diuturnorum morborum crisi. 4. *Tenue*, à cruditate vel coctionis initio. 5. *Spiceum*, *aureum*, *rubrum*, à bilis in venis exsuperantia, & sanguinis incendio. 6. *Venetum*, *lividum*, *nigrum*, à caloris

loris extinctione, sanguine corrupto, & atro humore.

II. *Pulsuum* multæ sunt differentiæ, quæ subtilitates Herophileas resipiunt: prudentiores tribus differentiis sunt contenti. *Æquali* & *inæquali*, *veloci* & *tardo*, *valido* & *debili*. Ex his *Æqualis* naturæ firmitatem significat. *Inæqualis* vel vasorum obstructiones & compressiones, vel humorum abundantiam indicat. *Velox* usum auctum, vires adhuc fortes, aut certè non admodum debiles, innuit. *Tardus* contrarium indicat. *Validus* facultatem fortem, & interdum irritationem magnam, monstrat. *Debilis* vel spirituum dissipationem, vel virium oppressionem indicat.

CAPUT III.

De Morbi eventu.

E*Ventus morbi quatuor innuit*: 1. *Terminationem morbi*. 2. *Tempus terminationis*. 3. *Modum terminationis*, & 4. *Cognitionem horum omnium*.

I. *Terminatur* morbus vel ad salutem, vel ad mortem. Unde eventus vel est salutaris, vel lethalis.

II. *Temporis* respectu terminatur vel citò, vel tardè.

III. *Modus terminationis* est triplex. Terminatur enim morbus, *vel per solutionem*, quando sensim per coctionem & alterationem sanitas redit: *vel per Marasmum*, quando paulatim ad mortem convertitur: *vel per Crisin*, quando aut subitò & perfectè morbus solvitur; aut subita fit ad melius mutatio, quam tandem sanitas excipit; aut æger subitò moritur, vel morbus subitò in pejus mutatur, quam mutationem mors excipit. Circa *Criseos verò naturam*, seu Definitionem, Causas, Differentias, Modos

&

& Dies hæc nota. I. Eam nihil aliud esse, quàm subitam in morbis, cum conturbatione & evacuatione, per excretionem vel translationem, certis diebus factam, & ad salutem vel mortem tendentem mutationem. II. *Oriri* ratione conturbationis, seu criticorum illorum Symptomatum congeriei ab agitatione ac molestia humorum quam corpori pariunt, provenientis ab astrorum influxu; & causa interna tum naturam tum materiam irritante; ratione *Evacuationis*, à vi expultrice, quæ vel copiâ vel qualitate materiæ irritata, id quod molestum est, Criticè expellit, ope fibrarum & præcipuè spirituum & calidi innati. III. *Differentias* varias habere. Est enim *Bona*, quæ ad salutem tendit, *Mala* quæ ad mortem. *Fida* absque recidivæ metu. *Infida*, quæ eandem minatur. *Tuta*, quæ est sine periculosis Symptomatibus. *Periculosa*, quæ fit per partem principem. *Perfecta*, quæ morbum integrum tollit. *Imperfecta*, quæ ejusdem aliquid relinquit. Ἔυσημος, quæ sui habet præcedentibus diebus indicia. Ἄσημος, quæ insperato ingruit.

IV. *Fieri vel per Excretionem*, per hæmorrhagiam narium, vomitum, sudorem, alvum, urinam, hæmorrhoides, menses, plura loca: *vel per materiæ translationem*; vel *per materiæ concoctionem*, quod fit in pueris, qui in somno crudos succos concoquunt. V. *Dies certos* habere, qui sunt. 1. Vel *Critici simpliciter*, seu septimus quisque ut 7. 14. 20. 27. 34. 40. Non enim integri dies sumuntur, sed breviores. 2. Vel *Indicatorii*, à quibus monstratur Crisis futura, & sunt cujusque septimanæ medii, ut 4. 11. 17. 24. 3. Vel *Intercalares*, in quibus ex accidenti & contra naturam crisis fit, & sunt, 3. 5. 9. 13. 19. 4. Vel *Vacui*, seu *Medicinales*, in quibus vel nulla, vel imperfecta & mala crisis accidit; ut sunt, 6. qui tyrannus est. 8. & 10 illo minus pericu-

losiores. Quòd verò istis diebus tales mutationes accidere solent, facit id 1. Lunæ progressus tum ad signa quadrata & opposita, tum ad sextilem vel Trigonum. 2. Motus & dispositio humorum, quæ causa est, quod crisis nunc citius nunc tardius accidat. 3. Natura corporis, quæ à Lunæ motibus adjuta, & ab humoribus à Luna concitatis irritata, pugnam cum materia morbifica aggreditur, eam expellit, & crisin efficit.

IV. *Eventus morbi cognitio* quatuor respicit, 1. *Eventum ipsum in genere*. 2. *Terminationem*. 3. *Tempus terminationis seu Durationem*, & 4. *Modum*. Signa quæ eum ostendunt, *Prognostica* dicuntur, & inter ea præcipua, quæ cruditatem vel coctionem testantur. 1. *Eventus morbi cognitio in genere*, à collatione virium naturæ & morbi dependet, quo & status morbi prævisio multum facit. *Vires* tum ex causis suis, tam proximis, partium nempe naturali intemperie, conformatione & unitate, constitutione; quàm remotis, sex nempe non naturalibus; tum ex effectis, actionibus nempe, excretis, & qualitatibus mutatis, judicantur. *Morbi robur*, ex essentialiter inhærentibus, causis tam externis quàm internis, juvantibus, & effectibus seu morbum consequentibus dependent. Hic nota. 1. Sæpè ex multis parvis signis, quod maximum est colligi. 2. Sæpè unum fortius plus in significando valere, quàm plura debilia. 3. Quia quædam signa meliora vel pejora sunt, quatenus cum viribus vel fortibus vel debilibus conjunguntur, ideò signatum cum viribus ægri, tum inter se comparanda esse. 4. Dignissima illa esse, quæ facultatis vitalis robur, vel imbecillitatem indicant. 5. Sæpe apparentibus aliquibus coctionis signis, ob aliquam malignitatem, quæ se in pulsu debili, & lingua arida, &c. exserit, ægrum perire posse. 6. Quò minora & pauciora sunt Symptomata, eò debiliorem esse

esse morbum, & contra. 7. Minus periculosè ægrotare, quorum vel naturæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori similis est morbus, quàm quibus horum nulli affinis exsistit. 8. Majus esse periculum, cum humores turgentes peccant, quàm cum quieti; modò hi non parti quieti inhæreant; cum morbus diuturnum & frequens in victu aut aliis rebus non naturalibus, erratum sequitur: cum humores sunt misti, quàm quando simplices: cum materia solida peccat, quàm quando liquida, &c.

II. *Terminatio Morbi*, & utrum is futurus sit salutaris an lethalis, ex actionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus, excretis, & qualitatibus mutatis colligitur; non quod ista statim salutem vel mortem indicent, sed quod aut spem salutis promittant, aut metum mortis incutiant. Itaque I. *Ratione Actionum Naturalium.* I. Bonum spem facit. 1. Si benè se æger ad ea quæ offeruntur habet, quia facultatem naturalem se rectè habere significat. 2. Si ea, quibus per sanitatem delectabatur, comedit. II. Malum eventum minantur. 1. Si exsolutis viribus cibos æger appetit, id enim moribundis accidit, & vel ob humorem acidum ad ventriculum delabentem, vel ob maximam corporis à morbo resolutionem obvenit. 2. Si intensissimè sentit, quia id à magno in visceribus incendio provenit. 3. Si cibos in morbis acutis fastidit, & cætera perniciosa signa adsunt. 4. Si in ardentibus linguâ exsistente aridâ, non sitit, quia vel delirium, vel exsolutionem facultatis appetentis significat, nisi ventriculus ab humore de capite delabente humectetur. 5. Si sitis, quæ in acuto morbo fuit, nulla ex ratione, lingua sicca manente, urinis crudis, tollitur & solvitur, quia sensum elanguescere indicio est.

II. *Ratione Actionum vitalium.* I. Bonum signum præbet. 1. Si pulsus à naturali Symmetria

non multum recedit, & alia bona ſigna adſunt. 2. Si mutatio in pejus, ſi quæ in eo accidit, ob cauſam aliquam evenit. 3. Si nulla vel lipothymia, vel cordis palpitatio adeſt; vel ſi adeſt, per conſenſum infertur. 4. Si reſpiratio ſecundùm naturam ſe habet, & alia bona ſigna adſunt, quia inde nec thoracem, nec pulmonem, nec præcordia affici colligitur. 5. Si eadem magna & velox; quamvis enim magnam fuliginoſorum excrementorum copiam ſignificet; organorum tamen promtitudinem & facultatis robur ſimul indicat. II. Metum incutit, 1. Pulſus, ſeu is languidiſſimus, tardiſſimus & rariſſimus, qui omnium peſſimus; ſeu minimus & molliſſimus, & duriſſimus; ſeu frequentiſſimus, at non celerrimus, neque maximus. 2. Reſpiratio magna & velox, quia hæc ſolis mente motis competit: magna & frequens, quia alicujus ex reſpirationis inſtrumentis, dolorem aut inflammationem ſignificat; magna, cum multo intervallo, quia delirii ſignum eſt. 3. *Reſpiratio parva & velox*, quia à fuliginoſorum excrementorum copia, cum dolore aut inflammatione alicujus ex organis reſpirationis procedit; *parva & tarda*, quia facultatem debilem prodit. *Parva & obſcura*, ut æger vix ſpirare videatur, quia virtutis exſolutionem innuit; *parva, obſcura & frequens*, quia à dolore aut inflammatione partis alicujus ad reſpirationem neceſſariæ provenit; *parva & rara*, quia ſummam virium debilitatem ſignificat, ideò tum ſpiritus frigidus efflatur. 4. *Reſpiratio ſublimis*, in qua thorax maximè dilatatur, & quod inſpiratur paucum eſt, ſed ſimul ob urgentem neceſſitatem denſiſſimum & frequentiſſimum, quia talem Hippocrates morti proximam facit. 5. *Reſpiratio cum ſtertore*, inprimis ſi cum aliis perniciosis ſignis conjungitur, quia talis morientium eſt.

III. *Ra-*

III. *Ratione Actionum animalium.* 1. Spem bonam faciunt 1. *Mentis constantia*, quæ etsi ad salutem non sufficiat, cum multi mente constantes moriantur; in morbis tamen, quibus cerebrum vel per se, vel per accidens afficitur, mala est. 2. *Decubitus consueto & naturali similis*, si nempe æger in alterutrum latus decumbit, manibus, cervice, cruribus, parum inflexis, corpore erecto, non ad pedes prolapso. 3. Tremor paralysi succedens, quia naturæ morbum vincentis, vel minuentis, indicium est. II. *Metum incutiunt*, 1. *Delirium*, quod, etsi nullum tutum sit, cum risu tamen & bonis signis conjunctum, leve nec continuum tutius; continuum & vehemens periculosius; audax & temerarium pessimum: simul tamen & alia signa, pulsus scilicet respiratio, & alia, observanda. 2. *Somnus & vigiliæ*, si modum excedant. 3. *Coma*, si in principio & vigore morbi accidat. 4. *Auditus læsio*, si à malis evacuationibus vel viribus labascentibus obveniat. 5. *Stupor*, quia vel humoris vitiosi ad Cerebrum delati, vel caloris nativi extincti indicium est. 6. *Dolores*, qui *mali*, si in initio crudâ adhuc materiâ, partes principes affligunt; si morbus ab iis non minuitur; si mox evanescunt, vel ad partes nobiliores ab ignobilioribus transeunt; si in aliqua parte non sentiuntur, malè enim tum mens constat. Eadem Lassitudinis cum doloribus ratio. 7. *Convulsio*, quæ *periculosa*, si in ea contractio vehementior & diuturnior, si plures & cerebro viciniores partes occupat, si à sanguinis fluxu aut hypercatharsi oritur; si febribus acutis, phrenitidi, ileo aut vigiliis succedit: *Minus periculosa*, si pueris contingit, si ob nimium motum materiæ ad caput aut nervosum genus facta est, si propter morsum ventriculi ab acrimonia

humoris, aut medicamento, aut contentione in vomendo oritur, nec diu perſeverat. 8. *Singultus*, qui *periculoſus*, ſi in morbis poſt nimiam inanitionem accidit, ſi cum inflammationibus & febribus, in ſenibus præſertim, maximè ſi ſigna alia pernicioſa adſunt, jungitur. 9. *Tremor*, qui *malus*, ſi in principio morborum præſertim longiorum ſine cauſa incidit, & aliis gravioribus Symptomatibus jungitur. 10. *Horror* & *Rigor*, ſi in initio morborum crudâ materiâ oboriuntur. 11. *Torpor*, qui perpetuo malus eſt, & citra febrem, Apoplexiam; in febribus, ob caloris nativi extinctionem, inſigne periculum portendit. 12. *Vox*, quæ ſi clangoſa, periculoſa eſt; ſi *Nulla*, lethalis eſt, niſi Critica evacuatio ſequatur.

IV. *Ratione Excretorum & Retentorum.* I. *Spem bonam faciunt*, 1. *Vrinæ*, tenues cum colore bono. craſſæ ſi prius fuere tenues, & poſt principium minguntur, ſubrubræ, ſubcroceæ, ſubluteæ, ſubrubræ, cum ſedimento ſubrubro. 2. *Vomitus*, qui naturæ morbi reſpondent, quia morbum vel tollunt, vel imminuunt. 3. *Sudores*, ſi coctione jam facta accidunt, ſi ſunt calidi, & copioſi, ſi ex tota corpore fluunt, & morbum minuunt. II. *Metum incutiunt* 1. *Vrinæ tenues & ruffæ*, quia crudum morbum ſignificant: *turbidæ non reſidentes*, quia in imbecilli mortem, in validiore longitudinem morbi portendunt. *Albæ*, ſi perſeverant. *Nigræ*, ſi in acutis obveniunt. *Oleoſæ*, *virides*, quarum ratio ſuperius reddita eſt. *Sedimento*, *enæoremate*, *& nubecula carentis*, niſi æger vel inediam paſſus fuerit, vel vigilaverit, vel bilioſus ſit. *Craſſæ abſque ſedimento.* Cum ſedimento farinaceo, furfuraceo, ſquammoſo, &c. 2. *Alvi dejectiones ſiccæ*, quia à caliditate ignea proficiſcuntur, & ſi ſimul nigræ ſunt, ardentem circa medium corporis affectum indicant. *Aquoſæ*, quia à cruditate magna oriuntur, & in morbis bilioſis, cum urinis malis, le-

thales ſunt; in mitioribus longum morbum ſignificant. *Exiguæ*, *& ſæpe egeſtæ*, quia retentricis debilitatem innuunt. *Pingues*, quia corporis exſolutionem indicant. *Spumoſæ*, quia defluxionem à capite, & vermes in inteſtinis oſtendunt. *Albæ*, quia vel meatus per quem bilis ad inteſtina deſcendit obſtructionem, vel hujus ad partes ſuperiores motum portendunt. *Rubræ*, quæ per ſe pernicioſæ, niſi naturæ victoriam ſequantur. *Nigræ*, ſi ab atra bile, quia lethales ſunt, niſi aliorum admiſtione temperentur; ſi à ſanguine concreto, vel humore melancholico, non ſemper ſunt malæ. *Virides & æruginoſæ*, ſive illæ à bile æruginoſa ad atram tendente, ſive à parte aliqua principe & viſcere Eryſipelate laborante excernantur. *Lividæ*, quia partium inferiorum vehemens frigus ſignificant. *Fœtidæ* denique, quia putredinem adeſſe ſignificant, & febres putridas prænunciant. 3. *Vomitus*, ſi in principio morbi nondum concoctâ materiâ fiunt, & aliis malis ſignis conjunguntur, ſive illi ſint ſinceri, pallidi, lividi, ſive nigri, graveolentes, ab Ileo, exigui, &c. 4. *Sudores*, ſi morbo crudo, nimis copioſi vel pauci, & frigidi accidunt; nec ex toto corpore exeunt. Vide Hippocratis aphoriſmos.

V. *Ratione qualitatum mutatarum*, I. *Bonam ſpem facit*. 1. Totus corporis *habitus*, ſi non multum ſano diſſimilis redditur. 2. *Hypochondria*, ſi dolore vacant, & ſunt mollia, ex utraque parte æqualia, non extenuata. II. Metum *incutiunt*. 1. *Totus habitus corporis*, ſi nihil in morbo mutatur, quia longitudinem id indicat, ſi extenuatus, in declinatione cibo non reficitur, quia id recidivam minatur, ſi in acutis morbis intumeſcit, quia calorem epatis debilitatum indicat, niſi Criticè humores aliquò detrudantur. 2. *Facies*, eaque *Hippocratica*, in qua naſus acutus, oculi concavi, adſtricta tempora, aures frigidæ, contractæ, fibræ earum inverſæ, cutis circa

frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis, aut niger; inprimis in principio morbi, nisi à causa evidente talis evaserit, & per diem & noctem emendetur. *Coloratior*, quia affectionem valdè calidam in Cerebro denotat, nisi hæmorrhagiæ narium, aut abscessus post aures futuri sit indicium. *Viridis, livida, nigra*, quia caloris nativi extinctionem significat, inprimis si citiùs, & absque causa evidenti appareat. 3. *Oculi*, & ii *Lucem refugientes*, quia cerebrum læsum ob spirituum dissipationem, & capitis debilitatem significant. *Tumidi & prominentes,* quia vel musculorum resolutionem, vel humorum, vaporum, & spirituum illic confluentium copiam denotant. *Cavi*, quia absunt à calore, quæ oculi orbitam replet substantia tales redduntur. *Feroces & horridi*, quia delirantium & phreneticorum proprii, plerumque convulsionis, vel etiam mortis cum aliis signis sunt indices. *Fixi & stabiles*, quos *Concretos* dicunt, quia ob convulsionem & cum malis signis mortem significant. *Perversi*, quia convulsionem indicant. *Alter altero minor*, quia facultatem eum regentem extingui pronunciat. *Venulas lividas & nigras habentes*, quia malorum humorum copiam ad cerebrum ascendere, caloremque nativum extingui innuunt. *Candidum in rubrum conversum gerentes*, quia & copiam & fervorem sanguinis in membranis, vel inflammationem earum significant. *Involuntariè lacrymantes*, quia certam retentricis imbecillitatem denotant. *Non planè clausi*, quia id vel ob musculi oculorum convulsionem, vel ob facultatem adeò debilem, ut palpebras attollere nequeat, accidit. 3. *Dentes*, si inconsueti strident, quia insaniam vel mortem significant, si humore glutinoso obducuntur. 4. *Nasus*, & is *perversus*, quia convulsionem denotat. *Acutus*, quia magnam virium imbecillitatem arguit. *Pruriens præter consuetudinem*, nisi im-

minentem

minentem hæmorrhagiam pronunciet, quia futurum delirium, propter humorum & vaporum ad caput ruentium copiam, portendit. 4. *Aures lividæ, nigræ, contractæ, frigidæ*, quia caloris nativi extincti indices ſunt. 5. *Lingua arida, dura, nigra*, ſi cum aliis ſignis appareat, ægerque non ſitiat, quia vel delirii, vel extinctæ facultatis, & proinde mortis ſignum eſt. 6. *Hypochondria*, eaque *Inflammatione aut dolore vexata*, intenta, inæqualia, extenuata, quia aut ingentem quandam ſiccitatem, aut flatum, aut inflammationem partis in iis ſitæ ſignificant. *Pulſantia*, qui aut caput inflammatum, aut flatus multi ex humore efferveſcente in caput elevationem ſignificant, perturbationem, & cum oculis inſtabilibus delirium portendunt, niſi hic pulſus criſin præſagiat. 7. Ungues lividi & nigri, ſi corpus ſimul grave, quia lethale ſignum ſunt. At ſi æger benè fert, & aliud ſignum ſalubre adeſt, morbus ad abſceſſum verget.

III. *Modi quo morbus terminari debet cognitio*, omne id quod de Criſi ſuperius diximus reſpicit, & plures quæſtiones involvit. Quæritur enim, I. An morbus ſit finem habiturus, per Maraſmum? II. An per ſolutionem? III. An per Criſin? Et ſi per Criſin, IV. An Criſis ſit futura per Excretionem, & ſi per hanc, per quam & qualis? V. An per Tranſlationem? VI. An Criſis facta ſit optima? an mediocris? an mala? VII. Quo tempore fiet?

I. De *Cognitione terminationis per Maraſmum & Solutionem* non eſt quòd multis agamus. Nam ſi dies Criticos, & acutorum per decidentiam morbus ſuperaverit, vel per ſolutionem, vel per maraſmum finem ſortietur.

II. *Per Criſin* terminabitur morbus, I. Si eſt magnus & acutus, vel parvus videtur, & malignitas ſubeſt. 2. Si à materia calida, tenui & acri,

qui naturam laceſſere poteſt, oritur; poteſt tamen & in longo morbo aliqua Critica evacuatio accedere, ſi idem aliquot dierum periodis antea vehemens evaſit. 3. Si vires ſunt ita robuſtæ, ut morbo ſuperiores evadant. 4. Si perturbationes circa actiones animales, vitales, & naturales in corpore exoriuntur.

III. *Per Excretionem* finem ſuum ſortietur morbus. 1. Si eſt acutus, ex tenui & acri materia, & criſis primis diebus ſperatur. 2. Si natura eſt fortis, pulſus altus, viæ apertæ, natura ſudori vel alteri evacuationi aſſueta. 3. Si tempus ipſum æſtivum concurrit. II. Si terminari debet per *Hæmorrhagiam*. 1. Hypochondria primum abſque dolore tendentur, & hinc reſpirationis difficultas non diu durans ſuccedet. 2. Statim dolor capitis & cervicis, faciei & oculorum rubedo, ſplendor & caligo ante oculos, ſpectrorum ante eoſdem obverſatio, delirium, Arteriarum in temporibus micatio, Pulſus denique vehementia ſequentur. 3. Tandem jam inſtante hæmorrhagia nares ægri ſcalpere incipient: quæ omnia certiora ſunt, ſi conſentiant ætas, & natura ægri, & præſens aëris conſtitutio. III. *Si per Vomitum*, humores ad ventriculum movebuntur. Unde ejuſdem morſus, cum dolore capitis, vertigine, tenebris, exorietur; ſuperius labium agitatur, ſputum eſt multum & tenue, nauſea, rigor, hypochondriorum frigiditas, pulſus durities, & inæqualis ſpirandi difficultas, afficient. IV. *Si per ſudorem*, quod frequentiſſimè fit, præcedet urinæ ſuppreſſio, rigor & aliarum excretionum ſigna aberunt, erumpente ſudore pulſus erit mollis & undoſus, cutis mollis, exteriora calebunt, vapor calidus erumpet. V. *Si per alvum*, nullum proprium ſignum erit, ſed reliquarum excretionum ſigna aderunt, aderunt ructus & inflatio ventris, lumborum dolor, genuum gravitas, interdum laxa alvo, urina ſupprimitur. VI. *Si per urinam*, aberunt ſigna reliquarum

excre-

exeretionum, ægri non valdè erunt inquieti. Circa veſicam aderit inflationis ſenſus, & hypochondriorum gravitas. Urinæ incipient augeri. Cum ardore quodam alvus retinebitur. VII. *Si per Hæmorrhoides*, ægro illæ erunt familiares, ſigna reliquarum excretionum aberunt, æſtus aut dolor circa ſpinam dorſi cum tenſione lumborum percipietur, rarius per eas criſes fiunt. VIII. *Si per Menſes*, aberunt reliquarum excretionum ſigna, inſtabit tempus menſium. Æſtus lumborum cum hypochondriorum dolore & tenſione, & aliis quæ menſium inſtante fluxu eveniunt, aderit. IX. *Si per plura loca*, plurium etiam excretionum ſigna animadvertentur. X. *Excretio erit bona*, 1. Si humor peccans & quidem coctus evacuatur. 2. Si debita quantitate & die Critico. 3. Si juſto modo, confertim, & per loco conferentia.

IV. *Per tranſlationem ſeu Abſceſſum terminabitur* morbus. 1. Si eſt acutus, & materia craſſior. 2. Si virtus eſt debilior, & longo tempore urinæ tenues & crudæ exiere. 3. Si naturæ eſt ad hæc loca propenſio, anni tempus frigidum, ætas ſenilis, & criſeos per excretionem futuræ ſigna abſunt. II. *Fit in partibus ſuperioribus*, ſi materia eſt tenuis. *In inferioribus*, ſi non eſt adeò tenuis, & natura fortis. III. *Erit bona*, 1. Si materia eſt concocta. 2. Si ſubſtantiam habet laudabilem, & figuram acuminatam. 3. Si æqualiter matureſcit, antequam ſuppuretur. 4. Si citò ſuppuratur, & eſt in loco externo & ignobili.

V. *Optima Criſis* eſt, ſi ſigna Critica, de quibus ſuperiùs egimus, præceſſere. ſi ſigna coctionis & cruditatis præmiſſa ſunt. ſi in die indicatorio monſtrata fuit. ſi die judicatorio evenit. Si naturæ morbi convenientia excreta ſunt. ſi æger poſt criſin morbo & ſymptomatibus liberatur. *Mediocris*, ſi non

non exquiſita coctionis ſigna præceſſere, ſi in augmento, vel paulò ante ſtatum, vel coctione demum incipiente, accidit; in quo caſu hæmorrhagia ex omnibus excretionum modis commodiſſima eſt, ſi die indicatorio non indicatur, ſi in die intercalari evenit, ſi evacuatio morbi naturæ non congruit, ſi æger non benè fert. *Mala* fit, ſi ante ſtatum irritata à naturæ malignitate aut copia naturâ evenit, ſi talis in die Indicatorio indicata fuit; quamvis ſæpè repentè ingruat, ſi alia optimæ criſi contraria adſunt. Ubi nota. 1. Sæpe in mali criſi apparere, ac ſi ægri melius habeant, qui tamen mox ad pejorem ſtatum, cum illa quæ levare videntur, præter rationem ſint, redit. 2. Aliquando, morbo lethali & viribus firmioribus, pro una mala & ſimpliciter exitiali criſi, plures imperfectæ malæ, in quibus rudimenta coctionis inſtabilia apparent, antequam æger moriatur, eveniunt. 3. Criſium ad mortem præcognitiones minus ſtabiles eſſe.

VI. *Tempus futuræ Criſeos* aperiunt, 1. *Signa coctionis & Cruditatis*, quæ neceſſariò in aliquo die indicatorio, vel decretorio apparere debent. Quarto die fiet, ſi primo die ſignum ſe oſtendit; ſeptimo, ſi quarto. 2. *Signa quæ morbi idea, magnitudo, & mos ſuppeditant*: de quibus ſuperius egimus. 3. *Signa temporum morbi*, perfecta ante ſtatum non accidit, imperfecta accidit: exitialis in principio etiam vel augmento habetur. 4. *Signa Critica*, quæ ſuperius habes.

TITU-

TITULUS II.

De Causis morborum.

CAPUT I.

De Causis morborum internis in genere.

ALter affectus, qui corpus humanum præter naturam affligit, est Causa morbi; eaque vel Externa, vel Interna. Sed cum hæc illius effectus sit, vel potius cum illa ad hujus productionem plurimum conferat, ideò internam duntaxat definiemus.

Causa morbi interna est, quæ intra corpus humanum nata & hærens, idem præter naturam afficit.

Consideranda circa eam obveniunt, *Signa*, *Causæ* & *Differentiæ.*

I. *Signa* Causarum sumuntur in genere. 1. A signis proprijs, sapore nempe, colore & motu. 2. A signorum communium, quæ ex antecedentibus & consequentibus, seu causis evidentibus, corporis dispositionibus & symptomatibus sumuntur, syndrome.

II. *Causæ causæ* internæ sunt Res non naturales, Aer, Cibus, Potus, Motus & quies, somnus & vigiliæ, Excreta & Retenta, & animi affectus, quatenus aliquo vitio corpus humanum afficiunt. Ut verò id fiat, requiruntur temporis præsentia, proportionis inter agens & patiens certitudo. Corporis aptitudo, & contactus.

III. *Differentias* quod spectat, reducuntur causæ internæ ad *Humores*, *Flatus*, & *Res toto genere præter naturam.*

CA-

Caput II.

De Causis Morborum internis in specie.

Articulus I.

De Humoribus.

Punctum I.

De humoribus quantitate peccantibus, seu Plethora.

PRimum Causarum internarum genus sunt Humores: peccare autem hi *quantitate*, *qualitate*, *motu*, *loco*, & *totâ substantiâ*, solent. *Humores quantitate peccantes, Plethoræ nomine veniunt, quæ nihil aliud est quàm humorum alendo corpori destinatorum, ex causis suis orta exundantia.* Humores corpus humanum alentes in massâ sunt sanguinem, *Sanguis* nempe, *bilis*, *pituita*, & *Melancholia*. Hæ partes sui generis, in cambium deductæ, nutriunt, illisque tantum calorem quantum habent communicant. *Signa* plethoræ sunt, Lassitudo; quia sanguis non difflatus inferiores partes petit. Respiratio ex minimo labore, musculis thoracis sanguine onustis. Venarum turgescentia, Musculorum distensio, Habitus carnositas, somni profunditas, faciei rubedo, &c.

Causæ sunt bonum alimentum, quod multum succi suppeditat. hepar calidum & humidum, quod conficit. Otium, Evacuatio suppressâ, Membri abscissio, insuetarum balnearum à cibo usus.

Differentiæ. 1. Alia est *Exquisita*, quando vel omnes proportione & æqualitate quæ illis debetur servata (dupla est autem proportio sanguinis ad pituitam, hujus ad bilem dupla) augentur; vel solus sanguis tantum; vel duo aut tres ex reliquis, sanguine etiam proportionem non servante exuberant. *Cognoscitur,*

gnoſcitur ex ſignis ſupra poſitis. *Oritur* quoque ab iiſdem, quæ ſupra memoratæ ſunt, cauſis. Alia *Notha*, quando ſanguinis exundantiæ ſuccorum malorum copia conjungitur. *Cognoſcitur* ex ſignis Cacochymiæ cum plethora junctis. *Oritur* quoque ab utriuſque cauſis. II. Alia eſt *ad vaſa*: quæ quidem vires, quod æquabiliter cum ſanguine & carnis mole increſcant, non premit, ſed vaſorum tunicas præ copia diſtendit, cui etiam ſuperius dicta competunt. Alia *ad vires*, quando humores ita accreſcunt, ut à viribus hominis imbecillibus gubernari & confici non poſſint. *Cognoſcitur* ex eo, quod ſanguis non valde ſit bonus, gravitas & pulſus inæqualis, cum cruditatum & Orientis putredinis ſignis afficit.

PUNCTUM II.

De Humoribus qualitate peccantibus, ſeu Cacochymia.

Cacochymia eſt humorum excrementitiorum à cauſis ſuis ortorum in corpore humano præſentia.

Subjectum eſt corpus humanum, 1. Tum ratione venarum, arteriarum & nervorum; tum illorum quæ extra ea. 2. Tum ratione *regionis alvinæ*, quæ ventriculum, venas meſaraicas, cava jecoris, lienem, & his interjectum pancreas includit. Tum *venoſæ*, quæ jecoris convexa cum vena cava, arteria majore, & quicquid earum inter axillas & inguina incidit, complectitur. Tum *Habitus corporis*, qui muſculos membranas, oſſa, omnem denique corporis molem includit.

Signa ex differentiis quæ ſequuntur, depromi debent. Pertinet huc dier. certorum motus, illeque nec Criticus, nec ſymptomaticus, ſed naturalis, qui certis diebus & dierum horis menſuratur, & tam præciſus eſt, ut cum horologiis certet.

Cauſæ

Causa sunt sex non naturalia, de quibus superius dictum est.

Dividitur variè.

I. Alia est *à Bile*, quæ est humor præternaturalis calidus & siccus: præternaturalis inquam, quia distinguitur, tum à parte massæ sanguineæ calidiore, ex calidore & tenuiore chyli parte nata; tum ab excrementitia bile naturali, quæ in folliculo fellis colligitur, & fæces alvi tingit. *Cognoscitur* ex venarum propter calorem dilatantem amplitudine. Coctionis propter nimium depravatione, appetitu potus quàm cibi majore, pulsu vehementi, veloci proclivitate ad iram, somno nullo vel pauco, habitu gracili, colore corporis flavo, motu à tertio ad tertium, & quidem circa meridiem. *Oritur* à corporis constitutione calida & sicca, ætate juvenili, vigiliis, irâ, corporis exercitatione nimia, alimentis calidis & siccis, dulcibus & pinguibus. *Dividitur* 1. In *vitellinam*, quæ vitellum refert, à flava adusta oritur, & ob consumtam à calore serositatem crassa est, à sanis interdum excernitur, & in atram bilem si aduratur, facessit. 2. *Porraceam*, quæ porrum refert, & plerumque in ventriculo ob cruditatem ex oleribus corruptibilibus, sæpe in venis ex vitellina oritur. 3. *Ærugineam*, quæ æruginem imitatur, & ab intensissimo calore, in epate, venis, & ventriculo producitur. 3. *Isatideam*, quæ isatidem refert, & ex præcedente magis adusta oritur.

II. *Alia à Pituita*, quæ est humor præternaturalis frigidus & humidus. Præternaturalem dico, ut discernatur, tum à massæ sanguineæ parte frigidiore; tum à pituita, ventriculum, intestina, pulmones, artus & Cerebrum oblinente. *Cognoscitur* ex Corporis mollitie & albedine, Crudorum dejectione. Urina cruda, alba, nunc tenui, nunc crassa, salivæ abundantia, majore appetitu quàm ut cibi

conco-

concoqui possint, motu quotidiano, & quidem circa vesperam. *Oritur*, à cibis crudis & frigidis, potu intempestivo, intemperie viscerum frigida. Excrementorum per vitam otiosam detentione, somno nimio, &c. *Dividitur* 1. In *Insipidam*, quæ cruditatem in ventriculo ob defectum coctionis accipit, & corpus plumbeo colore tingit. 2. *Acidam*, quæ easdem cum præcedente vires habet. 3. *Salsam*, quæ ex salsa & serosa humiditate oritur, frigidis & calidis partibus constat, sitim, saporem salsum, & mordicationem infert. 4. *Vitream*, quæ substantia & colore talis est, frigidissima & vi viscosissima eadem, sævissimos cruciatus detenta excitat.

III. *Alia à Melancholia*, quæ est humor præternaturalis frigidus & siccus. *Præternaturalis* inquam, ut discernatur tum à parte sanguinis frigidiore & sicciore, quæ in liene ex crassiore chyli parte per portæ ramum splenicum, antequam epar ingrediatur, attracta producitur, & crassiores partes cum liene alit: tum ab excrementitia naturali, quæ quia in alimentum nulla ratione transmutari potest, ex liene partim per venas hæmorrhoidales, partim per arterias splenicas ejicitur; interdum ad ventriculum &c. pervenit. *Cognoscitur* ex Urinæ livore & nigredine, hæmorrhoidum suppressione, flatulentia & ructu, nimio ciborum appetitu, tristitiâ, taciturnitate, somniorum turbulentia, habitu corporis macilento, duro, & lividi coloris, motu à quarto ad quartum circa mediam noctem. *Oritur*, à Cibis crassi succi, bubula, brassica, piscibus in quos calor exsiccans sed non adurens agit. Aëre frigido & sicco dum tenuitatem absumit, præsertim si æstas calida & sicca præcesserit, suppressione hæmorrhoidum, aut aliarum melancholicarum evacuationum, &c. *Dividitur* in

Dilutam, quam urinæ copiosæ, & ſudores per noctem patefaciunt. *Craſſam*, quam melancholicorum obſtructiones oſtendunt, & *Atram bilem*, quæ à calore ſanguinem, vel bilem, vel ſuccum melancholicum exurente oritur. Eſtque modò acida, modò nullius ſaporis, modò acerba, ut carnem liquet, & effuſa in terram fermentetur.

IV. Alia *ab Humore ſeroſo*, qui nihil aliud eſt quàm aquoſa tenuis & ſalſa, copiâ & qualitate corpus humanum afficiens humiditas. *Cognoſcitur* ex urinæ & ſudorum copiâ, Dolore interdum vago, quia propter tenuitatem facilè deducitur, & ab alieno calore facilè effervefcit. Affectuum fugacitate & recurſu, ventris interdum tumore, &c. *Oritur* à cibis humidis & aquoſis, ſed & bonis, in convaleſcentibus, ob caloris in ventriculo diſſolutionem & languorem. Detentionem ſeri ob expultricem læſam, aliorum viſcerum obſtructionem, vel pororum ab externo frigore conſtrictionem, vitium lienis, &c. Soli ipſi interdum *Colliquatio* conjungi, quæ vel in fame fit propter caloris naturalis marcorem, ac humidi radicalis & carnium in vaporoſam humiditatem diſſolutionem: vel in depravato victu ab ipſius alimenti tanquam non proportionati & familiaris caſſam aſſimilationem, quam prius illud inſequitur. *Dividitur* in *Mitem*, qui nihil aliud quàm ſanguis dilutior, & *Acrem*, qui ſalſedinem ſuam ab aduſtione acquirit.

PUNCTUM III.

De Humoribus motu, loco, & tota ſubſtantia peccantibus.

I. H*Vmores motu peccantes ſunt iidem ipſi, quatenus ad partes vel ob attractionem, vel ob transmiſſionem influunt.* Partes iſtæ vel ſunt *imbecilliores,*

becilliores, & nulli insigni actioni destinatæ, seu *naturâ*, ut laxæ, molles, raræ; seu ob aliquam *morbosam* constitutionem: vel *procliviores*, quæ cum mittente nexum, & vias per quas humores admittant, amplas & patentes habent, vel ipsis subjacent. *Causa* motus est. 1. *Attractio*, seu ob calorem ab externis conciliatum, seu ob dolorem. Nam pars dolens ex transmissorum spirituum copiâ incalescit, natura dum doloris causam propulsare nititur, sanguine ac spiritu dolentem locum replet, dolor denique partem debilitat, & ad recipiendum aptissimam facit. 2. *Transmissio*, vel à toto corpore, seu venoso genere, vel partibus aliquibus, & quidem, si expultrix ipsarum valida, viæ laxæ, major materiæ copia. Accidit tamen interdum, ut humores in suis vasis accumulati, suopte impetu moveri incipiant, & in partem aliquam pro situ & vasorum ratione irruant. Humores verò illi maximè moventur, qui tenuiores sunt & acres, ut biliosi.

II. *Humores loco peccantes sunt iidem ipsi, quatenus ibi sunt ubi esse non debebant*. *Causa* sunt 1. *Influxus*, seu per attractionem, seu per transmissionem. 2. *Congestio*, quæ fit aut partis vitio, quatenus vel concoctrix vel expultrix suum officium non faciunt: aut alimenti vitio, cum illud vitiosum & tale, ut tantam excrementorum copiam faciat; vel cum materia crassà producitur, quæ facultati expultrici resistit.

III. *Humores totâ substantiâ peccantes sunt illi, qui intra corpus peculiarem corruptionem sortiti, idem occulte & totâ substantiâ afficiunt.* Intellige humores tum præternaturales excrementitios, tum naturales excrementitios retentos, ut semen, grumum sanguinis, sanguinem menstruum. *Signa* præbent subiti malignorum Symptomatum, ut delirii, lipothymiæ, &c. incursus, morborum ipsorum idea,

&c. *Causa* est tum *materia alimentaria*, quæ seminium corruptionis illius habet, & aliis quidem commista non nocet, sed ab iis secreta & per se exsistens, venenum evadit. Sanè multis vescimur quæ venenatis vescuntur: tum *Calor* principali agenti & materiæ junctus, cui accedunt Dispositio Corporis, vel hæreditaria vel acquisititia. Cœli influxus particulares, Aër influxus astrales & exhalationes terrestres recipiens. Contagium, venenum. Imaginatio denique & affectus. *Corruptio* autem illa determinata longa sæpe digestione ac fermentatione ad hunc gradum deducitur: unde fit, ut non singulis annis pestis grassetur, quamvis singulis sint multa humorum vitia, sæpe etiam sine putredine procedit, ut in plantis & animalibus sine putredine venena generentur; & in siccissimo aëre pestilens venenum nascitur, in quo nulla putredinis apparent indicia.

Articulus II.

De Flatibus.

F*Latus est Spiritus halituosus, multus, ex cibo & potu, & humore viscido ab imbecillo calore in animalis corpore excitatus.*

Subjectum est animalis corpus, sed præcipuè ventriculus & intestina.

Signa sunt, Tensio sine gravitate, Dolor vagus, præcessus causarum generantium. Affectus subitò nascitur. Urinæ in superficie bullis repletæ sunt.

Causa sunt 1. Cibus multus & humidus, qui difficulter per se vinci potest, interdum per se flatulentus, ut sunt, fructus ὀρ[illegible]ιοι, radices inflativæ, pisces cetacei, pinguia omnia, dulcia lenta, &c. 2. Humor crudus & visciditatis propter cohærentiam in divisione quæ fit attenuatione partium necessariam, particeps. 3. Calor imbecillis, & materiam digerere

non

non valens, five talis fit per fe, five ratione materiæ in quam agit.

Dividitur in *Pituitosum*, qui tardius movetur, & diutius durat. *Biliosum*, qui mordax, acris, citò evanefcens. *Melancholicum*, qui fixus eft, & triftitiam excitat, & *fanguineum*, qui mitis, & magis quantitate quàm qualitate infeftat.

ARTICULUS III.

De Rebus toto genere præter naturam.

RES toto genere præter naturam funt *Calculi* & *vermes*.

I. *Calculus eft fubftantia folida & lapillofa, mucilagine limofâ tartareâ, facultate λιθοποιητικῇ inftructâ, in corpore humano, adjumento caloris exortâ.*

Subjectum eft corpus humanum, & in eo Cerebrum, epar, veficula fellea, ventriculus, renes, vefica, &c.

Signa partes ipfe fuppeditant. In genere nihil ferè de illis dici poteft.

Caufa eft, non *pituita*. Multi enim eo infeftantur, quibus cum calculo nihil commercii, & multi funt calculofi, qui accuratam victus rationem fervant; fed *fuccus lapidefcens*. Hinc calculofi fæpè urinam reddunt, quæ mucum refert, mox in lapidem concrefcit. Provenit autem is ex fæculentia alimentorum, quæ fi retineatur huic vel illi parti fe agglutinat, per novum materiæ appulfum quotidie augetur, aucta fenfim exficcatur, atque ubi materiam vifcofam, craffam, terreftremque apprehendit, eam coagulat, & adveniente poftea fpiritu falis microcofmici interno, quem ob naturalem fuam vifciditatem feu mucilaginem Tartarum iftud facilè recipit, inque fe recondit, tandem in perfectum tophum coagulatur.

II. *Vermes ſunt animalcula vermicularia, in corpore humano, ex craſſo, lento, excrementitio, & principium vitale ſui generis continente humore, à calore vivido, per putredinem ſuſcitato exorta.*

Subjectum eſt corpus humanum, inque eo cerebrum, epar, ventriculus &c. *Cauſa* eſt 1. Humor principio vitali ſui generis inſtructus, unde diverſi ex diverſis naſcuntur vermes; illeque interdum craſſus & lentus, interdum amarus. Unde ex abſinthio & ſale marino vermes naſcuntur. 2. Calor, non cœleſtis, ſed innatus; illeque humidus, nec tamen ſolus. Hic paulatim rem diſſolvit, & in materia diſpoſita ψυχικὴν θερμότητα, & ζωτικὴν ἀρχὴν deliteſcentem excitat.

TITULUS III.

De Symptomatibus.

SYmptoma eſt affectus præter naturam in iis, quæ extra conſtitutionem partium ad actionem neceſſaria ſunt, aliquid aliud præter naturam ſequens.

Signa ſymptomatum ſenſus plerumque unus vel plures aperiunt; quod ſi latent, ex iiſdem fontibus, ex quibus ſigna morborum & cauſarum ſumuntur, cauſis nempe & effectis cognoſcuntur.

Cauſæ à qua oriuntur, ſunt Morbi, Cauſæ, & ipſa Symptomata.

Dividitur præcipuè trifariam. 1. Aliud eſt *Morbi*, quod morbum proximè, nullo affectu præter naturam interveniente, ſequitur. Aliud *Cauſæ*, cum à cauſa aliqua morbifica actio læditur. Aliud *Symptomatis*, quod aliud Symptoma præcedens ſequitur.

II. Aliud eſt *Actionis læſæ*, ſeu hæc ſit abolita, ſeu imminuta, depravata, vel aucta. Fit id vel *facultatis vitio*, quando inſtrumentum proximè malè affectum eſt; quo ſpirituum & caloris influentis abſentia

ſentia refertur, vel *Erroris externi cauſâ*, quando illa cum quibus fiunt, aut ſine quibus non fiunt actiones, fallunt. Aliud *Excretorum & Retentorum*; Aliud *qualitatum mutatarum*, quæ ex actionum læſionibus, & ab iis provenientibus humoribus dependent.

III. Aliud eſt *Facultatis Naturalis*, nimirum, Nutritivæ, Augmentativæ, Generativæ. Aliud *Facultatis vitalis*. Aliud *Facultatis animalis*, quo pertinent ſymptomata ſenſuum externorum, internorum, motricis, &c.

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ GENERALIS

LIBER III.

De Medicamentis.

TITULUS I.

De Medicamentis in genere.

POSTQUAM de Affectibus corpus humanum præter naturam affligentibus egimus, ſequitur ut de *Remotione eorundem* aliquid dicamus. Circa Remotionem verò affectuum duo inquiruntur. 1. *Per quæ media removeri poſſint*. 2. *Quomodo removeri debeant*. Media illa *Medicamenta* dicuntur, quæ *vel in genere*, vel *in ſpecie* & ſuis Differentiis ſpectantur. *Medicamentum in genere eſt omne id, quod corpori ægro applicatum, illud à ſtatu præternaturali ad naturalem, per facultates ſuas, reducere aptum eſt.*

Quinque circa illud conſideranda veniunt. *Nomen*, *Facultates*, *Doſis*, *Adulteratio*, *Subſtitutio*, & *Collectio*.

I. *Nominis* ſi habeatur ratio, res eſt de Medicamento non communiter & abſolutè accepto, nam & pigmenta & venena ita comprehendit; ſed cum relatione ad corpus humanum, idque vel in genere ſumtum, quatenus ipſum nec nutrit, nec corrumpit. Sed immutat: vel in ſpecie, quatenus ægrum eſt.

II. *Facultates medicamentorum* ſunt, 1. Manifeſtæ, & hæ vel primæ calefaciendi, frigefaciendi, ſiccandi, humectandi; quæ interdum componuntur vel ſecundæ, quæ à primis oriuntur, & pro ratione variant, ut potius ipſius ſint modi, Attenuandi, abſtergendi, deobſtruendi, rarefaciendi, diſcutiendi, incraſſandi, adſtringendi, repellendi, ſtupefaciendi, &c. 2. Occultæ, & harum reſpectu vel humorem certum peculiari facultate evacuant medicamenta; vel cum membro aliquo peculiarem cognationem habent; vel venenis reſiſtunt. *Nota* 1. *De facultatibus in genere.* 1. A forma eas eſſe, & illis mediantibus hanc agere, hinc illæ, ut ad actionem referuntur, cauſæ quædam effectrices vocantur, quibus mediantibus in determinatum corpus agitur. 2. Alias actu ineſſe, ut ſe ſtatim exſerere ut uſtio in igne poſſint. Alias potentiâ medicamento à calore corporis in actum deducto, quod fit tardius vel celerius, vel pro ratione materiæ reſiſtentis & caloris agentis, vel pro ratione impedimentorum materiæ, quibus ipſarum actiones ligantur. 3. Alias ſe exſerere per accidens alterius interventu, ut aqua frigida calorem excitat in convulſione: nonnullus per ſe & immediatè. II. *De facultatibus primis*. 1. Interdum uni ſubjecto æqualiter ineſſe, ita ut vel omnes ſint æquales, vel duæ æquales, una inæqualis. 2. Inæqualitates quæ inſunt, magis vel minus à temperie diſce-

discedere. Non nimis evidenter corpus temperatum alterant, quæ *primi gradus* sunt. Evidenter sed citra noxam, quæ *secundi*. Vehementer, nec citra aliquam noxam, quæ *Tertii*, Cum noxa evidenti, quæ *quarti*. 3. Humiditatem omnium qualitatum minimè activam, quarti gradus esse non posse. 4. Vehementissimè calida nunquam humectare. 5. Nullum quarto gradu desiccare, quod non urat, tertio plurima, quæ frigida sunt & adstringunt. III. *De occultis*, ab occultis eas qualitatibus quæ à forma pendere. Hanc autem formam inferiorem anima ut sui domicilii architectrix est, ut sibi in corpore disposito instar subjectæ materiæ sit, producit, quæ etsi totam suam materiam informet, attamen in spiritu duntaxat insito, humidoque radicali, & calido innato, quod etiam in emortuis est, præcipuè residet, & cum isto à reliquo corpore crassiore salva separari, & rectè quinta essentia appellari potest. IV. De earum cognitione. *Primæ* cognoscuntur ratione & experientia, quarum illa à velocitate aut tarditate actionis, habita patientis ratione, odoribus, saporibus, coloribus, qualitatibus tactilibus, ætate, loco natali, operationibus & virtutibus cognitis sumitur. *Secundæ* datæ primis non possunt non innotescere, utpote illarum pedissequæ. *Occultæ* ex similitudine inprimis seu signaturis conjecturantur, hinc experientiâ confirmantur, de quibus consule Portam in Phytognomonicis, & Crollium in signaturis.

III. *Dosis* requiritur in medicamento, quia nullum rectè agit nisi in sua quantitate exhibitum. Hæc verò sumitur ex ratione qualitatis, partis affectæ, & ægri. Mensuratur apud nos grano, scrupulo, drachmâ, uncia, libra, Cochleari, &c. apud veteres, mystro, cyatho, acetabulo, quartario, hemina vel cotylâ, sextario, Congio, urnâ, amphorâ, & culeo.

IV. *Adulteratio*, in Exoticis inprimis locum habet, ut *Caphura* ex Borneo allata, admiſta habet lapidum fragmenta, aut gummi quoddam Chamderros vocatum, ſuccino crudo perſimile, aut ligni cujuſdam ſcobem. Sic *Bezoar* lapis multifariam incruſtatur. *Moſchum* ſimul & maſſa quædam è ſanguine hirci, pane aſſo & trito, cum ladano ſubacta. *Ambra* fingitur pulvere Agallochi lævigato. *Cinnamomum*, corticibus tamaricis in aqua Cinnamomi maceratis, & poſtea ſiccatis. *Benjicinum*, miſtura reſinæ, turis maſculi, cum pauco ſtyrace. *Opobalſamum*, oleo liquedambar. *Opium*, meconio.

V. *Subſtitutionis* occaſio ex indigentia: ſic Calamus aromaticus ſuccedit Acoro; abſinthio abrotanum; abrotano, origanum; acaciæ, hypociſtis; acantho, malum; ammi, aniſum; amomo, acorus; amygdalis amaris, nuclei perſicorum; arſenico, ſublimatum: balaciſtio, malicorium; Calamo aromatico, ſchænanthum. Cardamomo, cyperus. Cinnamomo, canella vulgaris. Dactylis, ficus Maſſilienſes. Dictamno, ſalvia. Elleboro albo, eleterium; nigro, lapis lazuli. Erucæ, eryſimum. Mandragoræ, papaver. Nardo Syriacæ, ſchænanthum. Nunci moſchatæ, caryophylli. Xylobalſamo, radix liguſtici, &c. de quibus vide Authores, inprimis Renodæum lib. 4 Pharmaceuticæ cap. 16.

TITULUS II.

De Medicamentis in specie, & ipsorum Differentiis.

CAPUT I.

De Medicamentis simplicibus.

ARTICULUS I.

De Fossilibus.

Medicamenta in specie considerata, variè dividuntur: præcipuæ tamen Differentiæ illæ sunt, quæ à constitutione, qualitatibus & viribus, partibus corporis humani, Planetis & signis Zodiaci, quibus Magica addi possunt, sumuntur.

Constitutionis respectu, Medicamenta sunt vel simplicia vel Composita. *Simplicia* ea voco, quæ talia sunt qualia natura produxit, quæque nullam ab arte compositionem sortiuntur, compositionem tamen arte factorum ingrediuntur: sunt autem, vel Fossilia, vel vegetabilia, vel Animalia, vel Microcosmica. *Fossilia* sunt Medicamenta ex terræ visceribus depromta. Continentur sub iis, I. *Terræ*, quæ infusâ aquâ solvuntur, ut sunt, 1. *Argilla*, exigui quidem sed tamen alicujus in Medicina usus. 2. *Creta*, quæ in anorexia utilis. *Terra Lemnia* ruffi coloris & pinguissima, ut in ore contenta ex sevo constare videatur. 4. *Bolus Armenus*, seu Orientalis, qui laudatissimus, si calcis modo subitò in summum lævorem pistillo adhibito solvitur, nec quicquam arenosum habet. Rubeus, officinarum est communis. 5. *Cimolia*, seu illa candida, seu purpurascens, Pinguis; & cum tangitur frigida, optima. 6. *Terra* Silesiaca seu *Strigensis*, quam Montanus invenit.

II. *Succi concreti*, ut sunt, 1. *Sal* sive gemmeus, sive

ſive marinus, quorum ille in fodinis exſcinditur, & in ignem conjectus, non crepitat, ſed igneſcit. 2. *Nitrum*, tam Dioſcoridis, roſei aut candidi coloris, quàm vulgare, ſal nitrum, ſeu ſal petræ dictum, ſpuma quam longa coctione eructat, Aphronitrum dicitur. 3. *Alumen*, *rupeum* inprimis. Nam ſciſſile, plumbeum, quod vim ignis non metuit, & *Catinum* ex Cineribus plantæ Kali non eſt in uſu. Vocatur ſtypterion. 4. *Vitriolum*, ſive *Chalcantum*, quod nihil aliud eſt quàm ſalſuginis ſulfureæ, æratæ, ferratæve coagulum. Vide de eo Verbezium, & Billichium Obſerv. Chymic. lib. 1. c. 13. Album & nativum præfertur, uſtum vocatur Colcothar. 5. *Sulfur*, quod ſi nativum, debet eſſe nitedulæ modo ſplendens, pellucidum, colore extus ſubcinericio, intus luteo: ſi factitium, debet eſſe præpingue & vireſcens.

III. *Bitumina*, ut ſunt 1. *Naphtha*, bituminis Babylonii colamen, fluida, candida, ignis rapaciſſima. 2. *Petroleum*, quaſi oleum è petra, quod in agro Mutinenſi colligitur. 3. *Sperma ceti*, ſeu Ambra ſubalbida, flos maris. Colligitur in mari, cujus aliqua pinguis & furfuroſa ſpuma eſt. Eligatur candidum, pingue, &c. 4. *Ambra*, ſeu Ambarum griſeum vulgò dictum, quod ex maris fontibus, & alveis procellarum vi ad litus ejicitur, & aëri expoſitum denſatur. Optimum eſt cinerei coloris, odoratiſſimum, quod acu perfoſſum multum ſucci pinguis reſudat. Factitia, plerumque nigra eſt, & aquæ impoſita citius molleſcit. 5. *Succinum*, quod & Ambra Citrina, Electrum, Carabe, inter vada & in ipſo maris litore invenitur. Candidum eſt levius, odoratius, imò optimum, fulvum, bonum etiam, ſi pellucidum, & attritu calefactum roriſmarini odorem refert. Vide de illis Libavium in ſingularibus. 6. *Gagates*, niger cruſtoſus & bituminis ferax, qui igni admotus flagrat,

flagrat, odoremque bituminis exhibet, ſic à Carbone foſſili diſtinguitur.

IV. *Lapides*, ut ſunt 1. Ex pretioſioribus, 1. *Smaragdus*, qui optimus Scythicus, unicolor, ex lucido viridior. 2. *Sapphyrus*, qui ſi coloris eſt cyanei, melior eſt; ſi aquei, vilior. In Zeilan, Calcut & Pegu invenitur. 3. *Rubinus*; cujus quatuor ſunt genera. Vetus, cocci & laccæ Indicæ colorem refert, viliſſimus Balaſſius & Spinellus. 4. *Granatus*, qui optimus, ſi Martii violæ colorem habet rubedini intermixtum. 5. *Sardius*, quod Sardis plerumque fuerit inventus, ita dictus, probatur qui plurimum rubet. 6. *Hæmatites* vireſcens, variegatus, guttis cruentis conſperſus. 7. *Nephriticus*, opacus, variegatus, ex colore viridi aliiſque permiſtus, ſuperficies ipſius ſemper pinguis apparet. 8. *Chryſolithus*, qui vel Orientalis, vel Europæus. Iſte mollis eſt, & cum aureo colore vel multum vel parum nigricat. 9. *Cryſtallus*, qui, ſi pellucidiſſimus, optimus eſt. 10. *Hyacinthus*, qui eò melior quò magis unicolor. peſſimus Arabicus. II. *Ex minus precioſis*. 1. *Lapis lazuli*, opacus Saphiri aut florum Cyani colore, aureis punctulis aut flammulis exornatus. 2. *Lapis Armenius*, qui maculis multis & viridibus & cœruleis, & quibuſdam ſubnigris diſtinguitur, præfertur colorato cœruleus. 3. *Lapis Iudaicus*, ſubrotundus, ſtriis ſecundum longitudinem æquidiſtantibus & diſcurrentibus, ac ſi torno factæ eſſent. 4. *Lapis Lyncis*, qui aliàs Belemnites. Eſt pyramidalis, & ſub variis coloribus reperitur. 5. *Magnes*, ſeu Heraclius, eò melior, quò magis cœruleus & ponderoſus. 6. *Oſteocolla*, qui oſſis figuram æmulatur, dicitur & Holoſteus. 7. *Silex*, lapis notiſſimus. 8. *Talcum* lapis ſpeculari lapidi ſimilis, magis tamen tenuis, ſquammoſus, viridiuſculus, igni reſiſtens, ac fixus; quod & de Oſteocolla quidam produnt. 9. *Vnicornu foſſile* ſeu lapis

colore

colore & levore, ſæpe formâ ipsâ cornu referens. III. *Ex illis qui à viventibus deſumuntur.* 1. *Corallium*, rubrum inprimis. Probatur colore floridum, ut algâ odoratum, ramoſum, fractu facillimum; non ſcabroſum, non concavum. 2. *Lapis ſpongiæ*, qui poroſus, friabilis, in ſpongiis concretus, colore candido vel gryſeo. 3. *Alectorius*, optimus cenſetur, qui in corpore ſuo velut ſtagnantem injecti cibi micam modicam, nec uſque adeò obſcuram oſtentat. 4. *Chelidonius*, qui eſt hemiſphæricus, & ſemper intrinſecus cavus. 5. *Lapis Carpionum*, qui triangularis, & circa initium ſpinæ dorſalis reperitur. 6. *Oculi cancri*, res notiſſima. 7. *Vmbilicus marinus*, qui in limacis orificio dum ſe hyeme occludit, invenitur. 8. *Lapis Caymanum*, quem ventres Crocodilorum ſeu lacertorum ingentium in America præbent. 9. *Lapis porcinus*, qui propè Malaccam in felle porcorum reperitur. 10. *Lapis percæ piſcis*: duo autem in eo inveniuntur, albi, oblongi, plani, altera parte dentati. 11. *Lapis Bezoar*, ex quibus laudantur Orientales, Perſici, è nigro colore virides, ablatâ ſuperiore criſtâ inferiore ſplendentes. Verus eſt, qui calce fricatus puniceum colorem contrahit, vel in aqua per tres horas maceratus, idem cum eo quod antehac habebat pondus obtinet. 12. Ætites, qui ab Aquila in nidum defertur; de quo vide Laurembergium.

IV. *Metalla*, quæ ſunt vel *Naturalia*. 1. *Aurum*, quod Chymicis Sol. Præſtantiſſimum eſt Arabicum, hinc Ungaricum, tandem Rhenanum. 2. *Argentum*, quod Chymicis Luna & Cerebrum. 3. *Stannum*, Hermeticis Jupiter. In Anglia defæcatiſſimum habetur. 4. *Æs* ſeu *Cuprum*, Chymicis Venus. Laudatiſſimum eſt in Cypro. 5. *Ferrum*, ſeu Mars. Optimum Damaſcenum, & Hiſpanicum. 6. *Plumbum*, ſeu Saturnus. 7. *Hydrargyrum*, ſeu Mercurius,

Chy-

Chymicorum idolum, quod ex multarum fodinarum glebis guttatim ſtillat. His adde *Stibium*, ſeu *Antimonium*, Hermeticor. curas & tormentum, quod olim foſſile, nunc excoctum divenditur. II. Vel *Factitia*, ut ſunt. 1. *Scoria* ſeu recrementum, dum vena metallica in fornace excoquitur. 2. *Cadmia fornacum*, quæ in venarum excoctione partibus fornacum ſuperioribus inſidet. Optima quæ in Cypri fornacibus. 3. *Pompholyx*, Nihili ſeu Tuthia, volatilis ex ære excocto favilla. Optima eſt candida & lævis. Cypria laudatiſſima. 4. *Spodium* Græcorum intellige, non Arabum, & nihil aliud eſt quàm concretus ex favillis, quæ in excoctione æris evolant, mox in pavimentum delabuntur, glomuſculus. 5. Flos æris, cui adde Æruginem & ſquamam. 6. *Ceruſſa*, quæ ex plumbo beneficio aceti educitur. Laudatiſſima Rhodiaca, & Puteolana. 7. *Cinnabaris*, quam officinæ argenti vivi dant. 1. *Lithargyrum*, denique, ſeu fæx tenuior argenti à plumbagine repurgati, vi follium excuſſa.

ARTICULUS II.

De Medicamentis Vegetabilibus.

Medicamenta vegetabilia ſunt, arbores, frutrices, & herbæ; quatenus illæ removendis corporis humani affectibus, vel totæ vel partibus ſuis, radicibus nempe, lignis, corticibus, foliis, cimis, floribus, fructibus, & humoribus inſerviunt. 1. *Arbores* iſtæ ſunt 1. *Pomiferæ*, Malus ſeu Pomus propriè dicta. Malus Cydonia. Malus Citria. Malus Aurantia. Malus Punica, Pyrus, Ficus, Sycomorus, Morus, Arbutus, Meſpilus, Sorbus, Malus Perſica, Malus Armeniaca, Perſea, Prunus, Myrobalanus, Sebeſtena. Zizyphus, Cornus, Lotus, Ceraſus, quibus Ebenum & Guajacum adjiciemus. II. *Nuciferæ*, A-

mygdalus, Nux juglans, Nux avellana, Castanea, Pistacia, Glans unguentaria, & Styrax, ad quos multæ Nuces exoticæ referri debent. III. *Dactylifera*, qualis est Palma. IV. *Glandifera*, Fagus, quercus, Phellodrys, Suber, Ilex & Smilax Arabum; quo etiam spectant viscum, Gallæ & Uva quercina. V. *Baccifera*, Santalus, Lentiscus, Thurifera arbor, Terebinthus, Balsamum, Rhus, Cocconilea, Fraxinus, Aquifolia, Tilia, viburnum, Ostrys, Gossypium, Acer, Platanus, Sassafras, Ricinus, Berberis, Grossularia, Sambucus, Laurus Laureola, Chamelæa, Thymelæa, Cneoron, Myrtus, Ruscus, vitis Idæa, Buxus, Olea, Agnus Castus, Ligustrum, Phylirea, Philyra, Rhamnus, Lycium, Rubus, Capparis Sabina, Cedrus, Cupressus, Juniperus, Asparagus, Taxus, & Draco Arbor. VI. *Aromatifera*, Nux moschata, Macis, & Macer, Cassia seu Canella, Cinnamomum, Folium, Caryophilli, Piper, Cubebæ, Amomum, Grana Paradisi, & Cardamomum. Potest huc & Agallochum referri. VII. *Siliquata*, Cytisus, Anagyris, Acacia, Aspalathus, Genista spartium, Scorpius, spartium, Coluthea, Senna, Euonymus, Nerion. VIII. *Conifera*, Cedrus conifera, Pinus, Larix, Picea, & Abies. IX. *Iulifera*, Salix, Alnus, Ulmus, quæ & vesicas fert. Populus. X. *Rhodoflora*, Rosa, Cistus. Cistus Ledum, &c. XI. *Scoparia*, Tamariscus, Erica, & aliæ.

II. *Herba* dividuntur etiam variè. Sunt enim I. Si *Radices* spectemus, *Bulbosa*, ut, Iris bulbosa, Leucoium, Crocus, Colchicum, Cepa, Porrum, scilla, Allium, Moly, Orchis, Satyrium, &c. II. Si *Folia*, sunt 1. *Longicaulifolia*, ut Gramen, Juncus, Nardus, Cyperus, Equisetum, Arundo, Papyrus, Xyris, Iris, Acorus, Galanga, Zinziber, Zedoaria, Costus, &c. 2. *Crassifolia*, ut Sedum, Umbilicus Veneris, Aloë, Rhodia radix, Telephium, Portulaca, Cepæa, Crith-

Crithmum, Kali, Tragum. 3. *Hirtifoliæ*, Borrago, Lithospermon, Cynoglossa. 4. *Nervifoliæ*, Gentiana, Plantago, Psyllium, Bistorta, Potamogeton, Nymphæa, Arum, Elleborus, &c. 5. *Rotundifoliæ*, Aristolochia utraque, Tussilago, Petasites, Lappa, Asarum, 6. *Capillares*, Phyllitis, Hemionitis, Asplenium, Lunaria, Capillus Veneris, Polytrichum, Ruta muraria, Ros solis, Filix, Polypodium, & aliæ. 7. *Spinosæ*, ut Carduus, Scolymus Theophrasti, Dispacus, Eryngium, Euphorbium, Tragacantha, &c. 8. *Trifoliæ*, *Pentaphylloi*, &c. 9. *Mollifoliæ*, ut Althea, Mercurialis, Rhabarbarum, &c. III. Si *Flores* sunt 1. *Verticillatæ & Galeatæ*, ut Mentha, Calamintha, Origanum, Pulegium, Hyssopus, Thymus, Stœchas Arabica, Lavendula, Spica vulgaris, Chamæpitys, Botrys, Salvia, Urtica, Betonica, Euphrasia, Scrophularia, Prunella, Gratiola, Dictamnus, &c. 2. *Stellatæ*, ut Rubia, Gallion, Cruciata, Ruta. 3. *Calcariflore*, ut Aquilegia, Consolida regalis, Linaria, &c. 4. *Vmbelliferæ*, ut Cuminum, Fœniculum, Anethum, Pyrethrum, Ferula, Thapsia, Turpetum, Peucedanum, Daucus, Chærefolium, Apium, Angelica, Imperatoria, Laserpitium, Panax, Carvi, Coriandrum, Anisum, Pimpinella, Myrrhis, Cicuta, Ligusticum, Filipendula. 5. *Corymboides*, Helenium, Pyrethrum, Artemisia, Ptarmica, Absinthium, &c. 6. *Capitatæ*, Scabiosa, Jacea, Cyanus, Scorzonera, Caltha, Succisa, Cardui, &c. IV. Si *Fructus*, sunt 1. *Pomiferæ*, Mandragora, Cucumis, Melo, Pepo, Anguria, Cucurbita, Colocynthis, Cucumis asininus, &c. 2. *Siliquatæ*, ut sunt præter leguminosas, & oleraceas, Hedysarum, Ornithopodium, Polygala, Onobrychis, Galega, Glycyrrhiza, Fumaria, Chelidonium, Aquilegia, Nigella. 3. *Capsuliferæ*, Nasturtium hortense, Bursa pastoris, Cochlearia, Raphanus rusticanus, &c. 4. *Vasculiferæ*, ut

Centaurium minus, Auricula muris, Linum, Hypericon, Anagallis, Numularia, Herniaria, Papaver,&c. V. Si *ufum*, funt 1. *Frumentaceæ*, ut Triticum, Zea, Hordeum, Secale, Avena, Uftilago, Oryza, Milium, Panicum, Phalaris, Frumentum Indicum. 2. *Oleraceæ*, ut Rapa, Rapunculus, Campanula, Rapiftrum, Napus, Raphanus, Iberis, Dracunculus efculentus, Eruca, Sinapi, Alliaria, Braffica, Lapathum, Beta, Blitum, Centaurium majus, Atriplex, Parietaria, Mercurialis, Lactuca, Sonchus, Cichorium, &c. 3. *Leguminofæ*, ut Faba, Phafeolus, Pifum, Ervilia, Vicia, Lentes, Orobus, Cicer, Lupinus, Fœnumgræcum, &c. VI. *Si modum crefcendi*, funt *Convolvuli* feu *Scandentes*, ut funt præter Pomiferas & Leguminofas, Scammonea, Soldanella, Salfa parilla, China, Bryonia, Mechoaca, Lupulus, Vitis vinifera, Lilium convallium, Hedera, Nafturtium Indicum, Ariftolochia, Cyclamen, Gramen Parnaffi, Saxifraga, &c. VII. *Si fuccum*, funt quædam *Lactariæ*, ut Tithymallus, Efula, Peplus, Peplis, Lathyris, & Chamæfyce, &c. VIII. Si *Locum*, in quo proveniunt, funt, 1. *Hortenfes*, *Sylveftes*, *Campeftres*, *Montanæ*, *Pratenfes*, *Aquaticæ*; ut funt, Mufcus, Lenticula paluftris, Lichen feu Pulmonaria arborea, Urtica marina, Alga, Perficaria, Anagallis, &c. IX. Si *Vires* denique fpectemus, infinitas ferè herbarum differentias inveniemus; de quibus in fequentibus, quantum ad inftitutum fatis erit, agemus: plura exactius alibi.

III. *Humores plantarum*, optimè in *Succos infpiffatos*, *Gummata*, *Refinas*, & *Picem* diftinguuntur.

I. *Succi infpiffati* funt, 1. *Ammoniacum*, nomen ab Hammonis oraculo habens, gignitur in arbore quam Metopion vocant. Laudatur fincerum Turis inftar in grumos condenfatum, odore Caftoreum utcunque referens, fapore amarum, exterius flavum, interius

interius candidum, digitis dum tractatur mollescens. 2. *Galbanum*, plantæ ferulaceæ in Syria nascentis succus. Optimum est cartilaginosum, flavum, pingue, non lignosum, gravis & ingrati odris, quod in se nonnihil ex suis seminibus & sarmentis retineat. 3. *Opopanax*, succus ex Panacis Heraclei radice effluens. Probatur, intus albus, extus flavus, amarus, odore gravis, pinguis, galbani instar lactescens, & dum resolvitur ad lacteum liquorem propiùs accedens. 4. *Sagapenum*, ferulaceæ herbæ in Media nascentis liquor. Probatur sincerum, pellucidum, foris ruffis, intus cum frangitur flavis aut candicantibus guttis compactum, inter digitos lentescens. 5. *Opium*, seu liquor lacteus, ex papaveris nigri scapo leviter inciso collectus. Optimum est candidum, vel leoninorum pilorum instar flavescens, in massam veluti ex granulis diversi coloris coactum, sordidum, odore gravi & viroso. 6. *Aloë*, quæ vel Caballina, vel hepatica seu Soccotrina. Eligenda pinguis, calculorum expers, hyeme friabilis, æstate molliuscula, hepatis modo coacta. 7. *Scammoneum*, quod ex radice lactei plena, incisa, & exsiccata, reservatur. Laudatur pellucidum, spongiæ instar foraminosum, & cum linguæ affricatur, in candidissimum liquorem lacti similem se superficie resolvens. 8. *Elaterium*, seu succus cucumeris agrestis inspissatus. qui omnium medicamentorum diuturnissimus est; optimusque, qui vetustissimus. 9. *Euphorbium*, seu succus acerrimus arboris ferulæ speciem gerentis. Eligendum est purum, translucens, candidum, aut flavum & acre, quod levi linguæ contactu os accensum diu detinet. 10. *Succus liquiritiæ*, qui ex radicibus elicitur, & in pastillos condensatur. 11. *Succus Acaciæ*, qui ex Acacia in Ægypto exprimitur. Eligitur modicè fulvus & odoratus. 12. *Acacia Germanica*; seu succus ex prunis sylvestribus coctis,

 expres-

expressus, insolatus, & exsiccatus. 13. *Manna*, quæ in Calabria circa Canis ortum ex Fraxino & Orno colligitur. Eligenda candida, recens, anno non vetustior. Adulteratur saccharo penidio herbarum foliis circumvoluto. 14. *Gummi gotte*, seu Chittajemu, Gummi gamandra, Gummi de Peru, quod ex Ricino Indico elicitur. vide de eo *Reudenium*, *Lotichium*, & *Bontium* in Medicina Indorum.

II. *Gummata* sunt: 1. *Gummi Arabicum*, quod laudatur, si vitri modo est pellucidum, sincerum, in vermiculorum speciem contractum, dein candidum. 2. *Gummi tragacanthum*, quod à radice cujusdam plantæ spinosæ, quæ Græcis Tragacantha, manat. Pellucidum est, album, subdulce, leve ac sincerum. 3. *Sarcocolla*, seu lachryma arboris cujusdam in Perside nascentis, turi tenui similis, subfulva, gustu amariuscula. 4. *Gummi hederæ*, ex flavo rubescens, odore grave, sapore acre. 5. *Cancamum*, seu lacryma Arabicæ arboris, myrrham quadantenus referens, virosi gustus. 6. *Lacca Officinarum*, quæ fit ex succo arboris cujusdam in Pegu, & Malavar. Dicitur à formicis alatis fieri. 7. *Sanguis Draconis*, seu lacryma arboris cujusdam instar sanguinis exsiccati concreta. Aquam lacteam reddit, sed sine mixtione. 8. *Asa fœtida*, seu lachryma Sylphei in Lybia & alibi crescentis. Eligenda est sincera, allii odorem ferè æmulans, viscida. Adulteratur permixtione farinæ, furfuris, sagapeni. 9. *Camphora Officinarum*, seu resinosa proceræ cujusdam arboris lachryma. Seligenda est alba, pellucida instar crystalli, non maculata, odora, digitis friabilis, accensa vix extinguibilis. 10. *Gummi Iuniperi*, aridum, durum, flavum, Mastichi simile. Vernix liquidus ex eo & oleo ex semine lini expresso fit. De Gummi Cerasorum, & Ulmi, taceo.

III. *Resinæ* vel sunt *humidæ*, vel *siccæ*. 1 *Humidæ*

mida ſunt, 1. *Terebinthina vera*, ſeu liquor ex Terebinthi trunco & ramis defluens. Probatur alba, pellucida, vitreo colore, in cœruleum vergente, odorata, & acris. 2. *Reſina laricea*, ſeu Terebinthina Officinarum, quæ ſæpè pro prima venditur. Optima quæ puriſſima, odoratiſſima, aliquantum translucida, & quæ ab intincto digito contumaciter & æqualiter diffluit. 3. *Maſtiche*, quæ ex lentiſco effluit, & inter Gummi-reſinas reponenda videtur. Probatur candida, ſplendens, odorata, friabilis, in Chio nata. Adulteratur thure & reſinâ permiſtis. 4. *Thus* ſeu *Olibanum Officinarum*, ſeu liquor arboris in Arabia naſcentis. Primas tenet maſculum, *σταγονίας*, naturâ rotundum, candidum, ſecundæ Orobio, quod in Amelo naſcitur, quod minus eſt & fulvius debentur; tertiæ Amomiti, quod candidum, & dum mollitur, maſtiches more digitis cedit. 5. *Myrrha*, ſeu lacryma arboris in Arabia naſcentis, Ægyptiacæ ſpinæ ſimilis, quâ incisâ, in ſubſtratas tegetes diſtillat. Primas tenet Troglodytica, quæ ſubviridis, pellucida & mordax; ſecundas, tenuis & bdellii modo lenteſcens; tertias, Caucalis, nigra & retorrida; ultimas *ἐργάσιμος*, quæ aſpectu gummi refert. 6. *Styrax* ſeu lacryma arboris malo cotoneo ſimilis, in Syria naſcentis. Præfertur flavus & pinguis, reſinoſus, albicantibus grumis, qui, dum mollitur, melleam humiditatem & odore perſeverantem ex ſe emittit. Adulteratur arboris ſcobe, quæ vermiculorum eroſione facta eſt. 7. *Liquidambar*, ſeu reſina oleaginoſa, ſuaviſſimi ac fortiſſimi odoris, effluens ex arbore quadam Occidentalis Indiæ, Ocoſotl dicta. 8. *Bdellium*, ſeu lacrymæ arboris Bactrianæ. Probatur amarum, translucidum, taurino glutini ſimile, intus pingue, & facilè molleſcens. 9. *Benjuinum*, ſeu gummi ex arboris cujuſdam vaſtæ, in India Orientali prodeuntis, ramis vulneratis effluens.

Optimum eſt amyglaides, quod ungues ſeu maculas candidas amygdalarum inſtar admiſtas habet, & in Zeilan provenit. 10. *Tacamahaca*, ſeu reſina ex vulnerata arbore, quæ in Nova Hiſpania creſcit, profluens. Colore accedit ad galbanum, unguibus eſt albis, odorem ac ſaporem gravem refert, cutique tenaciter adhæreſcit. 11. *Gummi Elemi*, ſeu lacryma pellucida, albicans, cum flavis particulis intermixta, in maſſam redacta, ſuavem odorem accenſa halans. Adfertur ex Æthiopia. Dioſcoridi flavum eſt, ac ſcammonio utcunque ſimile, mordaxque. II. *Ex Reſinis ſiccis*, eſt *Colophonia officinarum*: quæ eſt ſubſtantiæ oleaginoſæ, flaveſcens, arida ac friabilis, reſidua ex reſinis abietina ſtrobilinaque coctione dum purgabantur, inſpiſſatis ac frigore induratis. Eligenda eſt pellucida, odorata, quæ turis fumum accenſa æmulatur.

III. De *Pice* non eſt quod aliquid adjiciam. De Plantis conſule *Theatrum Botanicum Bauhini*, quod jam prodit: in earum faciliorem cognitionem deducet te, Deo volente, noſtrum Phytognomicon, & alia, quæ, ringente quamvis invidiâ, meditamur.

Cæterùm *Virium in plantis cognitio*, ex ſignaturis quoque ſeu ſimilitudinibus, quas cum *partibus humanis*, *humoribus* & *morbis* habere videntur, dependet, ſeu figurâ id fiat, quæ potiſſimæ hic conſiderationis, ſeu qualitatibus ſenſibilibus ſolis, ſeu actionibus & moribus, &c. Sunt tamen notæ illæ vel *Fixæ*, quæ in ſeminibus, radicibus, & floribus conſpiciuntur: vel *Mobiles*, quæ ex Sapore, odore, colore, formâ, hirſutie, lævitate, &c. deſumuntur.

I. *Partes humanas* quod concernit, repræſentat 1. *Caput*, Papaver, Juglans, Nux Indica, Pœoniæ folliculus, Scillæ radix, Agaricum, flor. libor. convallium. 2. *Oculos*, Grana herbæ Paris, flos Euphraſiæ, anthemidis, calthæ, hieracii, anemones, ſcabioſæ, &c.

ſæ, &c. 3. *Dentes*, hyoſcyamus ſine ſiliquis, acini mali punici, pinei nuclei, dentaria, folia vermicularis, radix Chelidoniæ minoris. 4. *Aures*, folia Aſari, Cochleariæ. 5. *Naſum*, fol. mentaſtri aquatici. 6. *Guttur*, ſeu *trachæam arteriam*, Pyrola, Uvularia, Cervicaria, Caſſia fiſtularis. 7. *Pulmones*, pulmonaria ſaxoſa, pulmonaria maculoſa, pulmonaria quercina. 8. *Cor*, Citri fructus, anthoræ radix, fructus anacardii. 9. *Iecur*, Lichen, Fungus betulæ, quercus, jecoraria. 10. *Lienem*, Scolopendrium, Lingua cervi, lupinus. 11. *Ventriculum*, Folia Cyclaminis, Zingiber, Galanga. 12. *Inteſtina*, Convolvulus, Calamus aromaticus, Caſſia fiſtularis. 13. *Vmbilicum*, Umbilicus Veneris. 14. *Veſicam*, Alkekengi, Nux veſicaria, Colutea, Solanum. 15. *Pudenda*, Arum, Fabæ. 16. *Teſticulos*, ſpecies Orchidum, ſatyrium, Dracunculus, porrum, boletus cervinus. 17. *Vterum*, Ariſtolochia rotunda, Macis, Sabina. 18. *Renes*, Portulaca. 19. *Articulos*, hermodactylus, ſarſapariglia. 20. *Manum*, Palma Chriſti. 21. *Capillos*, Muſcus Arborum, Capillus Veneris.

II. *Humores* quod ſpectat, reſipiunt 1. *Bilem flavam*, plantæ floribus vel ſuccis flavis croceiſve, ut Aloë, Senna, Abſinthium, Tithymalus, Crocus, Colocynthis, Rhabarbarum, &c. 2 *Bilem praſſinam*, quæ viridi & herbaceo colore præditæ ſunt, ut Blitum, Atriplex. 3. *Bilem pallidam*, Bryonia. 4. *Bilem atram*, quæ floribus, foliis, vel ſucco nigreſcunt, purpuraſcunt, cæruleive ſunt coloris, ut fabæ, lens, vicia, borrago, bugloſſa, &c. 5. *Pituitam*, plantæ albifloræ, ut Cucurbita, lactuca, &c. 6. *Sanguinem*, quæ rubri coloris ſunt, vel rubro colore tingunt, ut Santalum rubrum, Radix Chinæ, filicis, acetoſæ.

III. *Quantum ad Morbos*, 1. *Calculum* repræſentant, Milium ſolis, radix ſaxifragiæ albæ, cortices

nucleorum lapidei, nuclei adeóque ipsi. 2. *Exanthemata*, lentes. 3 *Excrescentias*, Agaricum, gallæ. 4. *Icteritiam*, Chelidonia, Crocus, Centaurea. 5. *Polypum*, Chelidoniæ minoris, & polypodii radix. 6. *Lentigenes*, Betulæ cortex albis interlitus maculis, Lichen arboribus innascens. 7. *Maculas*, Allium, Arum, Arisarum, Persicaria, Pulmonaria, &c. 8. *Vulnera*, Perforata, Millefolium.

Articulus III.

De Medicamentis Animalibus.

Medicamenta Animalia sunt, quæ vel ab animalibus totis, vel ipsarum partibus desumuntur.

Animalia tota sunt in quintuplici differentia: sunt enim vel *Aves*, vel *Quadrupedes*, vel *Pisces*, *vel Reptilia*, vel *Exsanguia*.

I. Aves sunt *ex Terrestribus*. I. *Carnivoræ*, Aquila, Vultur, Accipiter, Milvus, Harpa, Cuculus, Falco, Psittacus, Corvus, Cornix, Graculus, Pica, Noctua, Vespertilio, Struthiocamelus. II. *Phytivoræ*: & hæ 1. Vel *pulveratrices*, tam *sylvestres*; ut Pavo, Phasianus, Attagen, Gallina corylorum, Tarda, Perdix, Coturnix, Ortygometra: quàm *domesticæ*, ut Gallus gallinaceus, Gallina. 2. *Vel pulveratrices & lotrices simul*, Columba, Turtur, Palumbus, Passer. 3. Vel *Canoræ*; ut Carduelis, Spinus, Fringilla, Linaria, Alauda. 4. Vel *Baccivoræ*, Turdus, Merula, Sturnus. III. *Insectivoræ*, I. *Non canoræ*, Picus Martius, Troquilla, Merops, Regulus, Hirundo, Upupa, Parus, Motacilla, Rubetra, Rubecula. 2. *Canoræ*, Luscinia. *Ex Aquaticis* I. *Palmipedes*, I. *Piscivoræ*, Pelecanus, Catharracta, Cepphus, Phalacrocorax, Mergus, Colymbus, 2. *Herbivoræ*, Cygnus, Anser, Anas, Fulica. II. *Fissipedes*, I. *Carnivoræ*, Ciconia, Ibis, Phœnicopterus, Ardea, Porphyrio, Alcyon, Ispida.

 2. *In-*

2. *Insectivoræ*, Arquata, Crex, Totanus, Gallinulæ aquaticæ, Scolopax, Tringa, Junco, Cinclus, Vanellus, &c. 3. *Granivora*, eſt Grus.

II. *Piſces* ſunt 1. *Marini*, & hi 1 vel *Pelagii*, tàm *ſquammoſi*; Aſellus, Harengus, Liparis, Aper, Glaucus. Hippurus; quam *Læves*, Thunnus, Pompilus, Amia, Xiphias, Remora, Congrus, Muræna: tam *Cartilaginei longi*, ut Canis Ariſtotelis, Galeus, Catulus, Muſtelus, Aſteria, Glaucus, Centrina, Simia marina, Zygæna; quàm *plani*, ut Torpedo, Paſtinaca marina, Aquila, Raja, Rana marina, Squatina, & Squatinoraja. II. Vel *Saxatiles*, *Squammoſi*, Scarus, Turdus, Pavo, Lepras, Merula, Phycis, Perca marina, Channe, Hepatus, Melanurus, Coracinus, Adonis, Sciœna, Glaucus, Anthias, Gobius, Sphyræna, Acus, & Faber. *Læves*, ut Alauda, & Pholis. III. Vel Litorales, & hi *Squammoſi non plani*, Mullus, Hirundo, Cuculus, Milvus, Lyra, Phagrus, Erythrinus, Acarnanes, Orphus, Dentex, Synagris, Chromis, Aurata, Sargus, Sparus, Mormyrus, Cantharus, Salpa, Scorpius, Blennus, Pecten, Apua, Encraſicholus, Atherina, Sarda, Mœna, Smaris, & Boops. *Squammoſi plani*, Solea, Citharus, & Paſſer. *Læves*, *non plani*, Sandilz Anglorum, Draco, Dracunculus, Uranoſcopus, Trachurus, Scombrus, Lacertus, Saurus, Corax & Milvus. *Læves plani*, Paſſer & Rhombus. II. *Marini & fluviatiles ſimul*, & hi, 1. *Squammoſi*, ut Salmo, Lupus, Latus, Aloſa, Ziga Albis fluvii, Mugil, Caper, Sturio, & Galeus Rhodius. 2. *Læves*, Huſo, Eperlanus, Lampetra, Anguilla, & Orbis. III. *Fluviatiles*, & hi 1. *Squammoſi*, Trutta, Thymallus, Umbra fluviatilis, Barbus, Capito, Leuciſcus, Gobius fluviatilis, Aſper, Cobitis, Phoxinus, &c. *Læves*, Attilus Padi, Antacœus Boryſthenis, Ichtyocolla, Glanis, Muſtela fluviatilis, Piſcis

 foſſilis,

fossilis, Phoxinus & Salmo. IV. *Fluviatiles & aliarum dulcium aquarum*, ut Perca major, Scrollus, Pungitus Alberti, Alburnus Ausonii, Epelanus fluviatilis, Lucius, Cyprinus, Tinca, &c. V. *Lacustres*, ut Umbla vulgaris, Carpio, Trutta lacustris. Lavaretus Allobrogum, Sarachus, &c.

III. *Quadrupedes* sunt I. *Solidipedes*, seu μονώχηλοι, ut Equus, Asinus, Mulus, Elephas, Zebra, & Unicornu. II. *Bisulca*, seu δίχηλοι, ut, Alce, Boum omne genus, Camelus, Camelopardalis, Capra, Cervus, Gulo, Rangifer, Rhinoceros, & Sus. III. *Digitata* seu πολυδάκτυλοι, quæ sunt, *Vel vivipara*, ut Pardus, Tigris, Ursus, Lupus, Hippopotamus, Vulpes. Simia, Cercopithecus, Cynocephalus, Taxus, Castor, Lutra, Ichneumon, Mustela, Mars, Genetha, Lepus, Cuniculus, Sciurus, Glis, Mus, Talpa, Erinaceus, Hystrix, Canis & Felis: *Vel Ovipara*, seu illæ corio membranaçeo tegantur, seu tegumine testaceo; ut, Ranæ, Lacertus, Salamandra, Stellio, Scincus, Cordylus, Chamæleon, Crocodilus, & omne testudinum genus.

IV. *Reptilia* sunt *Serpentes*, tam ἄποδοι quàm pedati, tam minores quàm majores, ut: Vipera, Ammodites, Cerastes, Hæmorrhous, Aspis, Dispas, Scytale, Amphisbæna, Cæcylia, Cenchrus, Acontias, Dryïnus, Elope, Anguis Æsculapii, Hydrus seu Natrix, Boa, Hydrus marinus, Scolopendra marina, Draco, Basiliscus, Draco Pythius, Draco alatus.

V. *Exsanguia*, sunt in quintuplici differentia. I. *Mollia*, Polypus, Sepia, Loligo, Lepus marinus. II. *Crustacea*, Locusta, Astacus, Squilla, Cancrorum omne genus, & Crustacea in conchis degentia. III. *Testacea*, Nautilus, Purpura, Murex, Buccinum, Turbines, Trochi, Cochlearum omne genus, Margaritæ, Chamæ, Ostrea, Pectines, Mytuli, Tellinæ,

linæ, Pinna, Byſſus, &c. IV. *Zoophyta*: de quibus vide Authores. V. *Inſecta*, quæ I Vel ſunt *Terreſtria*, tam pedata; ut ſunt, Apis, Veſpa, Papilio, Muſcarum omne genus, Gryllus, Scarabæus, Formica, Pediculus, Araneus, Millepeda, Aſellus: quam pedibus carentia, ut Vermis, Limax. II. Vel *Aquatica*, ut Hirudo, Hippocampus, Stella marina, &c.

Partes quibus animalia in Medicina inſerviunt, vel ſunt omnibus ſpeciebus communes, vel cuique propriæ. De his & illis alibi videbimus.

ARTICULUS IV.

De Medicamentis Microcoſmicis.

MEdicamenta microcoſmica ſunt medicamenta ſimplicia, quæ ex corpore humano, ad depellendos humani corporis affectus deſumuntur.

Medicamenta hæc vel ex *vivo homine* deſumuntur, vel *ex mortuo*. *Ex vivo* habemus Capillos, Ungues, Salivum, Aurium ſordes, Lac, Semen, ſanguinem menſtruum, Secundinas, Galeam, Urinam, Stercus, Pediculos, Lumbricos, Calculum. *Ex mortuo* deſumuntur, Cutis, Pinguedo, Cerebrum, Cranium, Dentes, Oſſa, Muma; de quibus conſule Danielem Beckerum in Medico Microcoſmo, & Johannem Hartmannum.

CAPUT II.

De Medicamentis Compoſitis Naturalibus.

ARTICULUS I.

De Acidulis.

HActenus ſimplicia medicamenta fuere: ſequuntur *Compoſita*, quæ *vel à Natura, vel ab Arte ſunt talia*. Illa ſunt *Acidulæ*, & *Thermæ*.

Acidulæ

Acidulæ sunt aquæ, quæ sapore acido & viribus aliis à Mineralibus imbutæ, morbos convenienter adhibitæ depellunt.

I. *Sapor ille acidus*, non est in omnibus æqualis. Aliæ sunt acidæ, aliæ vinosæ, aliæ vix sensibili acore sentiuntur. Aliquando etiam eædem numero acidulæ sunt tam acres ut dysenterias excitent, aliquando effœtæ, aliquando palato gratissimæ; quod fit, vel propter ingentem æstum, qui optimam illarum partem evocat; vel propter pluviosam cœli constitutionem, quæ pluvias aquis mineralibus miscet; vel propter nebulosam, caliginosam, & austrinam aëris dispositionem, quæ in viscera terræ delatus, & ductus quos aquæ medicatæ currunt pererrans, easdem lutosas, turbidas, & crassas facit; vel propter ejusdem pestilentem, eumque epidemialem & publicum ejusdem statum; vel propter fluminum inundationem; vel denique, quod tamen rarò fieri solet, propter terræmotum.

II. *Mineræ quæ aquas imprægnare solent*, sunt: Ochra rubiginosa, Ochra ferrosa, Sal, Nitrum, Chalcitis, Melanteria, Mysi, Sory, Lapis ferreus, Chalcanthum, Alumen, Cuprum & Ferrum; sed hæc quatuor posteriora inprimis. Chalcanthum & alumen singularem acorem habere, certum est: ferrum habere ex vitriolo Martis colligi potest; & in Arduenna sylva multi sunt fontes acidi, in quibus copiosum ferrum. Cuprum verò acoris non esse expers, vel inde patet, quoniam Chalcanthi particeps est, ideò ubi cuprum est, ibi & Chalcanthi aliquod genus. *Explorabis* eas mineras vel *salvâ aquâ*, per naturæ loci ex quo emanat, saporis odoris, qualitatis tactilis, & contentorum, considerationem; vel *consumtâ*, per ejusdem insolationem, destillationem, & decoctionem. *Imprægnatio* autem

tem fit, 1. A ſubſtantia *halituoſa*, ſeu ſpirituoſa. Inde aqua fit tenuis & levis, bullas nullas habet, facilè alteratur: pota, vel nares ſtatim ferit, vel oculos lancinat, vel ructus movet, vel caput implet, vel vertiginis quandam ſpeciem excitat, nec diu in hypochondriis hæret. 2. Ab *humida*, cum minerales, ſucci liquidi imbibuntur. 3. A *ſolida*, quæ ſuas qualitates & δυνάμεις aquis communicat, ſi inter aquas & ramenta eſt proportio; ſi aquæ illis diu ſunt imbutæ, nec aliæ aliunde affluunt; ſi denique metallorum fragmenta in minutiſſimas partes conciduntur. Ex imprægnationis diverſitate oritur *aciditatis diverſitas*. *Acidæ* ſunt, in quibus quantitas acidarum minerarum utraque continua atque diſcreta, eſt major, & qualitas acoris intenſior. *Vinoſæ*, in quibus earum quantitas eſt parcior, & qualitas remiſſior. *Obſcurè acidum*, in quibus talium minerarum quantitas infra mediocritatem eſt, & acida qualitas languida.

III. De *Viribus acidularum* nota, 1. Depellere eas morbos *Alteratione*, *Corroboratione*, *Evacuatione*, per alvum ſi laxa eſt; per Urinam, ſi faciliùs mingunt; per ſudorem, ſi cutis rara, & habitus Corporis laxus; per vomitum, ſi ventriculus frigidus, & acidulæ multum ſulfuris continent; imò per plures meatus ſimul, ut Heer in ſua Spadacrene teſtatur. 2. *Plus* mineralium virtutum habere illas, quæ in loco nativo & ubi mineræ naſcuntur vel in canalibus occurrunt; quæ ſuccos liquidos imbibere; quæ terras & lapides friabiles in ſe habent; quæ per mineram copioſam, mollem, raram, poroſam, viâ longâ, anguſtâ, inæquali, anfractuoſa, per præceps & cum impetu labuntur; *Minus*, quæ uno tantùm in loco mineris aſſociantur, ſuccos minùs concretos, lapides, & metalla

metalla abradunt, paucam mineram imbibere, & brevi, amplâ, æquali, & rectâ viâ decurrunt. 2. Præsciri posse, bonæ an malæ sint futuræ, salubritatis prognostica sunt, Constellationum in cœlo bonitas, naturalis quatuor anni temporum constitutio, aëris puritas & salubritas, pluviarum moderatio, ventorum salubrium flatus modicus,&c. Malitiæ, è contra.

I V. *Convenienter adhibebuntur*, 1. *Ratione Personarum*, si non dabuntur senibus decrepitis, pueris, gravidis, tabidis, tympaniticis, anasarcicis, dysentericis, asthmaticis, menstruatis, renum exulceratione laborantibus. 2. *Ratione Temporis*, si non propinabuntur cum mutantur, si non tempore hyberno, nisi extraordinariè & cæteris paribus: si propinabuntur, cum bonæ ex signis suis esse præsumuntur, si tempore verno maximè, si manè & vesperi, si in loco suo vel non longè inde remoto. 3. *Ratione antecedentium usum*, si corpus præparabitur alvi lenitione, sanguinis detractione, viarum reseratione, noxiorum humorum depulsione. 4. *Ratione Circumstantium usum*, si bibentur ita ut sensim ad summam dosin ascendatur; si ita ut in summa dosi paululum persistatur, & gradatim ad minimam descendatur; si ita, ut mensura præscripta in partes distribuatur, si diætæ ratio habebitur, &c. 5. *Ratione insequentium usum*, si corpus moderatè movebitur. Si diligenter attendetur, quo natura vergat; id est, an sint operaturæ per alvum, an per urinam, an per cutis spiracula, an per plura emissaria simul; si retentæ per Clysteres convenientes deturbabuntur; si Symptomatibus, quæ occurrere solent, obviam ibitur.

I V. Sunt autem plurimi in Europa fontes acidi, inter quos præcipui sunt in Germania: 1. *Spadani*, & hi quatuor, Geronsterius, Pouhontius, Savinirius & Tonneletius. 2. *Griesbachiensis*, in aditu

sylvæ

ſylvæ Herciniæ ſitus, qui ferro, chalcantho, Sale cryſtallino, bitumine & ſulfure imbutus eſt. 3. *Petrinus*, in Alſatia quarta miliaris parte à Grieſsbachienſi diſſitus, qui mineras ſuperiori pares habet. 4. *Antegaſtenſis* in introitu ſylvæ Herciniæ ad vicum Antegaſt ſitus, qui alumine, ſulfure, modicoque chalcantho imbuitur, 5. *Ribelſſavenſis*, juxta eandem Sylvam in comitatu Furſtenbergico, qui ſpirituoſas ſubtilitates ferri, nitri, vitrioli, chalcitros, & bituminis habet. 6. *Gebersveilenſis* in Alſatia ſuperiore, qui alumine, nitro & ferro conſtat. 7. *Schwalbacenſis*. 8. *Ægrani* in Bohemia. 9 *Nideravenſis* prope Rottenburgum ad Neccarum. 10. *Deinachenſis* in Hercynia ſylva. 11. *Federanus* in Rhetia, qui alumen & cuprum cum pauxillo ſulfure continet. 12. *Trevirenſes*, qui tres ſunt, & quorum unus terram lúteam & ferrum præterfluit. De reliquis taceo. De *Hornhauſenſi*, in inferiore Saxonia, dum hæc ſcribo, multa, & quidem miraculoſa, ſpargi incipiunt. Vide de Acidulis, *Sebizium*, *Baccium*, & alios quos ex Lindano de ſcriptis medicis petere poteris.

ARTICULUS II.

De Thermis.

Thermæ ſunt aquæ calidæ, quæ è terra perpetuo proſiliunt, ab igne ſubterraneo effervescunt, & morbos vires à foſſilibus ſortitæ depellunt, ſi convenienter adhibeantur.

I. *Calidæ* ſunt, vel in principio, vel in canalibus; vel magis, vel minus.

II. *E terra proſiliunt*, quia habent ortum in loco altiori, vel in montibus, vel ad radices, ut experientia comprobat. *Perpetuo ut plurimum proſiliunt*, quia terra ſemper madeſit, ſemper calor ſubterraneus

neus effert vapores ad montium concavitates, qui qua exhalare non possunt, densantur, comprimuntur, & in guttas ex quibus aqua abeunt. Inveniuntur tamen thermæ, quæ ex fluxu & refluxu maris incrementum & decrementum patiuntur. Nec ex uno semper loco profluunt; quia cuniculi vel corrumpuntur, vel obstruuntur.

III. *Fervor* ab igne subterraneo est, qui ab exhalatione mediocri, calidâ, rarescente & accensâ, sulfuri vel bitumini se ingerente accenditur, & ab iisdem fovetur. Vel aquæ per æstuaria illa subterranea decurrunt; vel in via flammis æstuique junguntur; aut supra juxtave canales tam diu decurrunt, donec incalescant; vel dum ab ignibus subterraneis terra calescit, vapores inde multi elevantur, qui tandem in amplo aliquo loco in aquam conversi, alicubi exitum quærunt: vel denique aquæ metallicæ duæ vel plures naturâ ad tactum frigidæ, in concursu, ob Spirituum repugnantiam incalescunt; cujus rei exemplum in Spiritu vitrioli & oleo vel sale tartari, item aqua forti & Tartaro, butyro Antimonii & Spiritu Nitri habemus.

IV. *Fossilia, quæ vires suas Thermis communicant*, sunt varia: partim mineralia, partim metalla; quod ex singularibus thermis colligi potest. Quomodo autem id fiat, & quomodo fossilia in iis cognoscantur, superius dictum est.

V. *Morbi qui depelluntur*, sunt quoque varii, Colica, Hysterica, Calculus, Sterilitas, Dolor capitis, &c. quorum aliis per se, aliis per accidens opitulantur.

VI. *Adhibentur in potu*, ad quem ineptæ sunt illæ, quæ in se habent aliquid metallicum noxium, in balneis, fomentis, stuffis, & in luto: de quibus omnibus vide præter *Fallopium*, *Horstium* & *Rulandum* in *Balneario restaurato*.

VII. Ther-

VII. Thermæ præcipuæ in *Italia* ſunt, *Patavinæ*, ex quibus famoſiſſimum Balneum Ebani, ex ſulfuris, aluminis, nitri, ſalis, & calcis mixtura conſtans; *Porretanæ*, quadraginta à Bononia milliaribus; *Lucanæ*, quarum præcipuum balneum de Corſeno dictum; *Sante Mariæ in Bagno*, quæ in Romandiola ſitæ ſunt; *Aqueæ* in Piſarum Comitatu; *Petriolæ*, in Ducata Senenſi, alumine turgidæ; *Grotinæ*, in Comitatu Viterbii, quæ ex ferro & ære conſtant; *Peruſinæ*, quæ ſulfure non multo & aſphalto participant; *Montis Catini*, quæ omnes ſalſæ, &c. In *Germania* laudantur *Plumbariæ*, in Lotharingia, ob copioſam plumbi mixturam ita dictæ; *Badenſes in Helvetia*, quæ copioſo ſulfure & exiguo alumine conſtant; *Ferinæ* in Ducatu Wirtenbergenſi; *Cellenſes*, haud procul à Martiana ſylva; *Awenſes*, propè Rotenburgum ad Nicrum ſitum; *Embſenſes*, in finibus lacus Conſtantienſis; *Carolinæ*, in Bohemia; *Wiſbadenſes*, non procul à Moguntia ultra Rhenum ſitæ; *Gaſtainenſes*, in Bavaria, quæ vehementi adſtrictione, impræegnandi facilitatem pariunt; *Abudiacæ*, ſupra Reginoburgum, quæ odore ova frixa referunt, &c. Vide de omnibus *Rulandum* & *Weckerum*. De *fonte Bollenſi*, potu & balneo ultiliſſimo, ſcripſit *Iohannes Bauhinus*.

CAPUT III.

De Medicamentis compoſitis artificialibus in genere.

M*Edicamenta compoſita artificialia ſunt, quæ ab arte ex ſimplicibus, prævia aliqua præparatione componuntur, & in aliquam formam rediguntur.*

Occurrunt circa ea conſideranda. 1. *Neceſſitas compoſitionis*. 2. *Structura*, 3. *Præparatio*. 4. *Fermentatio*. 5. *Diviſio*.

I. *Necessitatem Compositionis* indicant, 1 Affectus ipsi præternaturales, qui cum sæpè sint compositi, non poterunt à simplicibus medicamentis depelli. 2. *Partes affectæ*, quarum situs, temperamentum, conformatio, & actionis dignitas, adde constitutionem ægri, ostendunt misturâ opus esse. 3. *Qualitas Medicamenti*, quæ aliquando intentioni necessaria, sed affectioni non proportionata est; aliquando debilior, vehementior, aliena qualitate inficitur; quæ omnia compositionem exigunt.

II. *De Structura* nota, 1. Modum ipsius requirere, ut morbi speciem & magnitudinem, conditionem ægri & partis affectæ, simplicium denique ipsorum naturam, facultates, gradus, & doses præcognoscamus. 2. Accommodatissimam putari, si morbo sit planè æqualis, & secundum qualitatem cujus idoneitas ex morbi specie petitur, & secundum quantitatem sive gradum, quæ ex morbi magnitudine, & natura partis affectæ æstimatur. 3. Omne compositum medicamentum ex quinque constare: 1. *Basi*, quæ si *in genere* consideretur, 1. Facultatis, graduum, & doseos compositi mensura est: 2. Pro ratione temporum morbi, Symptomatum urgentium, naturâ partis affectæ, constitutione ægri; quantitate & qualitate cæterorum componentium variat. 3. Quantitatem determinatam, ex suæ facultatis vehementia sumit, sed simul ad naturam ægri, magnitudinem, sensum, & dignitatem partis affectæ, actionis celeritatem & tarditatem respiciendum est: Si *in specie* Vel est *Simplex*, quæ aut unum usum præstat, licet ex pluribus ejusdem facultatis constat; aut uno simplici medicamento constat; quæque vel est sufficiens, vel remissa, vel intensa, vel maligna aliqua, vel aliena qualitate, ut odore, sapore, &c. instructa: vel *Composita*, quæ vel plures usus præstat, vel ex pluribus simplicibus diversa con-

trariaque

trariaque facultate præditis componitur; de qua observa, 1. Talem adhiberi, quando in ſimplici non datur gradus quem cupimus, ſed vel remiſſior, vel intenſior. 2. Habendam in ejus compoſitione primarum, ſecundarum, & tertiarum qualitatum rationem. 3. Aut ex pluribus ſimplicibus ejuſdem facultatis & gradus conſtare; & tum ejuſdem facultatis & gradus eſſe: vel ejuſdem facultatis & gradus diverſi; & tum remiſſum remittere intenſum, & intenſum intendere remiſſum ad medium utriuſque: vel contrariæ facultatis & gradus ejuſdem; & tum temperatum eſſe: vel contrariæ facultatis & gradus diverſi; & tum ad medium utriuſque reduci; quæ omnia ita ſumi debent, ut & quantitatis æqualitas obſervetur, & fermentatio excludatur. II. *Corrigentibus*, quæ vel baſin ignavam exſtimulant, & acuunt; vel vim medicamenti tenuis ſubſtantiæ in unum cogunt & augent; vel vim in materia craſſâ per extenuationem excitant; vel violentiam ejuſdem refrenant; vel malignitatem contemperant; vel odorem & ſaporem jucundum conciliant. Semper minori quantitate ratione baſeos eſſe debent, & communiter baſis ad hæc proportio tripla eſſe putatur: quamvis certum ſit, naturam baſeos, & ipſorum corrigentium, nec non variam Medici intentionem eandem variare. Si baſeos malitia temperanda eſt, æquali quantitate ſumuntur. III. *Dirigentibus*, quæ medicamenta parti affectæ appropriata reddunt, vias ductuſque aperiunt, humores præparant, & concoquunt, & ad quæ baſis debilior octupla, vehementior æqualis aut minor eſſe ſolet. IV. *Conſervantibus*, quæ dirigentia & corrigentia baſi affigunt, & formam idoneam toti compoſito tribuunt; quæque, nec nimia quantitate baſin obtundere, nec alienâ qualitate pervertere debent.

III. *Præparatio Medicamentorum*, vel eſt *Communis*,

munis, ut ſunt Elixatio, Infuſio, Aſſatio, Uſtio, Calcinatio, &c. vel *Chymica*, quæ I. Vel eſt *Diacritica*, quæ corporis compagem reſolvit, ſeu per *Purificationem*, ad quam *exſiccatio* & *uſtio* ſpectat; ſeu per *Calcinationem*, quæ aut igne actuali, aut potentiali peragitur, ad quam & *ſublimatio* pertinet; ſeu per *Reſolutionem*, qua corpus in partes diverſas & heterogeneas diſſolvitur, & quæ *extractione* & *Tincturâ* peragitur; ſeu per *Putrefactionem*, ſeu denique per *Deſtillationem*. II. Vel *Syncritica*, quæ diverſa & ſeparata in unum corpus conjungit, ſeu id fiat per *præcipitationem*, ſeu per *Reductionem*, ſeu per *Coagulationem* & *Concretionem*, ſeu per *Digeſtionem* & *Circulationem*, ſeu denique per *Cohobationem*, ſeu repetitam liquoris ad materiam in vaſe relictam affuſi deſtillationem. III. Vel *Immutatoria*, quæ rei novum ſubſtantiæ modum vel qualitatem inducit, ſeu id fiat per *Deliquium*, ſeu per Fixationem, ſeu per volatiliſationem, ſeu per vitrificationem. Conſule de his *Beguinum*, *Sennertum* circa finem de conſenſu & diſſenſu Chymicor. & Galenicorum, & alios.

IV. *Fermentatio* Medicamentorum nihil eſt aliud, quàm eorundem per mutuam alterationem unio, qua ſingulorum priſtinæ vires integræ non permanent. Ejus in Theriaca & Mithridatio inprimis habetur ratio.

V. *Diviſionem* quod attinet, ſunt Medicamenta compoſita artificialia, vel *Interna* vel *Externa*. Illa vel ſunt *Fluida*, vel *Solida*, vel *Media*. Hæc in totidem dividuntur ſpecies.

CA-

CAPUT IV.

De Medicamentis compositis artificialibus in specie.

ARTICULUS I.

De Medicamentis Internis.

PUNCTUM I.

De Medicamentis internis fluidis.

M*Edicamenta Interna ea dicuntur*, *quæ per os intra corpus sumuntur*; *Fluida verò*, *quæ instar aquæ fluunt*, & sunt. 1 *Decocta*. 2. *Infusa*. 3. *Potiones*. 4. *Vina Medicata*. 5. *Cerevisiæ medicatæ*. 6. *Oxymel*. 7. *Aqua hordei*. 8. *Acetum medicatum*. 9. *Aquæ destillatæ*. 10. *Syrupus*. 11. *Iulepus*. 12. *Emulsio*. 13. *Essentiæ*. 14. *Spiritus*. 15. *Tincturæ*, 16. *Olea*.

I. *Decocta* fiunt ex vegetabilibus, animalibus, & mineralibus interdum, si opus est, incisis, contusis, vel rasis, in aqua vel simplici vel præparata, ād ignem lentum vel clarum, in instrumento aperto vel clauso, ad partis tertiæ vel quartæ consumtionem decoctis, ita ut cocta colentur, aromatizentur, clarificentur. Celebriora sunt, Decoctum *aperitivum majus* Augustanum cum *Rhabarbaro* eorundem, *Capillorum Veneris*, *Fumariæ*, *Carminativum*, *Gallinæ consummatum*, *Caponis*, *Vulnerarium*.

II. *Infusa* fiunt ex vegetabilibus, vel mineralibus, purgantibus vel vomitoriis, proportione sesquialtera vel dupla in liquorem aliquem conjectis, & in eodem certo spacio maceratis, pòst colatis.

III. *Potiones* fiunt, quando liquoribus evacuantia electuaria, extracta, pulveres, rotulæ, &c, sine decoctione miscentur.

IV. *Vina medicata* parantur, quando vinum

defecatum aut mistum, sine saccharo, vel cum eo, viribus medicamentorum simplicium; vel subitò, per olea, spiritus, & tincturas; vel per infusionem longam impraegnatur. Praecipua sunt, Berberorum, Cydoniorum, Granatorum, Ribium.

V. *Cerevisiæ medicatæ* eadem ratione fiunt.

VI. *Oxymel* fit, quando acetum cum melle miscetur, & plantæ in eo interdum immerguntur. Celebre est *Simplex*, *Scilliticum*, *Helleboratum Gesneri*.

VII. *Aqua hordei* fit, quando hordeum in aqua vel solum, vel cum passulis, aniso, cinnamomo, ad crepaturam decoquitur, colatur, & gutta unâ vel alterâ spiritus vitrioli, vel sulfuris acidi acescit.

VIII. *Acetum medicatum* fit, quando in aceto simplicia vel composita macerantur, vel ex eorundem succis idem elicitur. Fit ex plantarum 1 *Floribus*; quale est Anthosatum, Calendulatum, Caryophillatum, Lavendulæ, Papaveris, Rhæados, Rosatum, Sambucinum. 2 *Foliis*, ut Menthæ, Rutaceum Scordii. 3. *Fructu*, ut corticum citri, Fragorum, Rubi Idæi. 4. *Radicibus*, ut scilliticum. Sunt & Aceta composita, Alexicaca, Prophylactica, Bezoardica, &c.

IX. *Aquæ destillatæ*, vel in Cucurbita per Balneum Mariæ ex viribus plerumque & potentiâ frigidis plantis, iisque vel totis, vel contusis & in succos redactis; vel in vesica, ex calidis & quorum vis non facilè evocatur, iisque fermentatis eliciuntur. Fiunt *vel cum vino*, ut Aqua Absinthii, Agrimoniæ, Betonicæ, Cardui bened. Cinnamomi, Eupatorii, Avicennæ, Lavendulæ, Liliorum Convallium, Melissæ, Pulegii, Salviæ hortensis, Veronicæ; *Vel sine vino*, ut sunt Acetosæ, Acetoscellæ, &c. de quibus consule Pharmacopœam Augustanam. Fiunt etiam

etiam ex Animalibus, ut Capone, Canoris, Renibus, Sanguine humano, ſtercore animalium, &c.

X. *Syrupi* ex decoctis, infuſis, ſuccis depuratis, aceto, parantur; ſaccharo aut melle condiuntur, ad mellis ferè conſiſtentiam decoquuntur, & tam ad alterandum, quàm ad purgandum, raró ſoli, ſæpius duplo aquarum diſtillatarum diluti, uſurpantur. *Officinales* ſunt Syrupus de Abſinthio, Acetoſitatis Citri, de ſucco Acetoſæ, de ſucco Acetoſellæ, Acetoſus ſimplex, Acetoſus compoſitus, Acetoſus diarrhodon Meſuæ, Adiantinus Fernelii, de Agreſta Meſuæ, de Althæa Fernelii, Aperitivus magiſtralis Mindereri, Aurantiorum, de Corticibus aurantiorum, Florum aurantiorum de Artemiſia, de Betonica ſimplex, de Betonica compoſitus, de Berberis, de Boragine, de Bugloſſa, Byzantinus ſimplex, Byzantinus compoſitus, de Calamintha Meſuæ, de Chamæmelo, de capillis Veneris ſimplex, de iiſdem compoſitus, de ſucco Cardui benedicti, Ceraſorum acidorum de Cichorio ſimplex, de Cinnamomo, Corallorum, de Corticibus Citri, Cydoniorum, de Endivia ſimplex & compoſitus, de Eupatorio Meſuæ, de Farfara, de Fragis, de Fumario ſimplex & compoſitus, de Glycyrrhiza, de Granatis dulcibus & acidis, de ſucco Hederæ terreſtris, florum Hyperici, de Jujubis, de Hyſſopa, de Limonibus, de Lupulo, de ſucco Meliſſophylli, de Mentha, minor & major, de ſucco Mercurialis, Myrtinus, de Nymphæa ſimplex & compoſitus, Nephrocatarcticus Jouberti, de Papavere ſimplex & compoſitus, de Papavere erratico, florum paralyſeos, de Pœonia, de Piloſella, de ſucco Plantaginis, de Pomis ſimplex & compoſitus, de Portula, de Praſio, de duabus Radicibus, de quinque Radicibus, de Ribes, Roſatus ſimplex, de Roſis ſiccis, de Rubo Idæo, de Scabioſa, Scelotyrbicus, de Scolopendrio Fernelii, de Scordio ſimplex,

& compositus, de sempervivo simplex & compositus, de Stœchade simplex & compositus, de Symphyto Fernelii, florum Tunicæ, de succo veronicæ, Violatus, simplex, & compositus.

XI. *Iulepi* fiunt ex aquis destillatis, succis, conservis, & saccharo, vel sine decoctione, vel cum decoctione.

XII. *Emulsiones* ex seminibus, nucleis, margaritis, coralliis, cornu cervi, fructibus etiam nonnullis, liquore affuso contusis & expressis, parantur.

XIII. *Essentiæ* ex viridium herbarum succo, cum S. V. expresso, & in B. M. digesto, colorato, per inclinationem separato fiunt, & cum pauxillo sacchari in Syrupi formam coquuntur.

XIV. *Spiritus* in aquarum tam simplicium, quàm compositarum destillatione una cum aquis descendunt, ab iisque postea per cucurbitam, phialam, &c. separantur. Sed hoc de volatilioribus sumendum est. Fixiores retortâ, igneque fortiori, arenæ scil. vel nudo, eliciuntur. Præcipui ex *Mineralibus* sunt, Aluminis, Coralliorum, Mercurii, Salis ammoniaci, Communis, gemmæ, nitri, Saturni, Succini, Sulfuris, Tartari, Vitrioli: *Ex vegetabilibus* sunt, Absinthii, Aceti vini, Angelicæ, Anisi, Cardui benedicti, Centaurii minoris, Cerasorum nigrorum, Cochleariæ, Cydoniorum, Ebuli ex granis, Fœniculi, Fragorum, Guajaci, Juniperi, Liliorum convallium, Melissæ, Rorismarini, Rosarum, Salviæ, Sambuci, Tiliæ florum, Veronicæ vini &c.

XV. *Tincturæ* ex siccis plantis, plerumque calidis, contusis, menstruo, id est, Spiritu vini, rore majali, vel alio interveniente, in loco calido, vase clauso tam diu extrahuntur, donec menstruum non ampliùs coloretur, & vel per chartam filtrantur, vel digestione depurantur. Famosiores sunt 1 *Ex Mineralibus* Solis, Lunæ, Martis, Saturni, Antimonii,

Vitrioli,

Vitrioli, Sulfuris, Smaragdi. 2 Ex vegetabilibus, & maximè ex floribus, Alkekengi ex baccis, Croci, Cerasorum nigrorum, Fragorum, Hypericonis, Pæoniæ, Rhæados, Rosarum, Violarum, Granorum Sambuci, Ebuli, &c.

XVI. *Olea*, vel sine aquis ex gummosis & resinosis eliciuntur, vel cum aquis in destillatione descendunt, vel ab iis, aut per separatorium, aut per fila linea crassiora, vel per chartam bibulam separantur, in quibusdam subsident. *Excellentiora* sunt, Oleum Absinthii, Anethi, Angelicæ: de quibus vide inferiùs Articulo tertio, puncto primo.

PUNCTUM II.

De Medicamentis internis Solidis.

MEdicamenta interna solida sunt* 1. *Pulveres.* 2. *Salia.* 3. *Croci.* 4. *Flores.* 5. *Præcipitata.* 6. *Vitra.* 7. *Feculæ.* 8. *Confecta.* 9. *Rotulæ.* 10. *Morsuli.* 11 *Trochisci,* & 12. *Pillulæ.*

I. *Pulveres*, ex medicamento uno, vel pluribus contusis constant. Sunt vel *Subtiles*, qui si ex meris aromatibus & saccharo constant, in specie *Tragemata* vel *Trageæ* vocantur; quo & *sales sacerdotales* pertinent, qui cum cibo sumuntur: vel *Crassiusculi*, & *Trageæ grossæ*, ac *species incisæ* dicuntur, paranturque vel ex simplicibus: iisque vel saccharo obductis, vel non obductis; vel ex compositis, tabulis scilicet, seu rotulis officinalibus aromaticis. Utimur iis tam in evacuatione, quàm in alteratione. Inter *Purgantes* sunt, senæ præparatæ. Tartari Crystallini solutivus, solutivus de tribus, Cholagogus simplex, Cholagogus insuccatus, Comitis de Warvvick Species, *Electuarii* Benedictæ laxativæ, Confectionis Episcopi, Hieræ picræ Galeni, Confectionis Diaphænici, de succo Rosarum, Diaturbith cum Rhabarbaro. Inter

Alterantes ſunt, ſpecies Aromaticæ Caryophillatæ, Dianthon Nicolai, Diacalaminthes Galeni, Diacinnamomu, Diagalangæ, de gemmis calidæ, frigidæ, de Hyacintho, Imperatoris, Diaireos ſimplex, Lætificantis Rhaſis, Liberantis, Diamargariti calidi, frigidi, Diamoſchu dulcis, Diatrion pipereon, Diarhodon Abbatis, Roſatæ novellæ, Diatrion ſantalon, Diatragacanthi frigidi, Diaxylo Aloës, &c. Huc pertinent *Pulveres Alexipharmaci*. Saxonicus, Cæſaris rubeus, gryſeus, & Bezoardicum animale, quod ex ſerpentibus noſtris paratur.

II. *Sal* rebus ferè omnibus ineſt duplex, *Volatilis*, nonnullis Eſſentialis dictus, qui ignem & calorem non ſuſtinet; ſed avolat, & calcinatione diſcutitur: & *Fixus*, qui paratur è cineribus plantarum & lignorum, dum ex iis lixivium paratur, idque coquitur, donec omnis aqua exhalet, tum Sal relinquitur. *Purificatur*, vel crebrâ ſolutione & filtratione, iterumque coagulatione: vel ſi per deliquium in loco humido in liquorem ſolvatur, filtretur, iterumque coaguletur. *Præcipui ſunt*, Sal Abſinthii, Artemiſiæ, Cancrorum, Cardui benedicti, Centaurii minoris, Chereſolii, C. Cervi volatilis, Cranii volatilis, Euphraſiæ, Fabarum è ſtramine & corticibus, Fragariæ, Fumariæ, Guajaci volatilis, Hederæ terreſtris, Juniperi è baccis, è ligno, Majoranæ, Matricariæ, Meliſſæ, Nitri cryſtallini, fixi, Ononidis, Perſicariæ, Pimpinellæ, Rutæ, Salviæ, Sanguinis humani, Scordii, Succini volatilis, Tamariſci, Tartari, Vitrioli vomitivum, Urinæ, Urticæ, Zedoariæ, Jovis, Saturni, Corallorum, Perlarum, &c.

III. *Croci* ſunt ſubtiles pulveres, vel tincturæ in pulveris formam redactæ, crocei coloris. Præcipui ſunt, *Crocus Metallorum*, qui nihil aliud eſt quam antimonium cum nitro calcinatum, & in pulverem crocei coloris redactum, cui affine eſt *Sul-*

phur

phur auratum Antimonii: & *Martis*, qui variis modis paratur, de quibus Chymicos consule. Terra vitrioli huc non incommodè refertur.

IV. *Flores* Chymicis nominantur plerumque subtiliores corporis partes, à crassiore per sublimationem separatæ. Vulgatissimi sunt, *Flores* sulfuris, Antimonii, Benzoës, quo & reliqua *sublimata* pertinent, inter quæ præcipuè Mercurius sublimatus simplex, & sublimatus dulcis, Arcanum corallinum, &c.

V. *Præcipitati* nomen præcipuè tribuitur Mercurio; qui postquam in aqua forti solutus est, ab aqua solvente separatur, subsidetque, *Mercurius præcipitatus*, vel *turbith minerale* nominatur; cui si in præcipitatione aliquid auri additur, *aurum vitæ* appellatur. Huc pertinet *Bezoardi*, *cum minerale*, Mercurius vitæ, & alia nonnulla.

VI. *Vitrum* ex calcibus rerum paratur, si cinis aut calx validissimo igne fundatur, addaturque ad fusionem maturandam nonnunquam Borax, vel alii pulveres fusorii, fusa materia super pelvim calefactam, vel aliam tabulam effunditur. Sic paratur vitrum & succinum Antimonii; ex quibus calices, annuli, & nummi purgatorii fieri possunt, si fundo calicis, vel annulo, aut auro inserantur. De vitro aurato Antimonii, & ejusdem Regulo, vide Chymicos, inprimis *Schroderum in Pharmacopœa*.

II. *Fecula* est pulvis quidam farinaceus instar amyli, & fit ex succo radicum quarundam expresso, vel cum liquore extracta, qui si in loco frigido collocetur, fecula spontè subsidet, quæ effuso humore supernatante in umbra siccatur. In usu *præcipuè* sunt, fecula Bryoniæ, Ari, Pœoniæ, Iridis, Serpentariæ, Liliorum alborum, Scillæ.

VIII. *Confecta*, sunt Pharmacopœis condita arida, ob saporis gratiam inventa, & parantur tam ad alterandum

terandum quàm evacuandum. *Præcipua* ſunt, Amygdalarum dulcium, Aniſi Laxativi, Calami aromatici, Cardamomi minoris, Carvi, Caryophyllorum, Cichorii, Cinæ ſeu Santonici, Cinnamomi, Coriandri, Corporis ſine anima confectio moſchata, Cubebarum, Fœniculi Lavendulæ florum, Pimpinellæ radicum, Pinearum, Zedoariæ, Zingiberis. Huc pertinent confecta candiſata, ſeu ſaccharo candi incruſtata, ut Acori, Aurantiorum corticum, Caryophyllorum, Cinnamomi, Citri corticum. Nucis Moſchatæ, Pyrorum muſcatellinorum, &c.

IX. *Rotulæ*, à figura rotunda ſic dictæ, ſunt etiam vel alterantes, vel purgantes, & parantur cum ſaccaro, cujus proportio vulgatiſſima eſt octupla in alterantibus, quadrupla in purgantibus, in oleis ſtillatitiis, major. *Palmam obtinent*, Rotulæ de Berberis, Manus Chriſti ſimplices, perlatæ, Sulfuris, &c.

X. *Morſuli*, eodem ferè modo fiunt. Sunt vel *Alterantes*, ut Bezoardici, Cephalici, Cephalico-ſtomachici, è ſucco & corticibus citri, Imperatoris, Pectorales, Saccharum, roſatum tabulatum, &c. Vel *Purgantes*, ut, Diacarthami, Diaphænic. Aug. Diatrion laxativi, De Manna Tartarizata, De Mechoacanna, de Jalapa, Diaturbith cum Rhabarbaro, &c. Vel *Nutritivi*, qui parantur ex pulpa caponis, perdicis, teſticulis gallorum, carne cancrorum & teſtudinum, &c. Ad Morſellos pertinent, 1. *Pandaleon*, materiâ & fine cum eclegmatis, formâ cum tabulis ferè conveniens, niſi quod informe maneat. 2. *Turiones*, quaſi torrones à torrendo dicti, qui ex amygdalis dulcibus, avellanis, pineis contuſis vel torrefactis, melle deſpumato exceptis, parantur. 3. *Confectiones reſtaurantes*, ut Diamygdalatum, Pineatum, Teſtudinatum, Panis ſaccharatus vel biſcoctus, &c. 4. *Holippæ purgantes*, *Oblatæ laxativæ*, & *Melitomata purgantia*, *&c.*

XI. *Trochiſci* ſeu *paſtilli*, ſunt medicamenta ſolida cohærentia, ex convenientibus cum liquore exceptis conſtantia, figurâ ſeminis lupinorum, & ſuperficie planâ, eo fine inventa, ut medicamenta pulverizata ſub hac ſolidâ figurâ adverſus aëris injurias, tutiùs conſerventur. Parantur ex omnis generis medicamentis, non ſolùm pulveribus & ſpeciebus, ſed etiam additis ſuccis inſpiſſatis, conſervis, extractis, aut ſimilibus confectionibus, doſi ad pulveres ſubquadrupla, &c. Sunt vel *Alterantes*, de Abſinthio, Aliptæ moſchatæ cum ambra & moſcho, Aliptæ moſchatæ ſine ambra & moſcho, Bechici albi, nigri, rubri, de Berberis, de Camphora, de Capparibus, de Carabe, de corallio, Cypheos Democratis, de Lacca, de Myrrha, de ſpodio, de terra ſigillata, de viperâ, &c. Vel *Purgantes*, de Agarico, Alhandal, &c.

XII. *Pillulæ* ſeu καταπότια, ſunt medicamenta in formam globulorum redacta, ut integra deglutiantur, & inſuavitas minùs guſtu percipiatur. Fiunt ex pulveribus, maſſâ pilularum uſualium extractis, ſimplicibus cum humore commixtis. Sunt, Vel *Alterantes*, de Bdellio, Bechicæ, de Caſtoreo, de Cynogloſſâ, Narcoticæ Plateri, &c. vel *Purgantes*, de Agarico, Aggregativæ majores, Alephanginæ, de Aloë lota roſata, de Ammoniaco, Arthriticæ, Aſſajeret, Aureæ Nicolai, Benedictæ, de Colocynthide, de Hermodactylis, Marocoſtinæ, Maſtichinæ, Panchymagogæ, &c. Diſtinguuntur quoque in *Hippoglottides* & *Narcoticas*.

PUNCTUM III.

De Medicamentis internis mediis.

M*Edicamenta interna media inter fluida & ſolida habent ſub ſe.* 1 *Extracta.* 2. *Reſinas.* 3. *Conſervas.* 4. *Condita.* 5. *Rob.* 6. *Electuaria.* 7. *Eclegmata.* 8. *Saponeas*, & 9. *Bolos.*

I. *Extra-*

I. *Extractum* perinde ac tinctura extrahitur, & ad consistentiam vel mellis, vel pillularum, vel pulveris redigitur. *Usitatiora* sunt, Absinthii, Acori, Agallochi, Angelicæ radicum, Aristolochiæ rotundæ, Cardui benedicti, Caryophyllorum, Castorei, Centaurii minoris, Chelidonii majoris, Croci, Cubebarum, Dictamni, Enulæ, Galangæ, Gentianæ, Guajaci, Imperatoriæ radicis, Melissæ, Menthæ, Maceris, Majoranæ, Petasitidis, Pœoniæ, Rutæ, Sabinæ, Satyrionis radicum, Scabiosæ, Scordii, Symphyti, Tormentillæ, Valerianæ, Zedoariæ.

II. *Resina*, ex gummosis extrahitur, & aquâ rosarum in extractionem cum spiritu vini factam, & à fæcibus per inclinationem separatam instillatâ, præcipitata, calore lento siccatur.

III. *Conserva*, fit ex floribus, interdum herbis & radicibus mollioribus contusis, & cum sacchari duplo conditis. *Usitatiores* sunt, *Summitatum.* Absinthii Romani, Carduibenedicti, Euphragiæ, Fumariæ, Majoranæ, Pulegii, Veronicæ. *Foliorum* Acetosæ, Acetosellæ, Cochleariæ, Menthæ, Portulacæ. *Florum*, Acaciæ, Betonicæ, Borraginis, Buglossæ, Calendularum, Cichorii, Genistæ, Liliorum alborum, Lavendulæ, Liliorum convallium, Malvæ, Melissæ, Menthæ, Nymphææ albæ, Papaveris erratici, Persicorum, Primulæ veris, Prunellæ, Rosarum albar. rubrar. vitriolata, Salviæ Sambuci, Tiliæ, Cunicæ, Tussilaginis.

IV. *Conditum* fit ex radicibus, corticibus, fructibus, aut durioribus aquâ maceratis vel coctis; aut mollioribus saccharo aut melle conditis, ut diutius durent, & gustui gratiores sint. *Usitatiora* sunt sequentia. *Radicum*, Calami aromatici, Borraginis, Cichorii, Consolidæ majoris, Enulæ, Eryngii, Pimpinellæ, Rhabarbari, Satyrii, Scorzoneræ, Zedoariæ, Zingiberis, tam Chinensis quàm communis.

Florum,

Florum, Aurantiorum, Citri. *Fructuum*, Aurantiorum, Berberum, Cerasorum amarenorum, Citriorum, seu integrorum, seu in taleolis, seu siccorum, seu carnis, Cydoniorum, Cynosbati baccarum, Malorum Armeniacorum præcocium, Mespilorum integrorum, Myrobalanorum Belliricæ, Chebulæ, Citrinæ, Emblicæ, Nucum Indicarum seu cum involucris, seu sine involucris, Nucum juglandium, Persicorum, Piperis nigri in racemis, Prunorum sylvestrium, Prunorum citrinorum, Pyrorum muscatellinorum, &c. *Corticum*, Aurantiorum, Citri. *Caulium* Lactucæ Hispanicæ.

V. *Rob* seu succus inspissatus ex fructibus, nonnunquam ex floribus, vel cum expressione, vel sine expressione, coquitur, sacchari subduplo aut pari quantitate addita. *Præcipui* sunt, Berberis, Cerasorum, fructuum Cynosbati, Ribes, Sambuci. Huc pertinent *succi inspissati*, Absinthii, Acaciæ, Agrimoniæ, Aloë, Cardui benedicti, Granorum Kermes, Centaurii minoris, Cydoniorum, Enulæ, Fumariæ, Glycyrrhizæ, Gratiolæ, Hyperici, Hyosciami, Hypocistidis, Ireos nostratis cœruleæ, Liquiritiæ, Mercurialis, Myrtillorum Germanicor. Nicotianæ, Opii, quod lacryma est, Papaveris domestici & erratici, Plantaginis, Rosarum incarnatarum & rubrarum, Scrophulariæ, & Solatri. *Adde* his Mel Ebulinum, Sambucinum, Juniperinum, & Passulatum.

V. *Electuarium* fit ex conservis, speciebus, rotulis, trochiscis, additâ succi vel syrupi proportionata quantitate. *Palmam obtinent*, Theriaca Andromachi, Mithridatium Damocratis, Electuarium Alkermes, Confectio Anacardina, Archigenis, Aurea Alexandrina, Athanasia magna Nicolai, Electuarium è baccis lauri, Chalybeatum, de scoria ferri, Guidonis contra pestem, de Ovo Maximiliani Imperatoris, Philonium Mesuæ, Persicum, Majus seu Roma-

Romanum Nicolai, Tharſenſe Galeni, Diaſatyrium Nicolai, Electuarium magnanimitatis, Diaſcordium Fracaſtorii, Tryphera magna Nicolai, Minor Phœnonis Meſuæ, Saracenica ejuſdem, nomen inde ſortitæ, quòd totius corporis colorem ac oris odorem commendent, & delicatam quandam commendabilis ſpeciei oſtentationem præ ſe ferant.

VI. *Eclegma*, ſeu Looch, ex ſpeciebus, pulveribus, conſervis, ſuccis, cum liquore vel Syrupo miſtis fit, & ad pulmonum ac thoracis vitia adhibetur. *Vſualia* ſunt, ad aſthma ſeu Scillæ compoſitum, de Cautibus, de Farfara, de Papavere, Paſſulatum, de Pino, de Portulaca, de Pulmone vulpis, ſanum & expertum, è ſucco Scillæ, &c.

VII. *Saponea*, eſt linctus ex amygdalis decorticatis, contuſis, & ●um ſaccharo in aqua convenienteI diſſoluto, ad mellis conſiſtentiam coctis, additis ad finem amylo & aquâ roſarum.

VII. *Bolus* ex electuariis, pulpis, conſervis, ſpeciebus, pulveribus cum pauxillo ſyrupi componitur, in globoſam figuram redigitur; & vel ad purgandum, vel vomendum, vel alterandum, vel aliam intentionem adhibetur.

ARTICULUS II.

De Medicamentis externis.

PUNCTUM I.

De Medicamentis externis fluidis.

TAntum de Medicamentis compoſitis internis: ſequuntur *externa*, quæ ſunt vel *Fluida*, vel *Solida*, vel *Media*, vel *Indifferentia*. *Fluida* ſunt 1. *Clyſteres*. 2. *Διακλύσματα*. 3. *Gargariſmi*. 4. *Olea*. 5. *Epithemata*. 6. *Stillicidia*, & 7. *Lotiones*.

I. *Clyſteres*, qui & *Enemata*, ſunt medicamenta,

ta, quæ per anum in inteſtina, inſtrumento idoneo injiciuntur. Fiunt è radicibus, corticibus, foliis, floribus, fructibus, in aqua coctis & colatis, additis quibuſdam quæ intentioni Medici inſerviunt. Uſus ipſorum eſt in alvo laxanda, abſtergendo, flatibus diſcutiendis, adſtringendo, glutinando, renum & inteſtinorum dolore ſedando.

II. Διακλύσματα, ſeu collutiones oris ſunt medicamenta, quæ in ore detinentur, & ſine deglutitione, linguæ beneficio, hinc & inde agitantur. Doloribus dentium & gingivarum affectibus inprimis deſtinata ſunt.

III. *Gargariſmi* ſunt medicamenta, quibus fauces ſine deglutitione colluuntur, humorque ore contentus, reciproco motu ad fauces agitatur. Fiunt ex aquis deſtillatis vel decoctis convenientibus, nec ſapore nec odore ingratis, aut veneноſitatem aliquam foventibus, in quibus Rob aut Syrupi diſſolvuntur. Utimur iis in repellendo, diſcutiendo, maturando, abſtergendo, conſolidando.

IV. *Olea* parantur vel per *deſtillationem*, ut ſuperiùs dictum; vel per *expreſſionem* ſucci oleaginoſi, quando fructus & ſemina contuſa vapore aquæ calidæ tepefiunt, & in ſacculum incluſa torculari premuntur: vel per *infuſionem*, vel quando ſimplicia medicamenta cum aqua ſimplici, vel deſtillata, vino, alioque liquore conveniente, in oleo communi coquuntur, ad humoris conſumtionem: vel quando eadem ſimplicia lento calore, vel ad ſolem macerantur; vel quando plantæ ſiccatæ, in oleo in B. M. digeruntur, poſtea oleum exprimitur, & clarificatur. *Olea expreſſa* ſunt hæc. Oleum Amygdalarum amararum, dulcium, Avellanarum, Balaninum, Cannabis, Ceraſorum, Citri è granis, Erucæ, Hyoſciami, Juglandium, Laurinum,

Macis, Nigellæ, Nucis moſchatæ, Olivarum, Omphacinum, Ovorum, de Palma, Papaveris, Perſicorum nucleorum, Pinearum, Piſtachiorum, Raporum, Ricinum, Seſaminum. *Olea inſolata* ac ſimplicia ſunt iſta: Oleum Abſinthii, Abrotani, Anethi, Chamæmelinum, Cheirinum, Cydoniorum cum Omphacio, Enulæ, Euphorbii, Formicarum, Hederæ terreſtris, Iaſminum, Irinum, Liguſtrinum, Cyprinum de Alcanna, Lilinum, Liliorum Convallium, Lumbricorum, Maſtichinum, Menthæ, Meliloti, Momordicæ, Myrtillorum, Myrtinum, Nardinum, Nicotianæ, Nymphææ albæ, Populeum, Ranarum, Roſatum, Rutæ, Sambucinum, Scorpionum, Styracis, Verbaſci, Violarum. *Olea cocta* Compoſita ſunt ſequentia: de Capparibus, Caſtorei, Cóſtenum, Croci, Hyperici, Liliorum, Majoranæ ſeu Sampſuchinum, Mandragoræ, Moſchellinum, Nardinum compoſitum, Papaverinum de Piperibus, Reſolutivum Scorpionum compoſitum, vulpinum. *Olea ſtillatitia* uſitatiora ſunt iſta. Abſinthii, Anethi, Angelicæ, Aniſi, Aurantiorum, Bulyri majalis, Benzoin, Calami aromatici, Camphoræ, Cardamomi, Carvi, Caryophyllorum, Ceræ rectificatum, Chamæmeli, Cherofolii, Cinnamomi, Citri cortic. Cymini, Cubebarum, Euphorbii, Fœniculi, Galbani, Guajaci, Hyſſopi, Juniperi è baccis, & è ligno, Laterinum philoſophorum, Macis, Majoranæ, Maſtichis, Meliſſæ, Menthæ, Myrrhæ rectif. Nucis moſchatæ, Origani, piperis, Pulegii, Roriſmarini, Roſarum vulgare, Omphacinum, compoſitum Meſuæ, Salviæ, Saponis, Sabinæ, Serpilli, Smegmatis, Spicæ, Succini albi, flavi, Tartari, Terebinthinæ, Zedoariæ.

V. *Epithemata* extremis corporis partibus applicantur, & fiunt ex aquis deſtillatis ſuccis, infuſis, parti & affectui convenientibus. Pertinent ad ea

Oxyr-

Oxyrrhodina, quæ fronti peculiariter perpetim ad refrigerandum & repellendum applicantur. Fiebant olim ex oleo rosaceo & aceto; hodie olea & aquæ destillatæ, succi & pulveres interdum adduntur.

VII. *Stillicidia* parantur ex aqua communi, thermis, decoctis, lacte, oleo, &c. Adhibentur, vel prolutione ex vasculo proboscide inclinata, aut destillatione ex gutturnio facta, tribus præcipuè locis: super suturam coronalem, ad principium spinalis medullæ, & ad ventriculum calefaciendum.

VII. *Lotiones* sunt vel totius corporis, & vocantur Balneæ; vel partium, capitis, manuum, pedum, ventris, &c. Parantur ex iis, ex quibus fomenta.

PUNCTUM II.

De Medicamentis externis solidis.

MEdicamenta externa solida sunt : *1. Glandes. 2. Pessi. 3. Emplastra. 4. Cerata. 5. Cauteria.*

I. *Glandes, βάλανοι*, vulgò suppositoria, sunt medicamenta solida, quæ ano immittuntur, figurâ tereti, instar candelæ cereæ, quatuor vel quinque digitos transversos longa. Parantur ex melle ad eam spissitudinem cocto, ut digitis tractari possit, cui adsperguntur alia quibus opus. Adhibentur ad alvum laxandam, ægro debiliore, ulcus in intestino recto detergendum & consolidandum, dolorem sedandum, humores versus superiora ruentes retrahendos, & ascaridas necandas.

II. *Pessi* parantur vel ex lana carpta, benè carminata, atque ad digiti figuram contortâ, succo vel liquore aliquo, aut solo aut admistis pulveribus, imbuta: vel ex medicamentis tritis, convenientibus liquoribus, ut adipe, oleo, cerâ, ladano, galbano, melle exceptis, in pila subactis, & in pessi formam redactis: vel ex herbis viridibus paululum contusis, filo

que in formam peſſi ligatis. Vel ex pulveribus tenui lana vel goſſypio exceptis, & tereti ſacculo ex panno raro confecto inditis, qui etiam argenteo inſtrumento tereti, & multis foraminulis pervio includi poſſunt.

III. *Emplaſtra*, propriè ita dicta, ſunt medicamenta, quæ linteis vel pellibus tenuibus inducta, cuti corporis tenacius adhæreſcunt, & materiâ cum cerotis conveniunt, niſi quod metalla & mineralia, & plerumque lithargyrum, quæ ſolidam iis conſiſtentiam tribuunt, accedunt. quæ omnia ad juſtam conſiſtentiam coquuntur, & ex refrigeratis Magdaleones parantur. Interdum maſſæ non planè refrigeratæ telæ emplaſticæ ex linteis uſu detritis immerguntur & eximuntur. Minùs propriè ita dicta ſeu media quaſi inter emplaſtra & cataplaſmata, quæ ſine cera, pice, & glutinoſis illis, & ſine igne parantur, ac cum melle, mucilaginibus, & viſcido quodam Cremore, aut ſolùm pauxillo ceræ oleo liquatæ, fiunt. *Præcipua* ſunt, Album coctum, Apoſtolicum, Arthriticum, Aſclepiadis, Barbarum majus, minus, Baſilicum majus, minus, è lapide Calaminari, Ceroneum, de Ceruſſa Renod. Diachylon ſimplex, magnum, parvum, cum gummis, Citrinum, de Cruſta panis, ad fracturas oſſium Renod. de Janua ejuſdem, de baccis lauri, Maſtichinum Renod. Magneticum, de Meliloto, de Minio, Mundificativum, Nervinum, Oppodeldoch, Oxycroceum commune, Vigonis, Diaphænicum calidum, frigidum, è canis Vigonis, de Rhabarbaro, Sparadrap, de ſtercore canis Vigonis, Spleneticum, Sticticum, Diaſulphuris, Tetrapharmacum, Triapharmacum, ad tophos, de Tacamahaca, Veſicatorium, Filii Zachariæ.

IV. *Cerata*, quod majorem partem ceræ recipiant, emplaſtro minus duram habent conſiſtentiam. Vel fiunt ex cera, oleo, reſinâ tantùm; vel ex iiſdem,

iisdem, additis præterea pulveribus, ita ut oleorum ad pulveres proportio sit octupla, ad ceram tripla vel sextupla, ad resinam duodecupla. Præter hæc omnia adduntur Pinguedines & gummi, succi, radices, fructus, vel semina, quæ prius coquenda, colatura postea cum oleo ad humoris consumtionem coquitur. *Præcipua* sunt, Cerotum ex Betonica, Capitale, Diachalcitros, diapalma, de Galbano seu matricale, infrigidans Galeni, Oesypi, Diapiper, ex pelle arietina, pro Herniosis, sacrum seu Diadictamnum, Santalinum, Sparadrappum Vigonis, Stomachale.

V. *Cauteria*, sunt medicamenta, quæ adurendi corpus, crustamque excitandi vim habent, & sunt vel *Actualia*, quæ candente metallo fiunt, de quibus in Chirurgia; vel *Potentialia*, quæ per medicamenta urentia fiunt, & parantur ex lixivio, è quo sapo conficitur, in salis seu lapidis ferè consistentiam cocto, qui *lapis corrosivus* vulgò appellatur. Ulcus cauterio excitatum, vulgò *Fontanella* dicitur.

PUNCTUM III.

De Medicamentis externis mediis.

M*Edicamenta externa media sunt*, 1. *Balsama*. 2. *Linimenta*. 3. *Vnguenta*. 4. *Cataplasmata*.

I. *Balsama* conficiuntur ex oleis incorporatis vel cera alba depurata, vel oleo nucis moschatæ expresso, vel medulla vituli lota, vel manna depurata. Possunt & extracta rerum, quarum balsamum expetitur, admisceri. *Vsitatiora* ista sunt, Angelicæ, Anisi, Apoplecticum cum moscho & Zibetta, Arantiorum, Caryophillorum, Cinnamomi, Citri, Cubebarum, Lavendulæ, Maceris, Majoranæ, Menthæ,

Nucis moſchatæ, Roris-marini, Roſarum, Rutæ. Succini, Zedoariæ. Sunt verò & *Balſami deſtillati*, qui nihil aliud ſunt quàm deſtillati ſpiritus cum olei portione, ex reſinis, gummatis, aromatibus, & ſimilibus, interveniente ſpiritu vini prolecti. Uſitatiores ſunt, Vitæ, Nervinus, Antiarthriticus, Petri de Ebano, Saponis.

II. *Linimenta*, ſunt medicamenta mediæ inter oleum & unguentum conſiſtentiæ, paranturque quando oleis, butyro, pinguedinibus, ſevo, medullis, adduntur pulveres, ſucci, reſinæ, & lacrymæ arborum, eâ ferè analogiâ, ut ad Oleorum unc j. pinguedinum dr. ij vel iij, Specierum dr. j. raro Ceræ dr. j. aſſumatur, miſcenturque omnia, vel ſine igne & decoctione; vel ad ignem, ut gummi & pinguedines liqueſcant; vel etiam, ebullitione aliqua, ad ſuccorum ſcilicet additorum conſumtionem.

III. *Vnguenta* à linimentis conſiſtentiâ craſſiore differunt, & parantur vel ſine igne, vel cum igne, ex pinguedinibus, oleis, gummatibus, pulveribus, unguentis uſualibus, herbis, radicibus, ſeminibus in aqua, vino, ſuccis, oleo maceratis, & ad conſumtionem liquoris decoctis. *Vſitatiora* ſunt Agrippæ, Ægyptiacum, Alabaſtrinum, Album Avicennæ, Album Camphoratum, Altheæ ſimplex, compoſitum, Anodynum Cordi, Apoſtolicum, Arthanitæ majus, minus, Aureum de Bdellio, de Calce, ad Carunculas penis, de Ceruſſa Avicen. Citrinum, Comitiſſæ, de Cyclamine, de Cynogloſſa, Fuſcum, Infrigidans Galeni, Jovis ſeu de verbena, de Lithargyro, Martiatum magnum, parvum, Mercuriale, de Minio camphoratum, de Nicotiana, Nihili ad oculos, Pectorale, Pediculorum, Pomatum, Populeum, Potabile, Reſumtivum, Roſatum, Rubeum Camphoratum; ad Scabiem, de ſucco Arantii, Sympatheticum, Terebinthinæ; ad Vermes, Violatum, Viride Reginæ.

IV. *Cataplasmata* sunt medicamenta, pultis ferè formâ. Parantur vel *sine igne*, quæ Cruda dicunt, quando planta virides contusæ in pultem rediguntur, vel siccæ pulverizatæ. Cum duplo vel triplo olei vel liquoris idonei miscentur: vel *cum igne* seu coctione, quando aut plantæ contritæ aut contusæ, ad mollitiem coctæ, per cribrum trajiciuntur, iisdem mucilagines, farinæ, olea, adduntur, aut plantæ mox in oleo coquuntur. Huc referri debent, 1. Dropax seu picatio, quæ ex pice cum oleo liquata & aliis paratur, ut cuti valentiùs adhæreat. 2. *Sinapismus*, seu cataplasma, quod ex sinapi & aliis ejus vires æmulantibus fit. si est mitior, vocatur *Phœnigmus*, quod cutim rubificet: si fortior, *Vesicatorium*, & paratur ex vesicatoriis.

PUNCTUM IV.

De Medicamentis externis indifferentibus.

IN *differentia voco, quæ aliquando parantur liquida, aliquando solida, aliquando media, suntque 1. Apophlegmatizantia. 2. Dentifricia. 3. Errhina. 4. Ptarmica. 5. Odoramenta. 6. Smegmata. 7. Suffitus. 8. Collyria.*

I. *Apophlegmatizantia* sunt, quæ ore detenta, pituitam è capite & vicinis locis proliciunt. Parantur sæpe eodem modo, quo gargarismata: aliquando medicamenta teruntur, & cum liquore convenienti in formam electuarii rediguntur: sæpe simplicia integra vel nonnisi ore detenta masticantur: nonnunquam trita cum melle vel cera in trochiscos rediguntur: quandoque in nodulum conformantur.

II. *Dentifricia*, ad dealbandos, extergendos, & stabiliendos dentes, gingivasque laxas comprimendas parantur, vel fluida, vel formâ linimenti pulveris, trochiscorum.

III. *Errhina* adhibentur intra nares, formâ vel humida, quæ aut infunduntur, aut illinuntur; vel aridâ, & tum vel ex radicibus, aut caulibus convenientibus, ut betæ, ireos, in formam pyramidalem figurantur, & aqua macerata immittuntur; vel pulvis ſimplicium naribus inſufflatur; vel turundæ ex lana vel petia, ſucco vel aqua imbutæ, & pulveribus aſperſæ, naribus intruduntur; vel pulveres cum mucilagine, gummi, aut terebinthina, vel oleo & cera, in peſſulos pyramidales formantur.

IV. *Ptarmica* ab his non multum differunt, & ſternutationem excitant.

V. *Odoramenta* fiunt ex illis, quæ ſuavem odorem ſpirant, & vel ſunt fluida, vel pomi, pulveris, linimenti forma parantur.

VI. *Smegmata*, ſeu ſapores, parantur ex ſapone raſo, cui pulverum convenientium ſubſextuplum, aut ſuboctuplum additur, & omnia cum liquore in unam maſſam commiſcentur, ex eaque globi formantur.

VII. *Suffitus* ad odoramenta pertinent, & formâ pulveris, trochiſcorum, & pyramidum parantur.

VIII. *Collyria* adhibentur externè oculis, & parantur vel ſicca, minutiſſimè in marmore trita; vel humida, quæ vel formâ liquoris oculis inſtillantur, vel unguenti illinuntur; vel Vaporoſa, quæ in aqua coquuntur, vapor exhalans, capite linteo tecto, oculis excipitur. Sed de his omnibus conſule *D. Iohannis Schroderi Pharmacopæam Medico-Chymicam*, quam Medicinæ ſtudioſis præ omnibus aliis commendo.

CAPUT V.

De Medicamentis à facultatibus denominatis.

ARTICULUS I.

De Medicamentis Alterantibus.

PUNCTUM I.

De Medicamentis calidis.

HActenus de Medicamentis simplicibus & compositis actum est. Medicamenta à facultatibus denominata, vel sunt *Alterantia*, vel *Motum conciliantia*, vel *aliquid producentia*, vel *aliquid corrumpentia*, vel *aliquid auferentia*, vel *venenis resistentia.*

Alterantia Medicamenta sunt in multiplici differentia: sunt enim *Temperata, Calefacientia, Frigefacientia, Humectantia, Siccantia, Digerentia, Emollientia, Indurantia, Laxantia, Rarefacientia, Condensantia, Stegnotica, Anastomatica, Attenuantia, Aperientia, Incrassantia, Emplastica, Ecphractica, ῥυπτικὰ seu Abstergentia, Anodyna, & Narcotica.*

I. *Temperata sunt, quæ in qualitatibus primis non excedunt, ut sunt:* Adianthum, asparagus, glycyrrhiza, pini nuclei, jujubæ, ficus, sebesten, uvæ passæ, dactyli, gummi elemi, tragacanthum, sevum vitulinum, caprinum, pinguedo suilla, oleum dulce.

II. *Calida* sunt in primo, secundo, tertio, vel quarto gradu.

I. *Calida in primo sunt, quæ vix sensibiliter calefaciunt*, ut *Radices*, altheæ, brancæ ursinæ, betæ, buglossæ, glycyrrhizæ, satyrii. *Folia*, absinthium, al. 2. althæa, borrago, buglossum, beta, bras-

ſica, Chamæmelum, Cuſcuta, Eupatorium ſeu agrimonia, fumaria, linaria, melilotus, malabathrum, nardi ſpica, ſcolopendrium verum, ſymphytum, tuſſilago. *Flores*, borraginis, buglosſi, betonicæ, buphthalmi, meliloti, chamæmeli, populi nigræ, ſtœchados arabicæ, ſenecionis. *Semina*, Coriandri, fœnigræci, lini, lithoſpermi, ſeſami, Oryzæ. *Fructus*, Amygdalæ dulces, caſtaneæ, jujubæ, nuces cupreſſi, nuces juglandes virides, uvæ maturæ, mora matura, poma dulcia ſuave-olentia. *Cortices*, macis, guajaci, tamariſci. *Liquores, ſucci & gummata*, ſaccharum, bdellium, ladanum, al. 2. gummi hederæ. *Sevum*, Capreoli, damæ, cervi, butyrum recens.

II. *Calida in ſecundo ſunt, quæ manifeſtè, ſed citra læſionem calefaciunt*: ut, *Radices* Apii, Capparum, peucedani, pimpinellæ, napi, zedoariæ, rhodia. *Folia*; Abſinthium, anagallis, anethum viride, angelica, apium, artemiſia, betonica, calamus odoratus, chamæpitys, fœnum græcum, hypericum, hedera, lupulus, meliſſa, marrubium, matricaria, myrrha, ocymum, al. 3. pimpinella, peucedanum, polium, roſmarinus, ſatureja, ſalvia, ſcabioſa, ſcordium, al. 3. ſtœchas, parthenium. *Flores*, amomi, croci al. 1. Caryophyllorum, ſchænanthum, lavendulæ, lupuli, meliſſæ, roriſmarini. *Semina*; anethi, apii, oroti, erucæ, ocymi, urticæ. *Fructus*; capparis, nux moſchata, piſtacia, ficus ſiccæ, nuces ſiccæ. *Cortices*; caſſiæ ligneæ, cinnamomum, al. 3. thuris, capparum radicis. *Liquores, gummi, reſinæ*; vinum non antiquum, ladanum, aloë, galbanum, myrrha, maſtiche, thus, pix arida, reſina, ſtyrax. *Adeps*, leonina, pardi, urſina, vulpina.

III. *Calida in tertio ſunt, quæ vehementer quidem & cum moleſtia, ſed citra corruptionem calefaciunt*: ut, *Radices* acori, al. 2. aſari, ari, ſcillæ, dictamni,

ctamni doronici, fœniculi, galangæ, hellebori utriusque, helenii, iridis. petroselini, raphani. *Folia*; abrotanum, al. 2. asarum agnus castus, arum, amomum, ammi, anethum siccum, baccharis, dictamnum, caryophyllata, chamædrys, cnicus, id est, cardamum, centaurium majus, minus, chelidonium, calamintha, conyza, menthastrum, fœniculum, epithymum, helenium, juniperus, hyssopus, laurus, majorana, marum, mentha, nigella, œnanthe, periclymenum, petroselinum, ptarmica, pulegium, resta bovis, ruta, sabina, serpillum, Sisymbrium, al. 2. thymum, trifolium, verbenaca, urtica. *Flores*; agni casti, epithymi, leucoion, œnanthe, periclymeni. *Semina*; ammi, anisi, amomi, cari, cardamomi, cardami, al. 2. fœniculi, dauci, cumini, nigellæ, napi, petroselini, seselios, staphidis agriæ, viticis. *Fructus*; baccæ juniperi, Caryophylli, carpobalsamum, anacardia, piper, al. 4. *Cortices*; macis. *Liquores, lacrymæ, gummi*; vinum vetustius, asa dulcis, fœtida, ammoniacum, cedria pix, opopanax, moschus. *Metallica*; flos æris, æs ustum, squamma æris, ærugo, diphryges, alumen, sal, nitrum, sulphur, chalcitis.

IV. *Calida in quarto sunt, quæ cum gravissima corporis humani læsione calefaciunt*: ut, *Radices*; allium, cepa, costus, porrum capitatum, pyrethrum. *Folia*; lepidium, nasturtium utrumque, al. 3. porrum capitatum, struthium, thapsia, tithymallus. *Semina*; Nasturtii, sinapi. *Fructus*; piper, *Gummi*; Euphorbium: *Metallica*; Vitriolum, auripigmentum, sandaracha, chrysocolla, misy, sory, melantheria.

PUN-

Punctum II.

De Medicamentis frigidis.

M*Edicamenta frigida ſunt, quæ frigefaciendo corpus humanum alterant*, ſuntque talia, in primo, ſecundo, tertio, & quarto gradu.

I. *Frigida in primo gradu ſunt, quæ corpus humanum vix ſenſibiliter frigefaciunt*, ut, *Radices*, Malvæ. *Folia*; atriplex, oxylapathum, mala, myrtus, parietaria. *Flores*; malvæ, roſæ, violarum. *Semina*, hordeum, milium. *Fructus*; citrii caro, cydonia mala, pyra, pruna. *Succi concreti*; acacia, al. 2. ſanguis draconis. *Lapides*, hyacinthus, ſapphyrus, ſmaragdus.

II. *Frigida in ſecundo ſunt, quæ manifeſtè ſed citra læſionem frigefaciunt*, ut *Folia*; bliti, chondryllæ, lactucæ, lentis paluſtris, hyacinthi, acetoſæ, plantaginis, polygoni, pſyllii, ſolani. *Flores*; anemonæ luteæ; *Semina*; acetoſæ, Cichorii, alkekengi. *Fructus*; cucurbita, cucumis, galla, aurantia mala, mala punica, pruna damaſcena, pepones, perſica. *Lignum*; ſantali.

III. *Frigida in tertio ſunt, quæ vehementer quidem, ſed ſine corruptione frigefaciunt*, ut *Radices* mandragoræ. *Folia*; portulacæ, mandragoræ, ſempervivi, hyoſcyami, al. in 4. *Flores*; balauſtia. *Semina*; Cicutæ, hyoſcyami, papaveris. *Fructus*; mala aurea, mala inſana. *Succus*; hypociſtidis.

IV. *Frigida in quarto ſunt, quæ frigefaciendo corrumpunt*, ut *Folia*; Cicutæ, papaveris. *Fructus*; ſtrammoneæ. *Succi*; Meconium, Opium, ſecundùm vulgarem ſententiam. Vide de eo Dœringium, Hartmannum, & Freytagium.

PUNCTUM III.

De Medicamentis humidis.

M*Edicamenta humida sunt, quæ humefaciendo corpus humanum alterant.* Suntque primi & secundi gradus pleraque talia.

I. *Humida in primo* sunt, *Radices*; satyrii, buglossi, glycyrrhizæ, malvæ, rapi, *Herbæ*; buglossum, helxine, malva. *Flores*; buglossi, malvæ, intybi. *Semina*; malvæ, sesami. *Fructus*; Citri caro, jujubæ, amygdalæ dulces.

II. *Humida in secundo* sunt. *Herbæ*; viola, nymphæa, atriplex, blitum, lactuca, lens palustris, portulaca. *Flores*; nymphææ, violarum. *Fructus*; Cucurbita, melones, pepones, persica, pruna damascena, uvæ maturæ, saccharum.

PUNCTUM IV.

De Medicamentis siccis.

M*Edicamenta sicca sunt, quæ siccando corpus humanum alterant*; suntque talia primi, secundi tertii & quarti gradus,

I. *Sicca in primo* sunt *Radices*; bryoniæ, rubiæ, œnanthæ, tamarisci, altheæ, avi. *Folia*; Betæ, brassicæ, chamæmeli, fœniculi, hyacinthi, malabathri, myrti, verbasci. *Flores*; buphthalmi, chamæmeli, croci, hyacinthi, meliloti, rosarum. *Semina*; fabæ, fœnogræci, hordei. *Fructus*; baccæ juniperi, castaneæ. *Gummi*, thus.

II. *Sicca in secundo* sunt, *Radices*. Capparum, Cichorii, Raphani. *Herbæ*; Anagallis, artemisia, *al. primo*, anethum viride, betonica, cuscuta, calamus odoratus, intybum, marina brassica, bursa pastoris, equisetum, gingidium, mentha, mentastrum, plantago, rosma-

rosmarinus, spica nardi, symphytum, fumaria, pimpinella, oxalis, verbenaca, virga pastoris. *Flores*; balaustia, pæoniæ, anemones, chamæpityos, periclymeni, stœchadis. *Semina*; fœniculi, cardami, lentes, ervum, milium, oryzæ, papaveris, solani. *Fructus*; balanus myrepsica, cappares, cydonia mala, nux cupressi, nux moschata, pyra, pistacia. *Lignum*; santali. *Lachrymæ, gummi resinæ*; galbanum, opopanax, pix arida, myrrha, styrax, mastiche, mel.

III. *Sicca in tertio* sunt: *Radices*, Acori, asari, apii, cinnamomi, doronici seu carnabadii, galangæ, hellebori, pentaphylli, radicis cavæ, scillæ, oxytriphylli, trifolii. *Folia & Herbæ*; Filix, millefolium, quinquefolium, polium, trifolium, abrotanum, absinthium, anethum ustum, apium, ammi, asarum, calamintha, chamædrys, chamæpitys, epithymum, hyssopus, juniperus, majorana, marrubium, origanum, peucedanum, petroselinum, ptarmica, ruta, sabina, salix, sisymbrium, thymus, serpillum. *Flores*; balaustia, epithymi, chamæpityos, periclymeni. *Semina*; grana tinctorum, anethi, apii, ammi, amomi, anisi, carvi, cumini, coriandri, nigellæ, petroselini, milii, viticis. *Fructus*; Caryophylli, carpobalsamum, galla, piper, baccæ juniperi. *Succi & gummi*; aloë, acetum, acacia, camphora, moschus. *Metallica*; flos æris, æs ustum, squama æris, ærugo, diphryes, alumen, sal, nitrum, sulphur, chalcitis.

IV. *Sicca in quarto* sunt: Ex *herbis*; ruta sylvestris, allium, nasturtium, sinapi. Ex *Metallicis*; chalcanthum, auripigmentum, sandaracha, chrysocolla, misy, sory, melantheria.

PUNCTUM V.

De Medicamentis digerentibus, emollientibus, indurantibus, & laxantibus.

I. *Medicamenta digerentia ſunt, quæ naturam in coquendis humoribus præter naturam peccantibus, juvant.*

Dicuntur & *præparantia.* Faciunt id vel impedimenta tollendo, vel qualitates quæ caloris nativi actioni reſiſtunt, mutando, habitâ tamen partis in qua hærent ratione.

Diverſitatem ex diverſitate humorum ſortiuntur. *Bilis flava*, refrigerantia & ſiccantia; & ſi tenuis, incraſſantia expoſcit. *Pituita*, calefacientibus, ſiccantibus & attenuantibus indiget. *Melancholia*, moderatè calefacientibus & humectantibus, ac attenuantibus caſtigatur. *Atra bilis*, frigidis, multum humectantibus & attenuantibus corrigitur.

Syllabus medicamentorum ex illis medicamentis quæ à parte denominantur, & de quibus inferiùs agemus, peti poterit; ne actum agamus, hic ea omittimus.

II. *Emollientia ſunt, quæ id quod concretum eſt & obduruit, ſeu primario, ut in muſculorum finibus viſcidum recrementum; ſeu ſecundario, ubi nimirum, vel digeſtis partibus tenuioribus reſolventium intempeſtivo uſu, vel iiſdem fugatis repellentium importuno, reliquæ concreſcunt.*

Dicuntur Græcis μαλακτικά: & debent eſſe calida in ſecundo gradu, nonnihil ſicca, vim emplaſticam habentia, & difflationem prohibentia, humectantibus denique admiſta. Suntque vel *Mediocria*, vel *Fortiora.*

I. *Mediocria emollientia*, I. Ex *ſimplicibus* ...arum vetus.

Radices, Lilior. altheæ, Cucumeris agrestis, bryoniæ. *Folia*, Malvæ, parietariæ, violariæ, ebuli, sambuci. *Flores* Chamæmeli. *Semina*, Fœnogræci, lini, sesami, malvæ. *Fructus*, caricæ pingues. *Adipes*, butyrum recens, pinguedo gallinæ, suilla, vitulina, hœdina, sevum vervecinum, medullæ omnes, &c. 2. Ex *Compositis*, *olea* seminis lini, amygdalar. dulcium, lilior. alborum, lumbricorum. *Vnguenta*, de althæa, resumtivum. *Emplastrum*, de mucilaginibus.

II. *Fortiora* sunt, Adeps ursinus, oleum vetus, bdellium, styrax liquida, resinæ pingues, ammoniacum, galbanum, Emplastrum diachylon simplex & cum gummi.

III. *Indurantia sunt, quæ emollientibus opponuntur.* Dicuntur Græcis σκληρωτικὰ ἢ σκληρύνοντα, suntque frigida & humida, ut, sempervivum, portulaca, psyllium, lenticula palustris, solanum.

IV. *Laxantia sunt*, (Græcis Χαλαστικὰ) *quæ ei συντάσει, quam materia quædam, vel vapor, vel flatus, partium spacia replens & dilatans causatur, medentur.* Sunt modicè calida, largiùs humectantia, & substantiæ tenuioris, ut facilè penetrent, ut lilium, *semen* lini, fœnogræci, adipes, butyrum, oleum chamæmelinum.

Punctum VI.

De Medicamentis rarefacientibus & condensantibus, Stegnoticis, & Anastomaticis.

Medicamenta rarefacientia, (Græcis ἀραιωτικὰ) sunt, quæ cutis meatus aperiunt, porosque ampliores reddunt, ut vapores melius difflari possint. Sunt moderatè calida, partium tenuium, & non

& non ſiccantia, ut ſunt *Ex herbis* althæa, mercurialis. *Flores*, chamæmeli, meliloti, ſambuci. *Semina*; fœnigræci, lini. Oleum vetuſtius, butyrum.

II. *Condenſantia* (πυκνωτικὰ) *ſunt, quæ tenues quidem poros conſtringunt & denſant, ſed totam partem undiquaque & valentiùs conſtringere non poſſunt.* Sunt aqueæ naturæ, ut, aqua frigida. *Ex herbis*, portulaca, ſempervivum, pſyllium, myoſotis, lenticula paluſtris, tribulus viridis, ſedum majus & minus.

III. *Stegnotica craſſitie ſua foris ita poris incumbunt, ut frigiditate & ſiccitate ſuâ partem contrahant*: ſunt ex eo genere, quæ *adſtringentia* dicuntur. Sunt verò Ex *ſimplicibus*, *Radices*; Tormentillæ, plantaginis, conſolidæ majoris, nymphææ exſiccatæ, acetoſæ, alceæ, filipendulæ, pæoniæ, caryophillatæ, fragariæ, biſtortæ, rhapontici veri, rhabarbari toſti. *Folia*; plantaginis, centumnodiæ, gnaphalii, lyſimachiæ, ſanguinariæ, equiſeti, burſæ paſtoris, piloſellæ, quercus. *Flores*; roſæ, granatorum, hederæ. *Semina*; plantaginis, portulacæ, acetoſæ, roſarum. *Fructus*, Cydonia mala, meſpila, berberis, ſorba, corna, gallæ, acini uvar. paſſarum, nuces cupreſſi, baccæ myrti. *Cortices*, granatorum, thuris, myrobalanorum, mori. *Gummi*, maſtiche, ſanguis draconis. *Succi*; hypociſtidis, agreſtæ, acaciæ. *Mineralia*; Terra ſigillata, bolus Armenus, lapis hæmatites, alumen, corallium, ferrum. Ex *Animalibus*; Cornu Cervi præpar. genitale cervi exſiccatum, &c. Ex *Compoſitis* ſunt, *Aqua*, Roſar. portulacæ, plantaginis, liguſtri. *Syrupus*, roſarum rubrarum, cydoniorum, berberis, Miva Cydonior. Diacodium narcoticum, Crocus Martis adſtringens, pulvis oſſium humanorum calcinatorum, Sperniolæ compoſitum, Theriaca recens, ſuccus granatorum acaciæ, conſerva roſarum rubrarum

vetus. Ex his *Validiora* ſunt, balauſtia, myrtilli, acacia, hypociſtis, rhus obſoniorum, malicorium, meſpila, &c.

IV. *Anaſtomatica vaſorum ora aperiunt, & ideò à Græcis ita appellantur*, quia ad interiora penetrare, craſſoſque humores attenuare debent; ideo & in ſecundo gradu calida, & craſſiore ſubſtantia prædita, ut calorem diutius conſervent, eſſe debent. Amara maximè conveniunt.

PUNCTUM VII.

De Medicamentis attenuantibus, aperientibus, & incraſſantibus.

I. M*Edicamenta attenuantia ſunt, quæ diſſolvunt & extenuant craſſos, viſcidos, & glutinoſos humores, ut vel ſponte ſua evaneſcant, vel trahentium vi facilè diſſipentur.* Debent eſſe tenuis ſubſtantiæ, in tertio gradu calida; quod tamen non ſemper eſt neceſſarium. Nam ſuccus limonum, acetum, oxymel, attenuant & incidunt, cum tamen ſint frigida. Catalogum vide inter Aperientia.

II. *Aperientia internas obſtructiones reſerant*, Tenuia quidem eſſe debent: ideò inter ea, quæ olfactui & guſtui mordicantia & calida apparent, quæ nitroſum, ſalſum, amarum, & acidum ſaporem habent, recenſentur: ſed cum & corporum & materiæ obſtruentis aliqua ſit varietas, aliquando tenuia, aliquando minus talia adhibentur. Sunt autem iſta. *Ex ſimplicibus*, *Radices*; quinque aperientes dictæ, (apii ſcilicet, fœniculi, aſparagi, petroſelini, & ruſci) graminis, cichorii, eryngii, gentianæ, filicis, rubiæ, tinctorum, rhapontici vulgaris, ſeu centaurii magni, aſari, capparum, tamariſci, fraxini. *Herbæ*, fumaria, abſinthium, eupatorium, capilli Veneris, he-

patica, ceterach, chamæpitys, chamædrys, cuſcuta, marrubium, calamintha, pulegium, cochlearia, beccabunga, naſturtium aquaticum, lupulus, marrubium album, abſinthium. *Semen* aniſi, fœniculi, ameos, agni caſti, Ciceres, rubri, lupini. *Fructus*, amygdalæ amaræ, cappares, nuclei perſicorum, malorum Armeniacorum. *Aromata*; Cinnamomum, Cubebæ. *Gummi* & *ſucci*; Ammoniacum, Acetum, ſuccus limonum. Ex *Compoſitis* ſunt, *Aquæ* ex his paratæ, *Oxymel* ſimplex, ſcilliticum, ſyrupus de quinque radicibus, *Trochiſci* de Rhabarbaro, abſinthio, Eupatorio, lacca. Tartarum vitriolatum, ejuſdem cremor, Cryſtalli, Tinctura. Tinctura chalybis, pulvis, Crocus aperiens, pillulæ.

III. *Incraſſantia, ſuccos tenuiores & liquidiores craſſiores reddunt.* Sunt frigida, aut temperata citra acrimoniam, & craſſæ ſubſtantiæ; ut ſunt, *portulaca, acetoſa, papaver, oryza, lentes, mala cydonia, pyra agreſtia, amylum, lac chalybeatum, ſuccus granatorum.*

PUNCTUM VIII.

De Medicamentis Emplaſticis & Ecphracticis, ſeu De obſtruentibus.

I. M*Edicamenta emplaſtica ſunt, quæ ſuâ ſubſtantiâ meatus corporis oblinere, oppilare, & offercire poſſunt, eidemque illita tenaciter adhærent, & vel conſiſtentiam ſiccam & terream circa mordicationem tamen obtinent, vel aqueo & aëreo humore perfuſa ſunt.* Suntque 1 *Ex ſimplicibus*, 1. *Radices*; Altheæ, Liliorum alborum. *Semina*; Triticum, amylum, pineorum nuclei aquâ macerati, fœnigræci, mucilagines omnes. *Fructus*; Ficus, Paſſulæ. *Gummi*; Arabicum, Tragacanthæ, ſanguis Draconis. *Terra*; ſigillata, bolus Armena.

Succi; Alumen. *Lapides*; Calaminaris, hæmatites, gypſum. *Mineralia*; Lithargyros utraque, plumbum, cadmia, pompholyx, ceruſſa. *Animalia*; Mumia, Adipes recentiores, & medullæ, butyrum recens, caſeus, ovi albumen, cera. II. *Ex Compoſitis* ſunt; Unguentum album, Rhaſis, Nutritum.

II. *Deobſtruentia lentos & glutinoſos humores corpori adhæreſcentes eluunt, ipſa calida vel frigida, ſalſa, amara, nitroſa.* Sunt I. *Ex ſimplicibus, Radices*; ariſtolochiæ, iridis, gentianæ, ſigilli Salomonis, tamariſci. *Folia*; Apii, abſinthii, centaurii minoris, abrotoni, hyſſopi, naſturtii, marrubii, agrimoniæ, chamædryos, tanaceti, ſcolopendriæ, anagallidis utriuſque. *Semina*; Lini, fœnigræci, hordei, orobi, lupinorum, è quibus farina. *Succi*; Aloë, ſaccharum; *Gummi*; Myrrha. *Reſinæ*; Terebinthina. *Mineralia*; Ærugo, vitriolum. *Animalia*; ſerum lactis, fel animalium.

III. *Extergentia*, quæ Græcis ῥυπτικὰ, ſecundum minus tantummodo differunt. Spectant huc Oxymel, Aqua aluminis, Unguentum Ægyptiacum, &c.

PUNCTUM VIII.

De Anodynis, & Narcoticis.

I. MEdicamenta *anodyna ſunt*, (Græci etiam παρηγορικὰ, & πραϋντικὰ vocant) *quæ calore ſuo moderato cum mollitie ſubſtantiæ juncto, dolorem, meatus reſerando, & tenuitate ſubſtantiæ ſubeundo, leniunt; ipſiuſque cauſam per ἄδηλον διαπνοὴν, diſcutiunt.* Sunt I. *Ex ſimplicibus, Radices*; Altheæ, Liliorum. *Folia*; Malvæ, ſambuci. *Flores*; Chamæmeli, Meliloti, Crocus. *Semina*; Lini, fœnigræci. *Animalia*; Adipes, ſuillus, galli-

gallinaceus, anserinus, humanus, vitulinus. *Medulla*, bubula, vitulina. Lac, butyrum. II. *Ex Compositis Olea* liliorum alborum, chamæmeli, violarum, amygdalorum dulcium, seminis lini, lumbricorum, quod laudatissimum, Rosatum, Dulce, mediæ ætatis.

II. *Narcotica, quæ & ὑπνωτικά, stuporem parti, ne sentiat id quod dolorificum est, inducunt.* Faciunt id partim frigiditate, partim qualitate occulta. Ex his sunt I *Simplicia*, *Radices* Mandragoræ. *Folia*; Hyoscyami, Mandragoræ. *Semina*; Papaveris albi. *Succi*; Opium. II. *Composita*; *Olea*, Mandragoræ, *Vnguentum* Populeum, *Ladanum* ossiatum, *Trochisci* narcotici Fernelii. *Spiritus*, Lollii, &c.

ARTICULUS II.

De Medicamentis motum conciliantibus.

Motum conciliantia medicamenta sunt vel *Attrahentia*, vel *Repellentia*, vel *Adstringentia*.

I. *Attrahentia*, *Græcis* ἑλκτικά & ἐπισπαστικά, *sunt, quæ non solum tenues & serosos humores, sed & crassiores & partibus altè infixos, ex alto in superficiem inducunt.* Sunt vel calida in secundo, quæ moderatè id faciunt; vel in tertio, quæ fortius; vel in tertio, quæ cutem in tumorem attollunt. Sunt verò I. *Ex simplicibus Radices*; aristolochiæ utriusque, anemones, cyclamini, dracunculi, gentianæ, pyrethri, ranunculi, narcissi, arundinis, arithapsiæ, Allii, cæpæ. *Folia*; Iberidis, Calaminthæ, Anagallidis purpureæ, Nepetæ, Thlaspios, Hederæ. *Semina*; Urticæ, Napi, Nasturtii. *Gummi*; Euphorbium, Ammoniacum, galbanum, sagapenum. *Resinæ*; Pix, Resina vulgaris. *Animalium*; Stercus columbinum, gallinaceum,

cantharides. 11. *Ex Compositis*; Emplastrum oxycroceum.

II. *Repellentia illa voco, quæ humoris in parte influxum frigiditate suâ aquosa prohibent, vel eum qui recens influxit, atque in eo nondum impactus fluctuat, reprimunt.* Sunt 1 *Ex simplicibus*; *Radices*; plantaginis. *Cortices*; radicum mandragoræ. *Folia*, sempervivi, portulacæ, lenticulæ palustris, endiviæ, lactucæ, solani, tribuli aquatici, umbilici Veneris, lentisci, sumach, hyoscyami. *Flores*; rosæ rubræ. *Semina*; psyllii, plantaginis. *Ex compositis, Aqua* Rosarum, solani, plantaginis.

III. *Adstringentia sunt, quæ ex crassa & terrea substantia constant, meatus partis contrahunt, tenuiores partes elidunt, & sic etiam repellunt.* Sunt vel Frigida, vel Calida. *Frigida* Ex *Simplicibus* sunt, *Radices*; pruni sylvestris, pentaphylli, bistortæ, tormentillæ, consolidæ majoris. *Cortices*; myrobalanorum, granatorum, thuris, berberis. *Folia*; Equiseti, bellidis minoris, auriculæ muris, centinodiæ, bursæ pastoris, pilosellæ. *Flores*; Rosæ, balaustia. *Semina*; Acetosæ, portulacæ, myrtillorum, papaveris albi, *Fructus*; sorba, cydonia, mespila, myrtilli, mora immatura. *Gummi*; Mastiche, sanguis draconis. *Terræ*; sigillata, bolus Armena. Ex *Compositis* sunt *Aquæ*; Rosarum, plantaginis, florum ligustri. *Syrupi*; Rosar. rubrarum, cydoniorum. *Conservæ*; Rosarum siccarum, Mala cydoniorum, Theriaca recens. *Succus*, granatorum, trifolii, malorum agrestium, uvæ acerbæ. *Pulveres*; Diacorallium, Crocus martis, Cornu cervi ustum, ossium humanorum, spodii, succini. *Pilulæ*, de cynoglosso narcotica. *Calida* adstringentia sunt, Cyperus, absinthium, juncus odoratus, aloë, thus, myrrha, spica, cortices thuris, nuces cupressi, alumen.

ARTICULUS III.

De Medicamentis aliquid generantibus.

PUNCTUM I.

De Maturantibus, Pus moventibus & Sarcoticis.

MEdicamenta aliquid generantia *sunt in sextuplici differentia*: 1 *Maturantia*, *seu Pus generantia*. 2. *Sarcotica*. 3. *Glutinantia*. 4. *Cicatricem inducentia*. 5. *Lactis generantia*, *&* 6. *semen producentia*.

I. *Maturantia*, *Græcis* πεπτικὰ, *quæ & pus generantia seu* ἐκπυητικὰ *&* ἐκπυΐσκοντα *sunt*, *quorum adjumento calor nativus sanguinem corruptum in pus convertit*. sunt temperatè calida & humida, temperamentoque parti cui applicantur similia. Eadem meatus occludendo, calorem cohibent. In *duplici* autem sunt differentia: *Alia sunt merè temperatè calida*, & *viscosa*, *quibus in tumoribus calidis utimur*, ut sunt, Mucilagines seminis lini, fœnigræci, malvæ, altheæ, hydrelæum, farina tritici, lac, medulla panis triticei, pinguedo suilla, butyrum recens, Unguentum dialthea. *Alia calidiora*, *quæ in frigidis tumoribus & partibus adhibemus*, ut sunt, *Gummi*, Ammoniacum, Bdellium, galbanum. *Resinæ*; Terebinthina, pix, resina vulgaris. *Lacrymæ*, abietina, laricea, pinea. *Olea*, chamæmelinum, liliorum alborum. *Vnguenta*; Agrippæ, basiliconis majus & minus. *Emplastrum*; diachylon simplex & cum gummi. II. *Sarcotica sunt*, *quorum ope natura*, *in sanguinis in carnem commutatione*, *quod & calorem partis custodiant*, *& excrementa opus hoc remorantia summoveant*, *utitur*. Calefaciunt moderatè, & siccant; sordes etiam

circa morsum, sine adstrictione ulla, detergunt. *Triplicis* sunt *Ordinis*. In *primo*, farina hordei, fœnigræci, fabarum, thus, manna thuris ponuntur. In *secundo*, Resina terebinthina, laricea, abietina. Mel despumatum, rosatum. Aloë, farina lupinorum, orobi, pompholyx. In *tertio*, farina ervi, mel crudum, radic. aristolochiæ, iridis, myrrha, chalcitis.

Punctum II.

De Glutinantibus, & Cicatricem inducentibus.

I. *Glutinantia, Græcis κολλητικὰ, sunt medicamenta, quæ recentium vulnerum diducta labra conjungunt, & ne quidpiam inter ipsa influat, aut succrescat, impediunt.* Sunt verò *Ex simplicibus, Radices*, Tormentillæ, pentaphylli, bistortæ. *Folia*; pilosellæ, plantaginis, hyperici, bugulæ, saniculæ, pyrolæ, sideritidos, herniariæ, salicis, verbenæ. *Gummi*; myrrha, thus, sarcocolla, *Succi densati*; aloë, hypocistis. *Resina*; pix, terebinthina. *Ex Compositis*; *Vnguenta* de lithargyro, de betonica.

II. *Cicatricem inducentia, quæ Græcis ἐπουλωτικὰ sunt medicamenta, quæ & id quod confluit, & humorem qui in ipsa carne continetur, consumunt, ut caro in cutis similitudinem mutetur.* Sunt crassioris substantiæ, vehementer siccant, adstringunt, & contrahunt. Præcipua sunt, *Radices*; tormentillæ, pentaphylli. *Herbæ*; symphytum, perfoliata, equisetum, plantago. *Flores*; balaustia. *Succi concreti*; corallium, aloë, succus draconis. *Terræ*; Alumen, Bolus Armenus. *Metallica*, Plumbum, Cadmia, Lithargyrum, Æs ustum lotum, Antimonium.

III. Huc pertinent *Vulneraria*, Græcis τραυματικὰ, ex quibus potiones vulnerariæ parantur. Suntque *Radices*; consolidæ majoris, bistortæ, tormentillæ.

Folia;

Folia; alchimillæ, burſæ paſtoris, virgæ aureæ, balſamini, verbenæ, veronicæ, hyperici, millefolii, ſaniculæ, caudæ equinæ, ulmi, plantaginis, betonicæ, cupreſſi, piloſellæ. *Flores*; roſarum rubrarum hyperici, balauſtia. *Fructus*; nuces cupreſſi. *Gummi, Lacrymæ*; thus, aloë, maſtiche, lacryma abietina, reſina terebinthina, pini, laricis, pix arida, liquor folliculorum ulmi, gummi elemi, juniperi, hederæ, tragacanthi, tacamahacæ, carannæ, ſarcocolla, ſanguis draconis, &c.

PUNCTUM III.

De Lactificis & Seminificis.

I. L*Actifica medicamenta illa propriè hic ſunt, quæ cùm ad probi ſanguinis conſtitutionem faciunt, tum idem modicè attenuant, & ad mammas deducunt*, qualia ſunt quæ ſequuntur: Fœniculum viride, ejuſdem ſemen, Anethum viride, Apium, Pulvis cryſtalli, Braſſicæ decoctum, Butyrum cum lacte & fœniculo ſumtum, Smyrnium, Polium, Eruca, &c.

II. *Seminifica medicamenta ſunt tum ea, quæ ad vaſa ſpermatica materiam deferunt, tum quæ ad ſeminis excretionem impellunt, ſive flatu repleant, ſive ſtimulum addant*. Præcipua ſunt hæc, *Radices*; Eryngii, Satyrionis, Zingiberis. *Semina*; Erucæ, Sinapi, Urticæ, Piper. *Fructus*; Nuclei pinei, piſtachia, avellanæ, medulla nucis Indicæ. *Animalium partes*; Scincorum renes, Paſſerum cerebella, Cervi genitale, Gallorum teſtes.

ARTICULUS IV.

De Medicamentis corrumpentibus.

M*Edicamenta corrumpentia ſunt 1. Rubefacientia. 2. Veſicantia. 3. Cruſtam inducentia. 4. Adurentia.*

urentia. 5. *Corrodentia.* 6. *Putrefacientia.* 7. *Psilothra.* 8. *Lac absumentia.* 9. *Semen extinguentia.*

I. *Rubefacientia* cutem rubefaciunt, & altius delitescentia ad cutem evocant. ut sunt, Radices thapsiæ, *Semen* nasturtii, urticæ, sinapi.

II. *Vesicantia* vesicas excitant, & humorem ardoris vi proliciunt. Præcipua sunt, *Radices*; cyclaminis, pyrethri, scillæ, allii, thapsiæ. *Herbæ*; pes columbinus, flammula, ranunculus. *Semen* nasturtii, sinapi. Euphorbium, fermentum, sapo, fimus columbinus, cantharides.

III. *Crustam inducentia*, Græcis ἐσχαρωτικὰ, non solum cuticulam attollunt, sed etiam cutim adurunt, ultra tamen vim non extendunt.

IV. *Adurentia*, Græcis καυστικὰ, crustam densiorem inducunt, & sæpè in subjectam carnem agunt, præcipua sunt: Helleborus abus, cinis fæcum vitis ficulneus, fraxini, sabinæ. Æs ustum, æris flos, calx viva, vitriolum, auripigmentum, arsenicum, mercurius sublimatus, sal è lixivio, è quo sapo conficitur.

V. *Corrodentia*, Græcis καθαιρετικὰ, excrescentem carnem mollem tollunt, extimamque ejus superficiem sensim liquefaciunt. *Mitiora* sunt; *Radices* vitis albæ, hellebori nigri. *Cinis*, quercus, ficus, conchylium. Aloë, alumen; plumbum ustum, antimonium calcinatum. *Fortiora*; Calx viva, flos æris, æs ustum, vitriolum calcinatum, argentum vivum præcipitatum, sublimatum, oleum vitrioli, sulphuris, &c.

VI. *Putrefacientia*, Græcis σηπτικὰ, carnem duriorem colliquant. Talia sunt: Arsenicum, auripigmentum, chrysocolla, dryopteris, pityocampe, aconitum, Sandaracha.

VII. *Psilothra*, pilos exstirpant, partemque glabram reddunt, ut sunt, lixivium forte, calx viva, ova formicarum, sandaracha, arsenicum, auripigmentum, &c.

VIII. *Lac absumentia* nimium refrigerando sanguinem incrassant, vel exsiccant eundem & digerunt, vel denique totâ substantiâ illud ipsum operantur. Ut sunt, Mentha, salvia, calamintha, coriandrum, hyoscyamus, omphacium, acetum, camphora.

IX. *Semen exstinguentia*, idem vel refrigerant, vel incrassant, vel discutiunt, vel arcana proprietate absumunt. Talia sunt: Mentha, Ruta, agnus castus, anethum, *semen* Cannabis, psyllii. Lactuca, Portulaca, camphora, &c.

ARTICULUS V.

De Medicamentis aliquid auferentibus.

PUNCTUM I.

De Medicamentis purgantibus.

MEdicamenta aliquid è corpore auferentia sunt: 1. *Purgantia*. 2. *Vomitoria*. 3. *Diuretica*. 4. *Hydrotica*. 5. *Diaphoretica*. 6. *Cerebrum purgantia*. & 7. *Expectorantia*.

Purgantia sunt, quæ humores in corpore humano præter naturam stabulantes per inferiora extrudunt. Suntque, 1. Cholagoga. 2. Phlegmagoga. 3. Melanogoga. 4. Hydragoga. 5. Catholica.

I. *Cholagoga* bilem præter naturalem deturbant. Et sunt 1. *Mitiora*. Ex *simplicibus*, *Cassia fistularis*, quæ quia ventriculo, & alvo lubricæ, ut obest, flatulentaque est, uno & altero grano piperis, anisi, vel cinnanomi corrigitur, & in bolo plerumque à dr. vi. ad unc. ij, pueris ad dr. ij. datur. *Tamarindi*, seu Dactyli Indici, temperaturis calidioribus amici, qui ob frigiditatem cinnamomo & mace castigantur, ob tarditatem sero lactis caprini acuuntur. Dantur in

pulpa

pulpa ab unc. j. ad ij vel iij. in infuſo etiam ad v. *Manna Calabrina*, quæ omnibus tuta eſt, ardentes febres ſi excipias; acuitur Syrupo roſarum ſolutivo. Sumitur ex juſculo prunorum,vel galli gallinacei,ad unc. iij vel iv. *Aloë Soccotrina*, quæ nimium ſi ſumatur, hepar incendit: quia venarum orificia aperit, prægnantibus tuta non eſt. Sed nec naturis calidis & ſiccis. nutritur ſucco roſarum. Corrigitur maſtiche ob acrimoniam. datur à tr. ſ. ad dr. j. & ultra. Vide de ea Solenandrum ſ. 3. Conſ. 29. *Rhabarbarum* jecinoris anima, quod non debet ſolum, quia fumoſum & facilè exhalat,dari, ſed cum aqua endiviæ, vel Syrupo roſarum ſolutivo, nec ſtranguria affectis, nec ad fluxum hæmorrhoidum pronis. Corrigitur cinnamomo, ſpica nardi, ſchænantho. datur à dr. j. ad ij. *Roſæ* pallidæ, moſchatæ, incornatæ, odoræ, amaræ, & detergentes. Virtus ipſarum intenditur, ſi ſucci unc. j. miſceatur cum unc. ij ſeri lactis, adjecta ſpica & cinnamomo. *Violæ*, quæ paris ſunt cum roſis valôris, in pectoris morbis, ut & cephalalgiâ calida commodiſſimæ. *Terebinthina*, piſtica inprimis, quæ cum pulvere glycyrrhizæ, vel ſaccharo in bolos coacta, renum etiam extergendorum cauſa, ſumitur. Lemnius potionem commendat. *Ex Compoſitis ſunt*, *Syrupus roſarum ſolutivus*, prægnantibus, quòd venas uteri aperiat, noxius, ab unc. ij ad iv. Folia roſarum matutino rore delibuta colligi debent. Vires nec ultra ſextum propemodum menſem durant. Syrupus florum Acaciæ, de Manna laxativus, de Tamarindis cum ſenna Horſtii. Pilulæ Angelicæ, Benedictæ Bejeri. Hiera mellita, quæ à dr. j. ad unc. ſ. datur. 11. *Fortiora* ſunt ex *ſimplicibus*, *Aſarum*, quod diutius coctum vim ſuam exuit, accuratius tritum vomitum movet. Datur cum ſero lactis, mulſo aut vino. *Scammonium*, quod

nunquam

nunquam vomibundis, febricitantibus, invalidis, æstivo tempore, in juſculis, ſolum, quia acrimonia turbat, ſpiritus inflammat, principibus partibus incommodat, dandum eſt. Corrigitur ſucco cydoniorum mucagine tragacanthæ, ſpiritu ſulphuris vel vitrioli. Correctum Diagrydium vocatur. Exhibetur à gr. v. ad xv. *Ex Compoſitis*, ſunt *Pilulæ Rudii* apud Mullerum ad ſcr. j. *Aureæ*, quæ maximè ſunt in uſu. *Extractum* ſcammonii. Ejuſdem *Magiſterium*, quod apud Mynſichtum, & Grulingium vide.

II. *Phlegmagoga medicamenta ſunt, quæ pituitam excrementitiam è corpore educunt.* Suntque I. *Benigniora* ex *ſimplicibus*, *Myrobalani*, *Chebulæ & Emblicæ*, quæ in obſtructione inteſtinorum vel viſcerum vitari debent, in juſculo pulli ad unc. j. macerantur, vel eidem cum vino malvatico incoquuntur. *Cnicus*, ſeu *Cardami ſemen*, quod aquam crudam & pituitam educit, ac flatus ciet; quia vomitum ciet, aniſo, zingibere, & maſtiche corrigitur. *Mechoacanna*, quæ ſubtilium cum terreſtri portione partium. Ex febribus tertianis exquiſitis duplices facit. In forma pulveris feliciſſimè operatur, ſi in vino, vel juſculo per noctem macerata ebibatur. Ex *Compoſitis* ſunt, ſpecies Hieræ picre ſimpl. Morſuli de Mechoacanna Horſtii. II. *Vehementiora* ſunt, *ex Simplicibus*, *Agaricum*, quod pulmones peculiari ratione à viſcoſis, craſſis, & putridis humoribus liberat: in infuſione tutior eſt quàm ſubſtantia. *Ialapa*, quæ commodiſſimè ubi bilis pituitæ eſt admixta, adhibetur. Doſis eſt à ſcr. j. ad ij cum cremore Tartari. Habet quippiam acriuſculum. *Turpethum*, gummoſum & candidum, quod quia ventriculo nocet, & vomitum concitat, Zingibere, Pipere, & Cinnamomo, corrigitur. Squallore ſuo corpora in tabem perducit. In decocto felicius operatur. *Colocynthis*,

quæ

quæ craſſa & lenta à remotis partibus ejicit; & quia villis ventriculi internis adhæret, vomitum ciet. Adſtringentibus quia pharmacum violentum detinent, corrigi non debet. Præparationem vide apud Freytagium in Aurora Medicor. p.338. *Hermodactyli*, qui materiam craſſam ab artubus purgant, & attenuantibus corriguntur. *Euphorbium*, quod calidum & ſiccum in quarto gradu: quia fauces inflammat, ſtomachum & hepar laceſſit, ſudorem frigidum excitat, cordialibus, & ſtomachicis, optimè verò oleo roſarum, corrigitur. Nonniſi annotinum intus ſumendum eſt. *Sagapenum*, quod lentos & craſſos humores educit. Ex *Compoſitis* ſunt, *Pilulæ* de Sagapena Horſtii & Camilli. *Syrupus* Diacolocynthidos Freytagii. *Morſelli* de Jalapa, &c.

III. *Melanogoga ſunt, quæ melancholiam excrementitiam ex corpore deturbant.* Suntque I. *Benigniora.* Ex *Simplicibus*, *Myrobalani Iudæ*, quæ quartanariis inprimis exhibentur, & aduſtam bilem deturbant. *Epithymum*, quod ſingulari proprietate præ aliis humorem iſtum attrahit, ſed imbecilliter. Ejus uſus tutior eſt hyeme, quàm æſtate. Optimum eſt Creticum. *Polypodium* quernum, quod cum inveteratum ſtringat, novum eſſe debet. quod in ruderibus vetuſtis provenit, nimia humiditate ventriculum ſubvertit. *Sena*, quæ in educendis ex meſenterio humoribus adhibetur, in diluto prunorum, paſſularum, ſeri lactis, &c. Folliculi ejus ante plenam maturitatem ſucculenti, ſi decerpantur, idem faciunt quod folia; ſed in proprio caule arefacti, omnem virtutem amittunt. Ex *Compoſitis* ſunt, *Syrupus* de Polypodio, & Epithymo. *Pilulæ* de fumo terræ. *Pulvis* Senæ Montagnanæ, &c. II. *Vehementiora* ſunt, Ex *ſimplicibus*, *Lapis Armenus*, qui aquis cordialibus tam diu abluendus eſt, donec non ampliùs inquinetur. *Lapis lazuli*, cujus eadem ratio.

tio. *Helleborus niger*, qui in decocto minus periculi habet. Optimè corrigitur phlegmate vitrioli. Elegantissimè præbetur, si pomum radicibus hellebori nigri & Caryophyllis transfigatur, & sub cineribus coquatur. Ex *Compositis* sunt, *Confectio* chamech, *Extractum* hellebori nigri, *Syrupus* ejusdem, apud Heurnium.

IV. *Hydragoga sunt, quæ aquas ex corpore humano deturbant.* I. *Benigniora* sunt, *Ex simplicibus*, *Soldanella* seu Brassica marina, quæ Rhabarbari consortio vehementer gaudet, nec vires in decocto amittit. II. *Iris Germanica*, quæ menses aperit, & coctione vim deponit. Radicis succus cum ovi vitello miscetur, & in ejus testâ una coquitur, dum sorbilis fiat. Ex *Compositis*, sunt *Conserva* florum persicorum, *Pulvis* Soldanellæ Faventini, &c. II. *Vehementiora* sunt, *Elaterium*, quod & extra venosum genus elapsam aquam educit. potest ad x grana robustis exhiberi, si benè correctum sit. Corrigitur Cinnamomo, spica, &c. *Gummi gotta*, quod quia nauseam leviorem excitat, spiritu salis & mace corrigitur. biliosis naturis ejus usus noxius est. *Vide de eo Reudenium* & *Lotichium*. *Gratiola*, quæ per superiora & inferiora agit. Exsiccata infunditur lacti, denuoque siccatur, ut in pulverem redigi possit. *Esula*, cujus lac, semen, folia validissima sunt, mitior radix. A tempore collectionis intra mensem non debet usurpari. Optima quæ quinque vel sex mensium ætatem vidit. Radicis cortex maximè in usu est. Corrigitur tridui infusione in aceto. Ex *Compositis* sunt *Magisterium* gummi gotte. *Pilulæ* Freytagii Auroræ Medic. p. 345. *Oleum* ex acinis baccarum sambuci, &c.

V. *Catholica, quæ & panchymagoga dicuntur, sunt, quæ omnes humores peccantes è corpore expellunt.* Sunt ex *Simplicibus*, Sena, Ellcborus, Antimonium,

nium, &c. Ex *Compositis*, Panchymagogum Crollii, vegetabile Theophrasti, Extractum Catholicum majus & minus. Electuarium Diacatholicon, &c. Vide de Medicamentis purgantibus accuratè & eleganter agentem Freytagium in Aurora Medicorum.

Punctum II.

De Vomitoriis, & Diureticis.

Vomitoria sunt, quæ humores per superiora ejiciunt.

Faciunt id, vel quia inclinationem suam sursum habent; vel quia ventriculo innatant,& ipsum gravant; vel quia orificium superius ventriculi laxant. Sunt verò ex his, 1. *Benigniora*, Aqua simplex, tepida, hordei, pinguia jura, oleum simplex cum aqua, butyrum, hydromel. *Radix* Atriplicis, Cucumeris sativi, Melonum, Narcissi, Asari. *Flores* persicorum, è quibus conserva paratur. *Semen* Erucæ, Atriplicis. *Cortex* medius juglandis arboris cum succo turget, siccatus, & maximè ejus juli. *Electuarium*, Diasaron Fernelii. II, *Validiora* sunt, Helleborus albus, Vomitorium Cunradini, quod à guttis iij ad x. datur. Gilla Theophrasti, vitriolum album vomitivum, Sal vitrioli Salæ, *Flores* Mercurii argentei. Mercurius vitæ, dulcis, Manna Mercurii, Aquila. Imperialis *Antimonii* flores, oleum, Electuarium, Crocus Metallorum. Aqua benedicta Quercetani, Formicarum, Plateri vinum, helleboratum Heurnii, &c. Vide de hisce Hartmannum in Crollium & in Chymiatria, & Grulingium in Florilegio.

II. *Diuretica sunt, quæ urinam cient, perque eandem peccantem materiam evacuant.*

Duplicia sunt ista: 1. *Propriè dicta*, quæ facile ad venas penetrant, inque iis humores calore suo fundunt, suntque *Radices* Petroselini, Apii, Eryngii, Rusci,

Rusci, asparagi, pimpinellæ. *Herba*, Asarum, Eupatorium, Chærefolium, Scordium. *Semina*, Milii solis, chærefolii, saxifragiæ. *Fructus*, amygdalæ amaræ, nuclei persicorum, &c. Ex Chymicis est spiritus salis, & quæcunque è Tartaro componuntur. 11. Impropriè dicta, & illa *vel calida*, ut Capilli veneris, terebinthina, Radix Ambona, de qua apud Zacutum. *Vel humida*, & vias lenientia, ut semina malvæ, althæa, glycyrrhiza. Vel *Frigida*, ut fraga, hordeum, semina quatuor frigida, Aquæ thermales, serum lactis, succus limonum. Laudantur quoque, Aqua ex nucleis Persicorum cum vino Malvatico, Silices albissimi igniti in vino generoso extincti, Oleum ceræ à gutt. v. ad vj. Sal succini, dr. ſ. pondere. Liquor diureticus Rivii, Aqua fructuum Cynosbati, Oleum baccarum juniperi Grulingii, &c.

PUNCTUM III.

De Hydroticis, & Diaphoreticis.

I. H*Ydrotica sunt, quæ materiam peccantem per ambitum corporis sensibiliter pellunt.* Dicuntur aliàs Sudorifera. Agunt calore & partium tenuitate, resolvendo in halitum materiam; quæ autem frigida sunt, propriâ substantiâ operantur. Sunt autem 1. *Vel Simplicia*, ut Angelica, Pimpinella, Fumaria, Tormentilla, Zedoaria, China, Sarsaparilla, Sassafras, Lignum Guajacum, Cornu cervi, Lapis Bezoar Orientalis & Occidentalis.

2. *Vel Composita*, ut, *Aqua* florum aurantiorum, Theriacalis. *Liquor* Rhizoticus Zuingeri, Sebaldi. *Spiritus* terræ sigillatæ, Tartari, Carduibenedicti, de tribus, seu Diaphoreticum in peracutis, quod & Mixtura simplex. Theriaca, Mithridatium. *Sal* scabiosæ, Carduibenedicti, Absinthii, fraxini. Ex Chymicis est Aurum diaphoreticum, Flores Anti-

monii fixi, Turpethum minerale, Diaphoreticum, Bezoardicum Joviale, Sulfur auratum, &c.

II. *Diaphoretica sunt, quæ per insensiles corporis meatus materiam educunt.* Sunt omnia calida, materiamque in halitum convertunt, & poros cutis aperiunt. *Præcipua* sunt, Melilotus, fœnumgræcum, ruta, majorana. *Cognata* his sunt *Flatus discutientia*, ut sunt, *Radices* galangæ minoris. *Folia*, lauri, dictamni, pulegii, origani, rutæ, majoranæ. *Semina*, Anisi, fœniculi, Carvi, Cumini, Dauci. *Fructus*, baccæ lauri, juniperi. *Cortices* citri, aurantiorum, &c.

Punctum IV.

De Medicamentis Cerebrum purgantibus.

M*Edicamenta Cerebrum purgantia sunt, quæ materiam in eo stabulantem per nares vel palatum evacuant.* Illa *Errhina* & *Ptarmica*; hæc *Apophlegmatizantia* dicuntur.

I. *Errhina* pituitam circa meninges hærentem nitrositate suâ, circa Cerebri agitationem, fundunt, detergent, & in nares proliciunt. Præcipua sunt, *Radices*, iridis, cyclaminis. *Folia*, Betæ, Anagallidis purpureæ, Majoranæ, Salviæ, Betonicæ, Hederæ. *Succi* Elaterium, quod validissimum, Pulsatillæ. Possunt & ex prædictis radicibus & foliis depromi.

II. *Ptarmica*, seu *Sternutatoria*, acrimonia facultatem Cerebri expultricem ita irritant, ut & ea quæ in ipso cerebro hærent, excutiant. Præcipua sunt, *Radices*, Zingiberis, Pyrethri, Iridis, Hellebori albi. *Folia*, Ptarmicæ, Nicotianæ. *Semina*, Piper, Sinapi, Staphisagriæ, Nigellæ. *Gummi*, Euphorbium, cujus solus odor sufficit.

III. *Apophlegmatizantia* seu masticata, seu gargarizata, seu palato illita excrementa è cerebro in palatum & os detrahunt. Parantur è *Radicibus*, Zingiberis,

beris, Pyrethri. *Seminibus*, Piperis, Nafturtii, Sinapi, Staphidis, Agriæ. *Gummi*, Mafticheს.

PUNCTUM V.

De Expectorantibus.

Medicamenta expectorantia ſunt, quæ humores in thorace & pulmone contentos evacuant.

Parantur ex *Radicibus* Helenii, Ariſtolochiæ, Angelicæ, Iridis, Ari, Scillæ, Glycyrrhizæ. *Foliis*, Hyſſopi, Capillorum Veneris, Scabioſæ, Praſſii, Ungulæ Caballinæ. *Semine*, Bombacis, Naſturtii, Eryſimi, Seſeleos, Urticæ. *Fructibus*, Uvis paſſis, Jujubis, Sebeſtenis, Amygdalis, Ficubus, Piſtaciis. Huc & Sperma ceti facit. Sed de his vide in Thoracicis.

CAPUT VI.

De Medicamentis à partibus denominatis.

ARTICULUS I.

De Medicamentis Cephalicis.

PUNCTUM I.

De Medicamentis Cephalicis Calefacientibus.

TAntum de Medicamentorum à facultatibus denominatorum ſerie: ſequuntur *illa, quæ à partibus corporis humani appellationem ſuam habent, quæ iiſdem totâ ſubſtantiâ & ſpecifica proprietate conveniunt.*

Sunt verò hæc, *Cephalica*, *Ophthalmica*, *Thoracica*, *Cardiaca*, *Stomachica*, *Hepatica*, *Splenetica*, *Nephritica*, & *Vterina*. Et hæc vel *Calida*, vel *Frigida*; vel *Interna*, vel *Externa*.

I. *Cephalica Calefacientia interna* ſunt 1. Ex *ſimplicib. Radices*, Pœoniæ, Caryophillatæ, Ariſtolochiæ, Imperatoriæ, Calami aromatici. *Folia*, Primulæ veris,

Betonicæ, Rorifmarini, Majoranæ, Centaurii minoris, Salviæ. *Flores*, Tunicæ, Stœchados Arabicæ, Lilii Convallii, Pæoniæ, Primulæ veris, Betonicæ. *Semina*, Amomi, Pæoniæ, Sileris montani, Coriandri. *Fructus* Grana Kermes, Anacardia, Baccæ lauri & Juniperi. *Aromata*, Cubebæ, Nux mofchata, Cardamomum, Caryophylli. *Ligna*, vifcum quercinum, corylinum. *Lacrymæ*, Thus, Storax. *Marina*, Ambra, Succinum. *Ab Animalibus* Mofchus, Caftoreum. II. Ex *Compofitis* funt: *Aqua*, Cerafоrum nigrorum, Lilior. convallium, Pæoniæ, Tiliæ, Tunicæ, Primulæ veris, Florum arantiorum Theriacalis. *Tinctura*, Elixir proprietatis, Pæoniæ, Ligni faffafras. *Olea deftillata*, Rorismarini, Majoranæ, Salviæ, Rutæ, Succini, Spicæ, &c. *Syrupi*, de Stœchade, Betonicæ, florum Tunicæ, Pæoniæ. *Conferva*, Betonicæ, Salviæ, Anthos, Lilior. convallium, Centaurii minoris, Stœchados. *Condita*, Nucis mofchatæ, Nucis Indicæ, Nucum juglandium. *Electuaria*, Confectio Alkermes, Theriaca, Mithridatium, Diacaftoreum. *Species* Diambra, Dianthos, Diamofchum dulce, Diacaftoreon.

II. *Cephalica calefacientia externa* funt, I. Ex *Simplicibus*, ea ferè omnia quæ fuperius ex fimplicibus allata funt. Folia Rutæ, ferpilli; nec non *verbena recta*, vehementer laudantur. II. Ex *Compofitis* funt, *Olea*, ligni faffafras, Rutaceum, Nardinum, Laurinum, de Caftoreo. *Balfama*, Rofar. Rorifmarini, Nucis mofchatæ, Majoranæ, Salviæ, Succini. *Emplaftra*, de Betonica, de Mucilaginibus, de Baccis lauri.

PUNCTUM II.

De Medicamentis Cephalicis externis.

M*Edicamenta Cephalica frigefacienda funt etiam vel Interna, vel Externa.*

I. *Interna* funt I. Ex *fimplicibus*, *Radices*, Mandragoræ, *Folia*, Lactucæ, Pertulacæ, Plantaginis, Solani,

lani, Nymphææ Hyoſciami, *Flores*, Roſarum, Papaveris albi, rhæados, violarum purpurearum, Nymphææ. *Semina*, quatuor frigida majora & minora. *Fructus*, Cucurbitæ, Cucumeres. *Ligna*, Santalorum. II. Ex *Compoſitis*. Aquæ Roſarum, violarum, Lactucæ, Nymphææ, Solani. *Succi*, Opium, Acetum roſatum. *Syrupi*, Papaveris albi, Rhæados, Roſarum, Nymphææ. *Conſervæ* Lactucæ, & ex floribus. *Electuaria*, Diacodion ſimplex & compoſitum, Diaolibanum, opiatum, Ladanum opiatum. *Species*, Diatrion ſantalon, de gemmis frigidum, Diacorallium.

II. *Externa* ſunt, I. Ex *Simplicibus*; *Folia*, ſalicis, vitis, umbilici Veneris, Mandragoræ. Reliqua ex ſuperioribus ſumi poſſunt. II. Ex *Compoſitis*; *Aquæ*, Hyoſcyami, Lactucæ, Nymphææ, Plantaginis, Solani, Sambuci, Roſarum. *Succi*, Betulæ arboris, Sempervivi, &c. *Olea*, papaveris, violarum, Nenupharinum, ſeminum lactucæ, Mandragoræ, Ranarum. *Vnguenta*, Roſatum, Alabaſtrinum, Album Camphoratum, Refrigerans Galeni, Populeum.

ARTICULUS II.

De Medicamentis Ophthalmicis.

MEdicamenta ophthalmica ſunt vel Calefacientia, vel Frigefacientia, Vtraq; Interna vel Externa.

I. Calefacientia *Interna* ſunt, I. Ex *Simplicibus*, *Radices*, Valerianæ, Fœniculi, Chelidoniæ, Napi, Raporum. *Folia*, Chelidoniæ majoris, Fumariæ, Euphragiæ, Pimpinellæ, Rorismarini. *Flores* Euphragiæ, Chelidoniæ, Calendulæ. *Semina*, Aniſi, Rutæ, Sileris montani, Raporum. *Aromata*, Crocus, Xyloaloës. II. Ex *Compoſitis*; *Aquæ*, verbenæ, Chelidoniæ majoris, Fœniculi, Verbenæ, Rutæ, Centaurii minoris. *Syrupi*, Betonicæ, Euphragiæ. *Electuaria*, Theriaca, Mithridatium. *Conſervæ*, Euphraſiæ, Anthos,

Betonicæ, Salviæ, Florum Tunicæ. *Extractum*, ligni aloës.

II. *Externa* ſunt, 1. *Ex Simplicibus*, *Radices*, verbenæ, Valerianæ. *Folia*, quorum ſupra mentio. *Flores* Hyperici, Meliloti, Conſolidæ regalis. *Semina*, Gallitrici, Lini, Fœnigræci. II. *Ex Compoſitis*, *Aquæ*, ſaccarata, Calendulæ, Mellis, verbaſci, Sambuci, Panis. *Vnguenta*, Pomadæ, Dialtheæ.

III. *Frigefacientia interna* ſunt, 1. *Ex Simplicib.* *Radices*, Cichorii, Fragariæ, Raparum. *Folia*, Fragariæ, Cichorii, Plantaginis. *Flores*, Roſarum albar. Violarum, Nymphææ. *Semina*, Cydoniorum, Papaveris albi. II. *Ex Compoſitis*, *Aquæ*, Fragariæ, Portulacæ. *Syrupos*, *Conſervas*, *Species*, &c. vide in Cephalicis.

IV. *Frigefacientia Externa* ſunt 1. *Ex Simplicibus*, *Folia*, Taraxaci, Querci, &c. *Flores*, vide ſuperius. *Semina*, Fabarum, Pſyllii, Cydoniorum. *Fructus*, Pulpa pomorum. Pomum dulce cum ſaccaro. *Terræ*, Bolus Armenus, Terra ſigillata. *Metallica*, Ceruſſa, Lithargyrum argenti, Lapis Calaminaris, ſaccarum Saturni, Spodium. II. *Ex Compoſitis*, *Aquæ*, florum cyani cœruleorum, Fabarum, Anſerinæ, Fragorum. *Mucilagines*, ſeminum Pſyllii, Malvæ, Altheæ, &c.

Articulus III.

De Medicamentis Thoracicis.

Punctum I.

De Thoracicis calefacientibus.

M*Edicamenta thoracica quoque ſunt vel Calefacientia, vel Frigefacientia.*

I. Calefacientia interna ſunt 1. *Ex Simplicibus*. *Radices*, Helenii, Scillæ, Ariſtolachiæ rotundæ, Tuſſilaginis, Pimpinellæ, Scordii, Scabioſæ, Dracunculi, Saponariæ. *Folia*, Herbarum quinque Capillarium, Marrubii, Calaminthæ, Scabioſæ, Veronicæ, Hederæ terre-

terreſtris,Tuſſilaginis,Botryos,Pulmonariæ maculoſæ,Hyſſopi,Scordii,Nummulariæ. *Flores*,Scabioſæ, Pulmonariæ maculoſæ,Hyſſopi,Tuſſilaginis,Spicæ, Graminis marini. *Semina*,Rutæ ſylveſtris & hortenſis, Sileris montani,Seſelios Maſſilienſis,Chærefolii, Cardui Mariæ, Abrotoni. *Fructus*, Caricæ pingues, Dactyli,Uræ paſſæ,Nux Indica. *Aromata*, Crocus, Caſſia lignea,Cinnamomum. *Ligna* Saſſafras,Guajaci,Cortices arantiorum. *Terra & Gummi*,Bolus Armenus,Gummi Ammoniacum,Myrrha,Terebinthina,Thus electum. II.*Ex Compoſitis*,*Aquæ*,Hyſſopi, Praſſii, Capillorum Veneris, Veronicæ. Hederæ terreſtris,Scabioſæ,CarduiMariæ,Ireos,Vitulina.*Spiritus*, Terebinthinæ,Sulfuris. Hederæ terreſtris. *Olea deſtillata*,Aniſi,Fœniculi, Macis, Salviæ, Serpilli. *Tincturæ*, Elixir proprietatis, Tinctura ſulfuris, Balſamus ejuſdem vel cum oleo fœniculi, vel Amygdalorum dulcium. *Extracta*,Croci,Ireos Illyricæ,Veronicæ, Calami aromatici, Hederæ terreſtris. *Decocta*, Pectorale, de Rapis paſſis,Galli decrepiti,Ligni Guajaci. *Syrupi*, de Hyſſopo, de Praſſio, Capillorum Veneris,de ſucco hederæ, Veronicæ, Scabioſæ, Nicotianæ, Oxymel ſimplex, Scilliticum. *Looch*, de Farfara, de pulmone vulpis, Sanum & expertum, de Paſſulis, de althæa. *Conſervæ*, Botryos, Veronicæ, Pulmonariæ maculoſæ, Hederæ terreſtris. *Electuaria*, Theriaca, Mithridatium. *Species*, Diaireos ſimplicis, Diatragacanthi calidi, Diapenidii, Diathamari. *Fecula* Aronis. *Flores* ſulfuris, Benzoini. *Trochiſci*, Bechici albi & nigri, Diaireos.

II. *Calefacientia externa* ſunt. I.*Ex ſimplicibus*, illa ferè omnia, quæ ſuperius adduximus. II. *Ex Compoſitis*; *Olea*, Irinum, Rutæ, Coſtinum, Cheiri, Amygdal. dulcium & amararum, Liliorum, Lini. *Adipes*, Anſerinus, qui maximè penetrat, Sevum

cervinum, Pinguedo gallinarum. *Mucilagines* seminis lini, fœnigræci, Altheæ cum Croco. *Vnguenta*, Dialtheæ, PectoraleAugustanorum, ResumtivumFernelii.

PUNCTUM II.

De Thoracicis Refrigerantibus.

T*Horacica refrigerantia sunt vel Interna, vel Externa.*

I. *Interna* sunt, 1. *Ex simplicibus*; *Radices*, Scariolæ, Arnoglossæ, Endiviæ, Polypodii. *Folia*, Portulacæ, Nymphææ, Brassicæ. *Flores*, Violarum, Malvæ, Nymphææ, Buglossæ, Cichorii, Papaveris rhæados, Rosarum. *Semina*, quatuor frigida majora & minora, papaveris, malvæ, cydoniorum, hordei. *Fructus*, pruna Ungarica & Hispanica, Mora, jujubæ, sebeste, tribuli aquatici, cynosbati exsiccati. *Ligna*, santalum rubrum, Citrinum album. *Gummi*, Tragacanthum Arabicum. *Animalia*, Cancri fluviatilis, serum lactis, lac caprinum. II. *Ex Compositis*; *Aquæ*, Caponis simplex & Composita, Vitulina, Malvæ, Violarum, Nymphææ, Papaveris rhæados. *Olea destillata*, violar. purpurearum, amygdalorum dulcium. *Emulsiones*, Papaveris albi, Portulacæ, seminum frigidorum. *Decocta*, Pectorale Augustanorum, Caponis. *Syrupi*, Violar. de jujubis, Nymphææ, Cucurbitæ, Papaveris rhæados, portulacæ, dialtheæ Fernelii. *Looch*, de Psyllio, passularum, caulium brassicæ, de portulaca, de althea. *Electuaria*, Diacodium Augustanorum, Theriaca recens. *Conservæ*, Rosarum, Violarum cum bolo Armeno, Lactucæ Hispanicæ. *Species*, Diatragacanthi frigidi, Diamargariti frigidi, Diapenidii. *Rotulæ*, Diatragacanthi frigidi, diapenidii, saccharum rosatum tabulatum.

II. *Externa sunt*, I. *Ex simplicibus*; *Folia* superius enumerata. *Animalia*, Butyrum majale recens non salitum, adeps porci masculi, gallinæ. *Mucilagines*,

cilagines, ſemines pſyllii, cydonior. fœnigræci, altheæ. *Olea*, violarum, liliorum alborum.

ARTICULUS IV.

De Medicamentis Cardiacis.

PUNCTUM I.

De Cardiacis Calefacientibus.

MEdicamenta Cardiaca ſunt, quæ cordi, tam intus data, quàm extrinſecus applicata, conveniunt; Sunt quoque vel Calida, vel Frigida.

I. *Interna*, ſunt. 1. *Ex ſimplicibus*; *Radices*, Scordii, Doronici, Angelicæ, Morſus Diaboli, Oſtrutii ſeu Imperatoriæ, Vincetoxici, Scorzoneræ, Dictamni, Tormentillæ, Contrajervæ. *Folia*; Meliſſæ, Scordii, Salviæ, Tormentillæ, Carduibenedicti, Scabioſæ, Veronicæ, Cardiacæ, Rutæ caprariæ, Siſymbrii domeſtici & ſylveſtris. *Flores*; Tunicis, anthos, Scabioſæ, Centaurii minoris, Meliſſæ, Tormentillæ, Borraginis, Bugloſſæ. *Semina*, Citri, Aurantiorum, Cardui benedicti, Rutæ, Leviſtici, Napi. *Aromata*, Nux moſchata, Caſſia lignea, Crocus, Caryophylli. *Ligna*, Agallochum. *Gummi* Myrrha, Camphora, Benzoë, Maſtiche, *Marina*, Succinum, ambra. *Terræ & Lapides*. Bolus Armenus, Terra ſigillata Turcica & Strigenſis, Margaritæ, Corallia, fragmenta quinque lapidum pretioſorum. *Animalia*, Lapis Bezoar, Cornu cervi, Rhinocerotis, Os de corde cervi. II. *Ex Compoſitis*, *Spiritus*, baccarum ſambuci & juniperi, roſarum, meliſſæ, miſtura ſimplex, Elixir Citri cum ſpiritu vini Malvatici. *Aquæ deſtillatæ*, Carduibenedicti, Meliſſæ, florum Citri, Scabioſæ, virtutum, Calendulæ, Scordii, Carbunculi, Cinnamomi cum floribus cordialibus, Bezoardica Sennerti, Tophorum cervi. *Olea deſtillata*, Cinnamomi, Citri, Meliſſæ, Succini, Caryophyllorum, Nucis moſchata. *Tinctura*, Succini, Elixir pro-

prietatis. *Extracta*, Angelicæ, Cardui benedicti, Corticum Citri, Ligni aloës, Vincetoxici, Zedoariæ, Croci. *Essentiæ*, Magisterium Cinnamomi, Ambra essentificata, Essentia Citri, Margaritarum, verbenæ. *Succi*, Citri cum corticibus, Granatorum, Gelatina, cornu cervi, cum aceto Carduibenedicti & scordii parata. *Syrupi*, de corticibus citri sine & cum ambra & moscho, Scordii, Carduibenedicti, Arantiorum, Melissæ, Tunicæ, Granatorum, Veronicæ, Borraginis, Buglossæ, Galangæ; *Conservæ*, Melissæ, florum citri, arantiorum, tunicæ, Calendulæ, Borraginis, Buglossæ. *Condita*, Corticum citri, Arantiorum, Nucis Indicæ, Radicum Scorzoneræ, Helenii. *Electuaria*, Theriaca, Mithridatium, Confectio Alkermes, Diascordium Fracastorii. *Species & Pulveres*, Diamargariti calidi, Diamoschi, Diambræ, Pulvis rubeus Pannonicus, Cæsaris, Saxonicus, Bezoardicus aureus Doringii, Alexipharmacus Montagnanæ.

II. *Externa* sunt 1. *Ex simplicibus* ea, quæ superius enumerata sunt. 1 *Ex Compositis* eadem quoque sunt, aquæ nimirum, succi, olea destillata. Ex his Epithemata, sacculi, fomenta & linimenta fiunt.

Punctum II.

De Cardiacis Refrigerantibus.

C*Ardiaca refrigerantia sunt quoque vel Interna, vel Externa.*

I. *Interna* sunt 1. *Ex simplicibus*; *Radices*, Taraxaci, Acetosæ. *Folia*, Acetosæ, Acetosellæ, Nymphææ. *Flores*, Violarum, Cichorii, Nymphææ, *Semina*, quatuor frigida. *Fructus*, Rubi Idæi, Ribes, Berberis, Mala Citria, arantia, granata, odorata, Cynosbati exsiccati. *Ligna*, santala tria. *Terra*, & ex

ex Animalibus sumta, sunt illa quorum superius mentionem fecimus. II *Ex Compositis*; *Aquæ*, Acetosæ, fragorum, cerasorum nigrorum, cydoniorum, tophorum cervi. *Succi*, Citri, Granator. Rubi Idæi, Acetum rosaceum, Gelatina C. C. cum aceto florum sambuci parata. *Syrupi*, Acetositatis citri, Granatorum, Acetosellæ, de succo Ribium, fragorum, Corallor. Quercetani Julepus rosatus, violatus. *Conservæ* florum Citri, Arantiorum, Carnis citri, Rosarum, florum acaciæ. *Condita*, Ribium, berberorum, carnis citri, cynosbati. *Species & Pulveres*, diamargariti frigidi, Diatrion santalon, Magisterium, perlarum, Corallorum.

ARTICULUS V.

De Medicamentis stomachicis.

PUNCTUM I.

De stomachicis Calefacientibus.

Medicamenta stomachica sunt, quæ ventriculum calefaciunt, vel refrigerant: idque seu intus assumta, seu extra applicata.

Interna calefacientia sunt, I *Ex Simplicibus*; *Radices*, Pimpinellæ, Rhapontici veri, Galangæ, Zedoariæ, Calami aromatici, Caryophyllatæ. *Folia*, Absinthii Pontici & vulgaris, Menthæ rubeæ & hortensis veræ, Crispæ, Saracenicæ, Cardiacæ, Cichorii, Agrimoniæ, Majoranæ. *Flores*, Betonicæ, Salviæ, Spicæ, Majoranæ. *Semina*, quatuor calida majora & minora, Coriandri præpar. Dorncrellii. *Fructus* baccæ juniperi, lauri, mala arantia, nux Indica. *Aromata*, Nux moschata, Zingiber, Macis, Caryophylli, Cinnamomũ, Galanga, Cubebæ, Piper omne, Cassia lignea. *Ligna*, Agallochum, Guajacum, Cortices citri, arantiorum. *Gummi* Mastiche. *Marina*, succinum, ambra.

II. *Ex*

Ex compositis; *Spiritus*, vini malvatici, Rhenani, ſalis, vitrioli, maſtichis, abſinthii, anthos, cinnamomi, panis. *Aquæ deſtillatæ*, Menthæ, betonicæ, ſalviæ, cinnamomi ſine & cum vino, Elixir vitæ, Meliſſæ cum vino, Zedoariæ cum vino. *Olea deſtillata*, piperis, calami aromatici, caryophyllorum, macis, Cinnamomi, carvi, fœniculi, abſinthii, corticum aurantiorum. *Tincturæ*, Elixir proprietatis, ſuccini, Corallorum, ligni ſaſſafras. *Extracta*, Xyloaloës, abſinthii, calami aromatici. *Eſſentiæ*, Roriſmarini, Citri, abſinthii, aurantiorum; quo pertinent, Sal abſinthii, juniperinum. *Syrupi*, Cinnamomi, Menthæ, Abſinthii, Betonicæ, Maſtiches, Oxymel ſciliticum, florum hyperici. *Conſervæ* abſinthii, menthæ, betonicæ, roſarum rubrarum vitriolata. *Condita*, Zingiberis Chinenſis, Acori veri, Galangæ, Corticum citri, aurantiorum, Nutis moſchatæ, Nucis Indicæ, Myrobalanorum. *Species & pulveres*, Aromaticum roſatum, Diatrion pipereon, Diaxyloaloës, ſpecies Imperiales, pulvis ſtomachicus Birckmanni, Tragæa groſſa ſtomachalis.

II. *Externa* ſunt, I Ex *Simplicibus* hactenus enumerata, & ex *Gummatibus*, Ladanum, Tacamahaca, ſtyrax, calamites. II. *Ex Compoſitis*, ſunt præter ſuperiùs dicta, *Balſama*, Peruvianum, Chamæmeli Romani, Maſtichis Strobelbergeri. *Vnguenta*, Stomachale, Martiatum magnum. *Emplaſtra & Cataplaſmata*, Stomachale, de cruſta panis, de baccis lauri, de maſtiche.

Punctum II.

De Stomachicis Refrigerantibus.

Stomachica refrigerantia ſunt quoque vel Interna, vel Externa.

I. *Interna* I. *Ex Simplicibus*, *Radices* Cichorii, Aceto-

Acetosæ, Asparagi, Nymphææ. *Folia*, Intybum omne, acetosæ, portulacæ, myrti. *Flores*, Rosarum, violarum, Balaustiorum. *Semina*, quatuor frigida, hordei, acetosæ, rosarum. *Fructus*, Mala citria, cydonia, aurantia, granata, myrtili, mespila, tamarindi, ribes, melones, cucumeres. *Ligna*, Santalum. *Lapides*, Corallia rubra. II. *Ex Compositis*, *Aquæ* Rosarum, Acaciæ, fragorum, plantaginis, portulacæ, cydoniorum. *Succi*, quorum inter Cardiaca refrigerantia facta est mentio. *Syrupi*, de Coralliis, Acetositate Citri, de Agresta, Cydoniorum, Acaciæ, Granatorum, Julepus Rosarum, & violarum. *Conservæ*, Rosarum vitriolata, florum acaciæ, summitatum quercus, florum Citri. *Condita*, radicum Cichorii, Cydoniorum, lactuca Hispanica. Diacydonium simplex. *Species & pulveres*, Diatrion santalon, Diarrhodon Abbatis, diamargariti frigidi.

II. *Externa* sunt I. *Ex Simplicibus* illa, quorum in internis mentionem fecimus. II. *Ex Compositis*, *Oleum* rosarum, violarum, cydoniorum, Nymphææ, Omphacinum.

ARTICULUS VI.

De Medicamentis Epaticis.

PUNCTUM I.

De Epaticis calefacientibus.

MEdicamenta Epatica sunt Calefacientia, vel Refrigerantia. Illa, vel Interna, vel Externa.

I. *Interna* sunt I. *Ex Simplicibus*; *Radices*, quinque aperientes majores & minores, pimpinellæ, raphani rusticani, scillæ, rhapontici veri, rhabarbari. *Folia*, Agrimoniæ, Eupatorii Mesuæ, herbæ Kunigundis, Chamædryos veræ montanæ, centaurii minoris, nasturtii, betonicæ, hepaticæ seu lichenis,

Chamæ

Chamæpityos. *Flores*, Centaurii minoris, ſpicæ, ſquinanthi, ſambuci, epaticæ nobilis, lupuli. *Semina*, Arantiorum, Citri, Aquilegiæ, ſeſelios. *Fructus*, Mala arantia, paſſulæ, baccæ juniperi. *Aromata*, Cinnamomum Crocus, Acorus, Zedoaria, Spica Indica, Caſſia lignea. *Ligna*, Xyloaloës, Guajaci, Santali citrini. II. *Ex compoſitis*; *Spiritus*, Sambuci, Guajaci, Abſinthii, Centaurii minoris. *Aquæ*, ex prædictis herbis deſtillatæ. *Olea* ſalviæ, arantiorum, abſinthii, juniperi, macis, nucis moſchatæ. *Tincturæ*, Elixir proprietatis, Ligni ſaſſafras. *Extracta*, Gentianæ, Carduibenedicti, Agallochi, Abſinthii, Guajaci, Veronicæ, Calami aromatici. *Syrupi*, Chamædryos, Byzantinus, Lupulorum, Abſinthii, *Conſervæ*, Chamædryos, Salviæ, Abſinthii, Fumariæ, Anthos. *Condita*, Acori, Corticum arantiorum, Citri, radicum pimpinellæ. *Species & Pulveres*, Diacurcumæ, Dialaccæ, Diaxyloaloës, Diamargariti calidi.

II. *Externa* ſunt, 1. *Ex Simplicibus*, ea quæ adducta ſunt, ex quibus decocta, ſacculi, fomenta, parari poſſunt. *Vnguenta* ſunt, Nardinum, Martiatum. *Emplaſtra*, Diaphænici calidi, de baccis lauri, Oxycroceum.

Punctum II.

De Hepatis Refrigerantibus.

Hepatica refrigerantia ſunt vel Interna, vel Externa.

I. *Interna* ſunt, 1. *Ex Simplicibus*; *Radices*, Aſparagi, Graminis, Nymphææ, utriuſque fragariæ, Acetoſæ, Cichorii. *Folia*, Acetoſæ, Fragariæ, Aſparagi, Taraxaci, Scariolæ, Portulacæ, Lactucæ, Nymphææ. *Flores*, Roſarum, Cichorii, Buglоſſæ, Balauſtiorum, Nymphææ, Acaciæ, Papaveris, rhæados,

dos. *Semina*, quatuor frigida majora, & minora, hordei, papaveris albi, violarum. *Fructus*, Poma granata, &c. quæ inter ſtomachica refrigerantia retuli. *Gummata & Lapides pretioſos* vide ibidem. *Ab Animalibus*, Raſura eboris, C. C, ſerum lactis caprini. II. *Ex Compoſitis*, Spiritus vitrioli, ſulphuris acidus, ſalis. *Aquæ deſtillatæ*, Cichorii, Acetoſæ, Nymphææ, Fragorum. *Syrupi*, ex ſucco Cichorii, Endiviæ, Acetoſæ, Acetoſellæ, acetoſitatis Citri, & reliqui inter ſtomachica frigida. *Conſervas*, *Condita* & *Species* ibidem vide.

II. *Externa* ſunt, I. *Ex Simplicibus*, eadem quæ ſuperius. II. *Ex Compoſitis*; *Olea* Roſatum, Cydoniorum, Nymphææ, Omphacinum. *Vnguenta*, ſantalinum, Refrigerans Galeni, Roſatum Meſuæ. *Emplaſtra*, Cerotum ſantalinum, Diaphænicon frigidum, Emplaſtrum de ſucco Cicutæ.

ARTICULUS VII.

De Medicamentis Spleneticis.

PUNCTUM I.

De Spleneticis Calefacientibus.

M*Edicamenta Splenetica ſunt vel Calefacientia, vel Refrigerantia. Vtraque vel Interna, vel Externa.*

I. *Interna Calefacientia* ſunt. I *Ex Simplicibus*; *Radices*, Filicis, quæ appropriata eſt, Scorzonoræ, Iridis florentinæ, Polypodii querni, Caryophyllatæ, Raphani ruſticani. *Folia* Scolopendrii veri, Linguæ cervinæ, cochleariæ, Tamariſci, Cuſcutæ, Lupuli, Fumariæ, Beccabungæ, Chærefolii, Galiopſidis, Chamædryos. *Flores*, Lupuli, Geniſtæ, Sambuci, Chamæmeli, Fumariæ, Hepaticæ. *Semina*, Fraxini,

Fraxini, Ammios veri, Nasturtii, Chærefolii, Sinapi, Urticæ, pastinacæ sylvestris, Cochleariæ. *Aromata*, Crocus, Epithymum. *Ligna*, Sassafras, Xyloaloë. *Cortices*, radic. Capparum, medi. rad. fraxini, Sambuci, Tamarisci. *Gummi*, Ammoniacum in aceto scillitico dissolutum. II. *Ex Compositis*; *Spiritus*, Vini tartarizatus, Centauri minoris, vitrioli Martis, Tartari simplex & Compositus, Nasturtii, Cochleariæ, Guajaci, Juniperi è baccis. *Aquæ*, Cuscutæ, Melissa composita, Lupulorum, Nasturtii aquatici, Cochleariæ, Fumariæ. *Tinctura*, Martis. *Extracta*, splenis Jovis, Scolopendrii, Linguæ cervinæ, Scordii, Fumariæ, Polypodii. *Essentiæ* Cochleariæ, Epithymi, Chamædryos, Fumariæ, Cuscutæ, Capparum. *Syrupi*, de Scolopendrio Fernelii, de Epithymo, Cochleariæ, de Pomis, Sceletyrbicus Foresti. *Conservæ*, Cochleariæ, Scolopendriæ, florum genistæ, fumariæ, veronicæ, Chamædryos, Pimpinellæ. *Species*, Dialaccæ, Diacurcumæ, Diacapparum Hollerii, Tartarus vitriolatus.

II. *Externa* sunt I. *Ex simplicibus* ea quæ hactenus sunt enumerata, II. *Ex compositis*, *Olea*, de Capparibus, Irinum, Cheiri, Rutæ, Nucleor. Persicorum, Amygdalorum, Scorpionum. *Vnguenta*, Dialthææ, Martiatum, de Arthanita, de Ammoniaco, spleneticum. *Emplastra*, de Meliloto. Diachylum ireatum, Emolliens Foresti, Diasulphuris Rulandi.

Punctum III.

De Spleneticis Refrigerantibus.

Splenetica refrigerantia sunt vel Interna, vel Externa.

I. *Interna* sunt I. *Ex simplicibus. Radices*, Cichoraceæ, & quarum in Epaticis mentio. *Folia*, *Flores*,

res, *Fructus*, *Semina*, inde quoque peti possunt. His Cortices radicum salicis adjicias. II. *Ex Compositis*, sunt etiam eadem, quibus accedunt medicamenta è Tartaro & chalybe præparata. *Trochisci*, de santalis, spodio, Carabe, Berberibus.

II. *Externa* sunt I. *Ex Simplicibus*; *Radices*, Mandragoræ. *Folia*, Hyoscyami albi, Cicutæ, Salicis, Nymphææ. II. *Ex Compositis*, quæ sunt inter refrigerantia hepatica videantur.

ARTICULUS VIII.

De Medicamentis Nephriticis.

PUNCTUM I.

De Nephriticis calefacientibus.

Medicamenta nephritica sunt vel Calefacientia, vel Refrigerantia. Vtraque vel Interna, vel Externa.

I. *Interna calefacientia* sunt I. *Ex Simplicibus*; *Radices*, Ononidis, Saxifragiæ, Filipendulæ, Pimpinellæ, Liquiritiæ Altheæ, Polypodii, Levistici. *Folia*, Capillorum Veneris, Rutæ murariæ, Veronicæ, Chærefolii, Urticæ, Hederæ terrestris, Parietariæ, Matricariæ, Ononidis. *Florum*, Genistæ, spicæ, Sambuci, Betonicæ, flavedo florum violarum, hyperici *Semina*, quatuor calida majora & minora, petroselini, milii solis, saxifragiæ, nuclei cerasorum, persicorum, botryos, fabarum. *Fructus*, baccæ juniperi, hederæ, alkekengi, amygdalæ amaræ, cynosbati, passulæ minores. *Aromata*, Cassia lignea, spica Indica, Crocus. *Ligna*, sanctum, Nephriticum, Tamarisci. *Gummi*, Terebinthina, Myrrha, Mastiche, olibanum. *Mineralia*, Lapis Judaicus, nephriticus. *Ab Animalibus*, Lapides percarum, oculi cancri, lumbrici terrestres, testæ ovorum, mandibulæ lucii. II. *Ex Compositis*, *Spiritus* salis,

terebinthinæ, è baccis ſambuci, fragorum, cerasorum, vitrioli, matricariæ. *Aquæ deſtillatæ*, Ononidis, Saxifragiæ, Petroſelini, Hederæ terreſtris, Alkekengi, Matricariæ, florum ſambuci. *Olea*, Aurantiorum, Juniperi, nucleorum perſicorum, ceraſorum, amygdalorum amarorum. *Tincturæ*, Elixir proprietatis, ſuccini. *Extracta*, Veronicæ, hederæ terreſtris, liquiritiæ. *Syrupi*, Adiantinus Fernelii, Byzantinus, Capillorum Veneris, Dialtheæ, Oxymel. *Conſervæ*, Hederæ terreſtris, veronicæ, cynosbati ex fructibus. *Species & Pulveres*, Lithonthripticon, Tartarus vitriolatus, ſal ononidis, ſtraminis fabarum, Cherefolii, urticæ.

II. *Externa*, ſunt I. *Ex ſimplicibus*, ea quæ ſuperius allata ſunt. II. *Ex Compoſitis*, *Olea*, Scorpionum, Liliorum alborum, coſtinum. *Vnguenta*, Martiatum, Agrippæ, Aregon, Dialtheæ. *Emplaſtra*, Diachylon ſimplex, Oxycroceum, Meliloti.

PUNCTUM II.

De Nephriticis Refrigerantibus.

Nephritica refrigerantia ſunt vel Interna, vel Externa.

I. *Interna* ſunt, I. *Ex ſimplicibus*, *Radices*, Graminis, Fragariæ, Nympheæ. *Folia*, Portulacæ, Salicis, Labri Veneris, Jaceæ ſeu herbæ Trinitatis, Lactucæ. *Flores*, Nympheæ, violarum, Roſarum, Fabarum. *Semina* quatuor frigida, papaveris albi, violarum purpurearum. *Fructus*, vide inter ſtomachica & hepatica frigida. *Lapides*, Cryſtallus. II. *Ex Compoſitis*, *Aquæ*, Fragorum, violarum, Hordei, Portulacæ, Lactucæ. *Succi*, Citri, Fragorum, Portulacæ. *Syrupi*, Nymphææ, Fragorum, Portulacæ, Acetoſitatis Citri. *Conſervæ*, Acaciæ, violarum Portulacæ.

II. *Externa*, ſunt eadem, quibus *Ex Compoſitis* adde, *Olea* roſarum, nymphææ, ſaccari Saturni. *Vnguenta*, Roſatum Meſuæ, Infrigidans Galeni.

ARTICULUS IX.

De Medicamentis Vterinis.

PUNCTUM I.

De Uterinis calefacientibus.

M*Edicamenta Vterina ſunt vel Calefacientia, vel Refrigerantia. Vtraque vel Interna, vel Externa.*

I. *Interna* ſunt, 1. *Ex ſimplicibus*, *Radices*, Pæoniæ, Valerianæ, Oſtrutii, Angelicæ, Pimpinellæ, Bryoniæ, Ariſtolochiæ rotundæ. *Folia*, Artemiſiæ, Rutæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Mercurialis, Matricariæ, Sabinæ, Betonicæ. *Flores*, Betonicæ, Cheiri, Sambuci, Hyperici, Stœchados, ſpicæ. *Semina*, quatuor calida, ſileris montani, Cicerum rubrorum, Rorismarini, Pæoniæ. *Fructus*, Nux Indica, Baccæ juniperi, Mala aurantia. *Aromata*, Cinnamomum, Caſſia lignea vera, Nux moſchata, Cubebæ, Grana paradyſi, crocus. *Ligna*, Agallochum, Fraxini, Guajaci. *Ab animalibus*, Caſtoreum. II. *Ex Compoſitis*, *Aquæ*, Artemiſiæ, Hyſſopi, Sambuci, Cinnamomi, Zedoariæ, Leucoji lutei, Betonicæ cum vino. *Olea* Cinnamomi, Angelicæ, Succini, Caryophyllorum. *Tinctura*, Elixir uterinum Crollii, omiſſo ſale matris perlarum. *Extracta*, Hyſtericum majus & minus. Quercetani, Hepatis & ſplenis bovis, Meliſſæ, Ligni aloës. *Syrupi*, de Artemiſia, Matricariæ, Aurantiorum, Meliſſæ, Cinnamomi. *Conſervæ*, Majoranæ, Betonicæ, Meliſſæ, Anthos, Calendulæ. *Condita*, Acori, corticum citri. arantiorum, Nucis moſchatæ, Indicæ, radicum Zedoariæ. *Pulveres*, Diacalaminthæ, Diaxyloaloës, Diacinnamomi.

II. *Externa* ſunt 1. *Ex ſimplicibus*, pleraque ſuperiora, quibus accedunt, *Gummi* Olibanum, ſty-

rax, calamites, bdellium myrrha, ladanum,aſa fœtida, galbanum, Opopanax, Sagapenum, Succinum. *Ab Animalibus*, Caſtoreum, Zibethum, Moſchus. II. *Ex Compoſitis*; *Olea*. Cheiri, Angelicæ, Rutæ, Caſtorei, Nardinum, Scorpionum, Nucis moſchatæ. *Vnguentum*, è baccis lauri, Ceroneum,ex gummi Carannæ, Ceratum matricale, vel de galbano,& alia.

PUNCTUM II.

De Uterinis refrigerantibus.

UTerina refrigerantia ſunt etiam vel interna, vel externa.

I. *Interna* ſunt, I. *Ex Simplicibus*, *Radices*, Biſtortæ, Symphyti majoris. *Folia*, Fragariæ, Burſæ paſtoris, Vincæ pervincæ, Plantaginis, Quercus, Conſolidæ majoris, Portulacæ, Urticæ, Lyſimachiæ. *Flores*, Roſarum, Cydoniorum, balauſtiorum, Nymphææ, Lyſimachiæ, Hyperici, Symphyti, Salicis. *Semina*, Portulacæ, plantaginis, hyoſcyami, papaveris albi. *Fructus*, Acaciæ, Mala granata, Meſpila, Myrtilli. *Ligna*, Santalum. *Gummi*, Sanguis draconis. *Terra & Mineralia*, Bolus Armenus, Corallia rubra, Margaritæ, Cryſtallus. II. *Ex Compoſitis*, quæ ſunt, ex præteritis componuntur, & ex antehac dictis nota eſſe poterant.

II. *Externa* ſunt eadem, quæ attulimus ex ſimplicibus. *Compoſita* maximam partem in Nephriticis & Hepaticis expoſita ſunt.

CAPUT VII.

De Medicamentis vegetabilibus planetariis.

MEdicamenta planetaria ſunt, quæ ſecundùm quorundam placitum, à planetis appellationes ſuas ſortita, ab iiſdem vires ſuas accepiſſe, & in operando pendere exiſtimantur.

Sunt

Sunt totuplicia, quot planetæ numerantur, *Saturnina* nempe, *Iovialia*, *Martialia*, *Solaria*, *Venerea*, *Mercurialia*, *Lunaria*.

I. *Saturnina* illa vocantur, quæ sunt adspectu horrido, odore ingrato vel etiam venenato, sapore stiptico, forma macilenta; & crescunt in uliginosis, sordidis, nemorosis, solitariis & tenebricosis locis: suntque ex his Aconitum, Agnus castus, Antirrhinum, Apium, Asplenum, Aster, Atriplex, Blitum, Bursa pastoris, Cannabis, Cappares, Cicuta, Cuminum, Cupressus, Cuscuta. Epithymum, Equisetum, Filix, Fumaria, Helleborus, Hyoscyamus, Lappa major, Lupinus, Mandragora, Muscus, Opium, Pinus, Polypodium, Pruna sylvestria, Ruta, Salix, Scolopendria, Scrophularia, Sena, Serpentaria, Seseli, Solanum, Tamariscus, Taxus, Verbena.

II. *Iovialia* illa sunt, quæ saporem & odorem habent gratum, florem rubeum vel cœruleum, substantiam oleaginosam, folia plana, & gaudent locis pinguibus, ut sunt: Caryophylli, Cerasa, Fraga, Olea, Betonica, Linum, Centaurium, Berberis, Ribes, Caryophyllata, Persicaria, Fumaria, Teucrion, Verbascum, Symphytum Galanga, Betula, Chamædrys, Amygdalus, Rubia tinctorum, Prunella, Rhabarbarum; Lysimachia, Borrago, Buglossa, Morus, Triticum; Perfoliata, Sophia, Mala granata, Violæ, Corallum.

III. *Martialia* sunt formâ aculeata & aspera, sapore caustico, colore ad rubedinem tendente, locaque amant sicca, ut sunt: Urtica, Carduorum genera, Ononis, Esula, Rhamni, Rubi, Flammula, Cæpe, Porrum, Allium, Raphanus, Piperitis, Napellus, Hyoscyamus, Persicaria, Asparagus, Basilicon, &c.

IV. *Solaria* sunt formâ regali, colore florum flavo vel fulvo, odore fragrante, sapore grata, & loca amant aprica ac meridionalia, *ut sunt*:

Heliotropium, Flos, Crocus, Chelidonia, Melissophyllon, Cardiaca, Milium solis, Rorella, Lilia, Gentiana, Laurus vitis, Enula, Helenium, Hypericum, Fraxinus. Caltha, Heliochrysum, Rosmarinus, Mentha, Citraria, & quædam alia.

V. *Venerea* sunt, quæ habent florem album, humorem lentum, saporem dulcem, odorem lascivum, formam foliorum glabram non laciniatam; *ut sunt*, Satyria, Pisa vulgaria, Boletus cervinus, aron, fructus pini & quercus, Ciceres, Nymphææ, Narcissus, &c.

VI. *Mercurialia* sunt, quæ varium florum colorem habent, siliquas gerunt, & loco plerumque arenoso nascuntur; *ut sunt*, Fabæ, Chamæmelum, Trifolium, Bellis, Juniperus, Juglans, Corylus, Sambucus, Serpentaria, Numularia, Pulmonaria, Anisum, Cubebæ, Majorana.

VII. *Lunaria* sunt quæ folia habent crassa, succulenta, saporis aquei vel subdulcis, cito in justam magnitudinem crescunt, & loca palustria & aquatica amant; *ut sunt*, Brassica, Cucurbita, Melones, Pepones, Mandragora, Papaver erraticum, Lactuca, Rapa, Tilia, Lens aquatica, &c. Vide de his *Etzlerum* in Isagoge Physico-Magico-Medica, & *Helvicum, Dietericum* in Novo orbe: quibus adde Cornu salutis *Toxitæ*, & *Carrichterum* de plantis. Invenies & in *Turnheissero* plurima.

MEDICINÆ PRACTICÆ
Generalis, & specialis

LIBER IV.

De Methodo Medendi.

TITULUS I.

De Methodo medendi in genere.

METHODUS *medendi est ars inveniendi per indicationes auxilia corporis humani sanabilis.*

Tria ergò in ea obveniunt: Indicatio nempe, Indicans, & Indicatum.

I. *Indicatio* est methodus inveniendi ex natura Indicantis indicatum sive juvamentum, quod pro finis sui assecutione, Indicans expetere deprehenditus. Et hoc de Indicatione habitualiter sumta, ut nempe est in mente artificis, sumendum est. Si verò suâ naturâ, ut est in Indicante, consideretur, nonnisi σχέσιν quandam seu relationem Indicantis ad indicatum, ceu signi ad signatum, antecedentis ad consequens indicat; quo respectu, ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας, à Galeno definitur.

II. *Indicans* est illud, quod per se & suâ naturâ medicam opem sollicitat, sibique utile quoddam ad prosequendum bonum expetit, & veram indicationem curativam præstat. Debet autem hoc 1. Notum esse intellectui. 2. Esse agens, & instinctu naturæ suæ ad bonum ferri. 3. Esse in corpore humano. 4. Esse permanens, ne essentiam suam in fieri habeat. 5. Quâ unum, nonnisi unum indicare, quod per naturam

ſuam indicet, & quâ unum nonniſi unam naturam habere poſſit. Tale, verum & unicum Indicans, nec eſt Morbus, nec Cauſa morbi, nec Symptoma, ſed corporis ſanabilis vires, ſeu virtus & facultas ſanativa in corpore ſanabili; eaque activa, quæ naturaliter ad ſanitatem, tanquam actum ἐντέλειαν, & perfectionem ſuam movetur. *Non Morbus*. Illud enim eſt primarium Indicans, ad quod omnia referuntur. Eadem conditio finium & Indicantium. At Medicus ſanitatis non morbi cauſa omnia peragit. Indicans eſt permanens in corpore. At morbus extra ſuam cauſam ὁμόγονον non permanet. Indicanti debetur juvativum, quia ſui cauſa indicat. At morbus non ſui cauſa, ſed ſanitatis, &c. *Non cauſa.* Nec enim qualecunque, ſed ſanativum tantùm auxilium quæritur. Cauſa, ut corporis humani corruptionem meditatur, ſic nonniſi ejuſdem corruptionem indicare poteſt. *Non Symptoma*, quia non permanet. *Vires ſunt unicum & primarium Indicans*, Nam priùs vires ſunt conſulendæ, quàm curationem aggrediaris. Leviores morbi naturæ committuntur; periculoſi & ad criſin ſpectantes non attinguntur; deploratorum nulla eſt curatio. Vires autem *nec proſtratæ*, tum namque nihil indicatur; nec *validæ*, tum etiam nihil ipſis invium. Sæpè per medium oſſis, materiam natura tranſmittit, & abſceſſum gignit, pulmonis ſaniem per urinam vel alvum deturbat, detenta menſtrua per oculos, dentium præſepiola, digitos pedum &c. ejicit: ſed *Titubantes*, quæ auxilium poſcunt.

III. *Auxilium*, quod & juvans, utile, συμφερόμενον, conferens, præſidium, & Indicatum dicitur, eſt id quod tutò, ſine metu recidivæ, vel corporis injuriâ, jucundè, citra nauſeam & moleſtiam nimiam, & citò ſine procraſtinatione,

juvare,

juvare, & corpori ſanabili conferre debet. De eo nota, 1. Nullum proprio Marte ſanitatem reducere, ſed beneficio caloris innati, ſeu ipſius Naturæ, ita ut hæc κυρίως & formaliter id faciat, hic opera ſuccenturiata. 2. Morbo non eſſe contrarium, ſi ſimpliciter & ut Ens talis naturæ ſumatur: Contrarium, ut animato corpori adjungitur, & à natura actuatur. non tamen primariò & ſua natura, ſed obliquè & ſecundariò; tum quòd non congenitis viribus morbos adoriatur; tum quòd ſæpe vomitus vomitu curetur, alvi profluvium fluxu concitatiore, tetanus, perfuſione aquæ frigidæ; tum denique, quòd morbi ex iiſdem ex quibus fiunt, ferè etiam curentur. Lumbrici, pulvere lumbricorum fluxus arterioſi ſanguinis guttis aliquot hauſtis, vel poſt exſiccationem adſperſis. 3. *Vſum* eorundem in debita quantitate, tempore, & loco, modum quidam addunt.

TITULUS II.

De Methodo medendi in ſpecie.

CAPUT I.

De Methodo προσθετικῇ.

HActenus de Methodo medendi in genere: ſequitur methodus in ſpecie, quæ vel eſt προσθετική, vel ἀφαιρετική.

Methodus προσθετικὴ eſt, quæ quantum viribus naturæ deeſt, tantundem ſupplere, per augmentationem & multiplicationem virtutis docet.

I. *Neceſſaria* eſt, quia cum nullus morbus accidat, niſi læsâ facultate: imò, forma ægri-

tudinis cujuſque imbecillitate agendi contineatur, conſequens eſt, ut illa redintegrata, forma quoque morbi ad ſanitatis habitum revocetur.

II. *Indicans* hic eſt, principium ſanativum; quod nec eſt *Anima*, quia iſta ſibi ſimilis, ἀπαθὴς, ἀπληγὴς: nec *Corpus*, quia hoc merè paſſivè ſe habet, & indefinitè ad utramque valetudinem; ſed *Calidum innatum*, γόνιμον, ἀρχήγονον, & ἔμφυτον θερμὸν, quod potentiæ ſanativæ πρῶτον δεκτικὸν jure dicitur. Eo ſanè partes vivunt & agunt. Ideò ψυχικὴ θερμότης, ἔμφυτον θερμὸν Ariſtoteli, hominis anima quæ ſemper producitur uſque ad mortem Hippocrati dicitur. Hoc μεταῤῥύθμησιν totius corporis occupat, & miniſteria ſingula moderatur. Omnes exceſſus ad Geometricam & naturæ convenientia æquabilitatem revocat: & quia συγκρίνει καὶ συνοικίζει τὰ ὁμόφυλα, τὰ δ' ἀλλότρια ἐξαίρει, cruditates omnes maturat, impuritates ſecernit, ſiccum cum humido temperat & unit.

III. *Indicatum* hic eſt aliquid ſimile & familiare indicanti. Conveniens à conveniente cohæret, à diſſentaneo diſcrepat. Natura naturâ lætatur, eandem amplectitur & fovet. Eſt autem hoc auxilium, definiente Petræo, eſſentia quinta ſpiritualis, hoc eſt, tenuiſſima & ſubtiliſſima quædam ſubſtantia, media quaſi inter formam & materiam, animam & corpus, eaque alia ab elementis & eorum qualitatibus, calore cœleſti perfuſa, humidoque primigenio ſuffulta, multis nobilioribus virtutibus inſtructa, in prima creatione à DEO unà cum forma & ſemine inſita, ut ſit proprium & proximum formæ receptaculum & inſtrumentum, per quod individuum, adjuvante temperie qualitatum, in ſano ſtatu omniumque functionum integritate conſervetur, & ſpecies propagetur, &c. Vide eum in Diſſertatione inaugurali, & ſocerum meum Vechnerum in Anacepha-

cephalæoſi typica Therapeutices Catholicæ, cujus veſtigia hic premimus.

CAPUT II.

De Methodo ἀφαιρετικῇ in genere.

MEthodus ἀφαιρετικὴ vel in genere vel in ſpecie conſideratur. *In genere conſiderata, docet potentiam ſanativam ab impedimentis liberare, & eandem ad actum promovere.*

I. *Indicans* hic eſt, natura corporis ſanabilis præpedita & ſtimulata, à qua cauſæ & morbi auferendi ſunt. Finis eſt horum ablatio.

II. In *Indicatis*, ſeu auxiliis auferentibus, *Materiæ*, *Rationis formalis*, & *Vſus* ſeu *Adminiſtrationis* habenda eſt ratio.

I. *Ratione materiæ* debent eſſe communiter affectibus oppoſita, cauſaliter ſaltem & effectivè. Ideò tot eorum ſunt differentiæ & genera, quod affectuum præternaturalium, ſecundor. quor. ſeriem eleganter, quòd aliquando oſtendemus, diſtinguuntur.

II. *Ratio* formalis auxiliorum ἀφαιρετικῶν eſt, quatenus illa virtuti ſanativæ ad actum manifeſtandum conferunt. Optima verò illa ſunt, quæ ad naturalem conſtitutionem quàm proximè accedunt, & calidum innatum juvant, vel illud minimè lædunt, ſeu quæ ſecundùm naturam ſubjecto ſanabili congruunt. Habenda hic ratio *Virium* & illorum, quæ ſecundùm naturam ſubjecto ſanabili congruunt, & latitudinem juvantis ad *certum ſubjectum* & partem affectam reſtringunt. De *viribus* nota, 1. Non tantum conſiderandas præſentes, ſed etiam quales ſint poſt medicationem futuræ. 2. Robuſtos validiores Medicinas perferre poſſe. 3. Vacillantes non ſine gravi periculo, quæ multum commovent, perferre, & alimentoſa ac balſamica medicamenta repoſcere.

ſcere. 4. Exhauſtas, balſamicis refocillari debere. 5. Preſſas à copia & ideò invalidas, ſubitaneam & ideò copioſam evacuationem exigere. *Circa ſubiectum* examinare oportet Nationem, Sexum, Ætatem, Regionem, Aërem, Cœli ſtatum, anni & morborum tempora. Idioſyncraſia, quia multa ſingularia habet, & ſingularium, utpote infinitorum nulla detur ſcientia, diligentem, in educationem, parentes, victum, non naturalium uſum, morbos, medicamenta, inclinationem naturalem, quæ imaginationem ſecum trahit, conſuetudinem inprimis, inquiſitionem requirit. De *Parte* obſerva, 1. Auxilium appropriatum illam requirere, ſeu tale, quod à proprietate ſe reſpiciat, quo & veſicula pertinent. 2. Maximè principes partes ita tractandas, ne reſolutis fibris, ac robore intereant. 3. Earundem quoque qualitates & temperies obſervandas. 4. Nec non ſitum, connexionem, ἐναισθησίαν, quæ acria reſpuit, &c.

III. *Vſus* ſeu Adminiſtratio auxiliorum, *quantitate, tempore*, & *loco* circumſcribitur. 1. De *Quanto* cùm quæritur, quæritur, An parum an multum: Vel, in quo pondere & doſi. *Illud* cauſæ ſeu morbi quantitas oſtendit. Igitur ad-amuſſim præcognoſcenda, quæ ſecundùm naturam ſunt. Tantum exigendum è corpore, quantum exorbitat. Ne quid tamen nimis. Tutius ſemper eſſe in dubia proportione aliquantulum infra æqualitatem ſubſiſtere, quàm audendo limites debitos tranſilire. De *hoc* ſic habe: 1. Quæ altas egere radices, validioribus remediis indigent; quæ ἐπιπολαίως, leviores. 2. In mitiore malo κατὰ πολὺ & ἐξαπίνης agendum; in extremo & periculoſo quoque, quia hæc celeriter hiſtoriam ſuam abſolvunt, & brevi internecionem adferunt. 3. In mediocribus, Chronicis, ſenſim & lentè depellendum eſſe, ſed ſimul videndum, ne, dum ingentem flammam exiguâ aquæ po-

tiuncula

tiuncula reſtinguere ſatagimus, eandem excitemus. II. *Tempus* reſpicit I. εὐκαιρίαν, de qua nota: 1. Agendum quando cum εὐφορίᾳ agi poteſt. 2. Naturæ motum ſemper promovendum, niſi periculoſus ſit. 3. Turgentia, vel eodem die exhaurienda. 4. Circa initia & finem morborum fortiores medicinas exhiberi poſſe, quia tùm πάντα ἀσθενέστερα: in ſtatu, quia omnia ἰσχυρότερα, ſatius eſſe quieſcere. 5. Cœli conſtitutiones, id eſt, tum aſtrorum συζυγίας, ortus occaſuſque, tum magnas tempor. mutationes in Chronicis præſertim languoribus conſiderandas eſſe, &c. II. Εὐοδίαν, ſeu Ordinem in pluralitate agendorum Hic obſerva, 1. Disjunctos morbos diſtincta requirere remedia, poſſeque vel ſimul ambos, vel ſeorſim alterutrum tractari. 2. Connexis & Complicatis, ſi conſentiunt, vel ſimul, vel ſeorſim ſuccurri, ab utrovis incipiendo, poſſe: ſi diſſentiunt. Contra utrumque modiocritate quadam agi debere, ſi partim conſentiunt, partim diſſentiunt ab illo, cujus medicatio alteri ſi non prodeſt, tamen nec officit, incipiendum eſſe. 3. In omnibus affectibus, ſive ſint disjuncti ſive conjuncti, præ omnibus tum urgentiæ, tum cauſæ ſeu concomitantiæ rationem habendam, primumque curandum, tum illud quod urget, tum unde reliqua pendent. *Cauſæ* ſeu concomitantiæ rationem habent, tum *impedimenta* omnia, ſine quorum remotione nulla cura procedit; tum *fomenta*, unde concatenatæ cæteræ læſiones in fieri dependent & producuntur. *Vrgere* verò dicitur, quod cætera nocumenta, ſuâ vel magnitudine & cacoëthiâ, vel lædendi vehementiâ & celeritate exſuperat. III. De *Loco* hæc obveniunt. 1. Sequendam eſſe Naturæ ῥοπήν, & vaſa conferentia. 2. Educendam eſſe materiam compendioſiſſimo tramite, per partes ignobiles; meatum naturalem; & vias expeditas & planas. Sed de his Deo volente,

volente, ordinatiſſimè & accuratiſſimè in Syntagmate noſtro agemus.

Caput III.

De Methodo ἀφαιρετικῇ in ſpecie; & primò de ἀφαιρέσει Cauſarum.

Articulus I.

De ἀφαιρέσει Cauſarum quantitate peccantium.

Ἀφαίρεσις *Cauſarum reſpicit tum humores quantitate, qualitate, motu & loco peccantes; tum ipſos flatus*: quorum tamen illa, non ita ſeorſim exactè ſumenda ſunt, ut non inter ſe aliquando complicentur.

Ἀφαίρεσις cauſarum quantitate peccantium, per venæ ſectionem, frictiones, inediam, balnea, hæmorrhoidas, menſes, ſcarificationem, cucurbitulas, & hirudines abſolvitur.

I. Circa *Venæſectionem* occurrunt conſideranda, 1. *An ſit faciendum, nec ne.* 1. *Non ſecanda* eſt vena, 1. ſi vires ab exhauſtu, id eſt, à febribus, morbis longis, ambientis & rerum quarumlibet irruentium intemperie, venenata qualitate, immodica humoris evacuatione, labore, doloris atrocitate, & animi pathematibus langueſcunt. 2. Si ægra eſt mulier, & quidem albidior. 3. Si puer, quia diſſipabilem calorem habent. 4. Si æger nimis timidus. 5. Si morbi ſummus vigor eſt, qui criſin excipit. 6. Si intemperies cruda abſque ſanguinis vitio affligit, & aliter corrigi poteſt. 7. Si crudi ſucci toto corpore diffluunt, præſertim ſi æſtivo tempore, ſtomacho fracto, corpore molli, febris acceſſerit. 8. Si crudus frigiduſque ſuccus os ventriculi infeſtat, unde propter viciniam cordis Cardialgia. 9. Si ſucci æſtuoſi in toto corpore abundant, qui ſpiritus vaſtant,

ſtant, & ad ſtomachum delati deliquium pariunt. 10. Si morbi venenati affligunt. 11. Si evacuatio critica ſufficiens fuit. II. *Secari poteſt vena*, 1. Si vires ab oppreſſione langueſcunt. 2. Si morbus magnus eſt, qui vehementer & pauco tempore cum fervore ſanguinis febrili affligit. 3. Etiam ſeptuagenario, modò pulſus emicet, & affectus, ac copia ſanguinis juſſerit. 4. Etiam prægnanti, tam primis menſibus, quàm ultimis, ſi morbus acutus urgeat. II. *Quo tempore*; de quo nota. 1. Quorum morborum cauſa eſt plethora, his confeſtim, quacunque diei vel noctis horâ venam ſecandam, priuſquam ſe in nobilem partem transferat, & vires langueant. 2. In febribus tempore remiſſionis & intermiſſionis agendum. 3. Si morbi magnitudo non urget, præſtat manè incidere venam, horam ante vigilantibus. 4. Iteratæ detractionis tempus, ſi evacuationi ſtudemus, idem dies eſſe debet. III. *Quantum*; ubi I. *Liberalius vena ſecanda* eſt, 1. Viribus vividis. 2. Hominibus roſeo colore, habitu denſo ac fuſco, venis amplis, & quibus antea vena ſecta eſt. 3. In morbo vehemente & magno, cum virium conſtantiam. licet tum ad animi deliquium mittere, ſed & hoc exſpectandum non eſt, ſed labaſcente faciei colore, pulſu imminuto, ſanguine minore cum impetu, niſi pinguedo, craſſities, vel ſimile quid obſtet, fluente, ſiſtendum. II. *Parcius mittendus eſt*, 1. In impura plethora. 2. In Melancholia, quia non uſque adeò calida, ut refrigerantia poſtulet. 3. In pituitoſa, quia impensè frigida, crudior ſectâ venâ redditur. 4. Pueris & ſenibus, æſtate inprimis. 5. Viribus proſtratis, & morbo urgente. Tum enim partienda eſt.

II. *Frictiones*, *Sudores*, & *Balnea*, quantitatem humorum imminuunt: quia calorem excitant, qui ſubſtantiam noſtri corporis diſſipat & diſſolvit.

III. *Inedia*

III. *Inedia* idem facit, quia nil in locum diſſipati reponitur, dum alimenta negantur. Quia univerſum corpus æqualiter evacuat, in univerſali Cacochymia adhiberi debet. Quia lenta nimis, in ſubitanea evacuatione inutilis eſt Senes quoque eam melius ferunt, quàm pueri. Homines etiam bilioſi & graciles, pares diuturnæ non ſunt.

IV. *Hæmorrhoides* externæ ad plethoram minuendam, & affectus renum, uteri dorſi, coxendicis adhibentur. Frictionibus, hirudinibus, foliis ficus, pannis aſperis, ſucco cæpæ, centaurii, &c. aperiendæ ſunt. Internæ, ad affectus hypochondriacos, jecoris, lienis, ac meſenterii, Clyſteribus, & ſuppoſitoriis acribus, reſerantur.

V. *Menſes*, eo tempore, quo per naturam fluunt, movendi.

VI. *Cucurbitulæ*, in minore ſanguinis copia adhibentur. Commodiſſimus earum in revellendo uſus. In ingravidatis brachiis benè affiguntur. Si ratione totius adhibentur, partibus inferioribus; ſi ratione partis, eidem apponendas eſſe.

VII. *Scarificatio*, ſi venæ-ſectionis eſt vicaria, in cruribus præcipuè, ſed & brachiis, & dorſo, inſtituitur: ſic & à capite revellit. Si ratione propria, ad evacuandam materiam malignam & acrem adhibentur: quod etiam in gangræna & calloſis ſit affectibus.

VIII. *Hirudines*, ſi totius corporis evacuandi gratiâ apponuntur, magnis & prominentibus in cruribus & brachiis venis apponendæ ſunt. In prægnantibus ſolis brachiis applicantur.

ARTICULUS I.

De ἀφαιρέσει Causarum qualitate peccantium.

PUNCTUM I.

De Alteratione.

Causarum qualitate purgantium ἀφαίρεσις, consistit in Alteratione, Purgatione, Vomitione, Diuresi, Sudatione.

Alteratio est causarum qualitate peccantium per convenientia remedia contemperatio.

Totuplex verò est, quotuplices sunt Causæ seu humores. Itaque

I. *Bilis*, quia caliditate & siccitate peccat, refrigeratione & humectatione indiget; & si simul crassa est, incisione & attenuatione; si tenuis, incrassatione. Medicamenta vide superius. Ad commodiorem verò horum usum notandum, 1. Infusiones in ferventem aquam esse optimas, ita ut decoctio ad tertias fiat. 2. Si fluxus obortus fuerit, acetosis supersedendum, ne intestina mordeant; Syrupos tamen de Ribes, Berberis, adhiberi posse.

II. *Pituita* quia frigida & humida est, calefactionem & siccationem reposcit: quæ si simul crassa & viscosa, incisione & attenuatione. Medicamenta superiùs attulimus. De eorum usu hæc nota, 1. A validè calidis in principio abstinendum, ne materia liquata majore motu turgescat, & tenuibus partibus absumtis, crassiores remaneant. Itaque Viridia decoctis imponi debent: in ipsorum defectu frigida siccis admisceri. 2. Valida aperientia in muliere ingravidata cavenda. 3. Quia, ubi pituita molesta est, ibi stomachus languet, iis, qui assueti non sunt, potus actu calidos offerendos. 4. Si viribus integris remedia in distantissima

loca transferri debent, cocta aut trita in jusculo Guajaci, & cum magna liquoris copia exhibenda esse.

III. *Melancholia*, in qua ab immodico aceti usu temperandum; maximè si materia fuerit ferventior. Nigra enim ab aceto fermentantur, ac majorem acquirunt molem. Quare si illo utendum est, offerri debet Oxymel, cum decocto Corticum Citri, vel simile quid.

IV. *Si plures inter se misti fuerint humores*, cum illis maximè pugnandum est, quæ vim suam maximè exserunt, aliis non omnino vel intra, vel extra neglectis. Id fiet, si venæ immunes fuerint ab obstructione. Corporis meatus omnes pateant. humores a temperatura non longè secesserint. Viscera nobilia sint affectuum exsortia. In aperientibus Syrupis, hunc servat ordinem Heurnius: 1. Datur Syrupus acetosus, mox de duobus radicibus sine aceto: hinc acetum adjici debet; dein Syrupus de quinque radicibus subsequi, quem Syrupus Byzantinus sine aceto excipiet. Tandem & acetum ipsi immisceri potest.

PUNCTUM II.

De Purgatione.

PVrgatio, est humorum qualitate peccantium, concoctorum tamen & præparatorum, ex corpore, per inferiora, per medicamenta purgantia, conveniens eductio.

I. *Humores* illi, vel sunt pauci, vel copiosi; vel febrem faciunt, sive languidam, sive vehementem, vel non: vel vagantur per totum corpus, cum symptomatum vehementia, quod Hippocrati est ὀργᾶν, vel non.

II. *Coctio* hic nec illa intelligitur, quæ πέψις dicitur, & est rei coquendæ in coquentis naturam trans-

transmutatio : nec illa, quæ cruditati opponitur, significanti, vel alimentum in ventriculo, epate, & venis inconfectum ; vel humores, mediocritatem coctionis prætergressos, ut in bile flava & atra ; vel humores frigidos redundare : sed coctionem illam, quæ *pepasmi* vocabulo indigitatur, & nihil aliud est, quàm humorum in substantia & qualitatibus dissimilium, corruptorum & putridorum, ad similitudinem reductio, & corruptorum ab aliis separatio; quod caloris bonum ab inutili segregantis efficaciâ peragitur. Nec tamen necesse est, ut omnes humores concoquantur. Nam pepasmi sunt expertes segregati à concoctione sanguinis, ut in catarrhis, in colico dolore, pituita, in hydrope aqua; & occultâ qualitate peccantes.

III. *Præparatio humorum* est duplex : 1. *Ad Coctionem*, quæ fit impedimentorum omnium remotione, humorum imminutione, Caloris nativi augmento, & virium refectione. 2. *Ad evacuationem*, quod fit, dum humores ad expulsionem promti fiunt, viscidi inciduntur, crassi attenuantur : dum viæ liberæ & patentes, clysteribus, jusculis emollientibus, & similibus, redduntur; quod Hippocrati est, corpora εὔροα ποιεῖν.

IV. De *Medicamentis* hæc observanda sunt. 1. Esse vel moderata, quæ inferiores tantùm partes tangunt : vel vehementia, quæ ultra jecur, & in habitum corporis penetrant : esse vel Catholica, quibus omnes humores simul eliciuntur : vel particulari humori dicta; eaque cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, hydragoga. 2. Debere esse parti expurgandæ addicta, & accomodata. Et sanè Capiti agaricus, Cassia pectori, ventriculo & intestinis aloë, jecori Rhabarbarum, lieni sena, Articulis Hermodactyli appropriati sunt. 3. Debere esse & ὁμοιόταχα, ne celeritate alia alia antevertant; & odoratis tenui-

bus permista, ne stomachum evertant, & ut flatus discutiant: non tamen in tanta mole odorata esse debent, ut urinam provocent. 4. Semper aliquid virium exhaurire. 5. Adjumento facultatis expultricis ita agere, ut totam massam sanguineam conturbent, post humores separent, sive aliquid ex ipsorum substantia in venas trahatur, sive tantùm vapore emisso subeant.

V. *Convenientia eductionis*, An, Quantum, Quando, & Quomodo, respicit.

I. De *An faciendum sit*, nota. I. *Non esse purgandum*, 1. Si humorum adest paucitas. 2. Si corpus est sanum & bonæ temperaturæ. 3. Si ægri solo odore purgantur. 4. Si vires sunt per viam vesolutionis imbecilles; & tum arteria prona tribus digitis compressa non resilit; vel uno digito remoto, ab alio sequente non sentitur; vel plures sunt pulsus parvi quàm magni, plures languidi quàm vehementes, plures tardi quàm celeres. 5. Si ventriculus imbecillis, quo in casu Clysteres commodi sunt. 6. Si crudorum succorum copia adest, quia torsiones inducuntur, nihil ratione dignum evacuatur. 7. Si intestina apostemate laborant. 8. Si præcordia tensa sunt, elata, æstuantia, inflammatione correpta, & urina ignea. 9. Si membrum, à quo purgare intendis, dolore valido molestatur. 10. Si alvus constipata est, nec clyster præmissus. II. *Purgandum est*, 1. Si citra febrim tormina adsunt, genuum gravitas, & dolor lumborum. 2. Si membro concepta materia mobilis est. 3. Si æger est ægrè vomens, & modicè carnosus. 4. Si ad crisin se natura non convertit. 5. Si superiores conditiones absunt. III. *Cautè sunt purgandi*, Sani & puri corporis, Otiosi, Continuè animo deficientes. Difficiles, Pueri, Senes, Mulieres, qui facilè vomunt, Macilenti & rari corporis, Humidi & frigidi temperamenti.

II. De

II. De *Quanto* nota. 1. Semper potius in parva quàm magna dosi purgandum. 2. Partes in regione elvina lenientia, in venosa, mediocriter purgantia, in habitu corporis vehementia exposcere. 3. Vires robustas, exundante humore, medicamentum, quod confertim & tumultuosè educit, prohibere, ne spiritus dissipentur; non ita grassante, contra. 4. Vires ex repletione imbelles, propter Spirituum inediam, parciorem purgationem erigere, restibili per ἐπίκρασιν absumto. 5. Vires ex resolutione languidas solam ἐπίκρασιν reposcere. 6. Septimestres prægnantes minus purgandas, ne fœtus gravitate sua à valida agitatione præcipitetur. 7. Senes, quia decursu ætatis, succis benignis sunt exhausti, validiora non ferre. 8. Sed nec pueros: quia crescunt, & humidum ipsorum facillimè evaporat. 9. Raræ texturæ homines, si valida purgantia illis admoveantur, infirmitatem occupare. 10. *Gracilium*, quia venas latas habent, facilem esse medicationem. 11. Qui longas habent tibias, facillimè purgari. 12. Duræ vitæ assuetos levem pharmaciam aspernari. 13. Melancholicos naturâ, diætâ, vel morbo, quia viribus maximam partem, sine infirmitatis metu valent, corpusque solidum & succi plenum habent, ἁδροτέρως purgandos esse. 14. At balbutientes, quia alvi fluxui sunt obnoxii, leviter. 15. Cum solus stomachus affectus est, leniora deberi, ne plus pravorum humorum ad stomachum attrahatur. 16. Majorem humorum copiam, profundiorem situm, copiosioribus vel separatim, vel conjunctim indigere. 17. Ubi pluribus egemus evacuationibus, à mitioribus semper inchoandum esse. 18. Purgantibus efficacioribus tum demum utendum, cum debiliora non satisfaciunt.

III. De *Quando*, seu de *Tempore*, hæc occurrunt.

1. Prægnantes non citiùs debere purgari, quàm fœtus moveatur, idque si humor turgeat. Puerperas non citius quàm tempus elapsum fuerit. 2. In peracutis. Si materia turgeat, eodem ipso die purgandum, ob materiæ tenuitatem & fluxilitatem. 3. Tempore paroxysmorum abstinendum medicamentis: tempore remissionis & intermissionis danda esse. 4. In diuturnis morbis, non esse purgandum, priusquam materia attenuetur, & fluxilis reddatur, ac meatus pateant. 5. Tempore æstivo, ante diem; brumali, in die exhibenda medicamenta. 6. Succos qui in motu sunt, vel jam jam movendos, quatiendos esse, ut morbi incrementum prohibeatur, &, ne pars nimiâ succorum mole pessundetur, præcaveatur. 7. Sub cane & ante canem non purgandum. Nam externi caloris incendio, flagrantia viscera facilè febrem concipiunt.

IV. *Modus*, his nititur regulis. 1. Unicuique humori suum adhiberi debet educens. 2. Vicinis partibus, ut & melancholicis, liquida competunt: in remota, solidis, quæ diutius hærent, agendum. 3. Vomitus, qui interdum oboriri solet, post sumtum pharmacum, corroborantibus ventriculum, vel cucurbitulis umbilico appositis, vel succo granatorum, in illis qui imbecilli sunt ventriculo, & calido epate, sistitur; ne fiat, ovo ad gulam, aut tosto pane ad nares adhibito, impeditur. 4. Nausea linteo aceto madente supra poculum posito, vel ore succo granatorum prius abluto tollitur. 5. Torsionem ventris faciens pharmacum, Clystere subductivo, potioneve decocti masticis, aut aqua tepida, juvatur. 6. In melancholiæ prædominio Catarthica cum lenientibus, & humectantibus misceri debent. 7. Purgantia si cum aqua hordei propinata fuerint, propter hujus abstersionem parum aut nihil operantur. 8. Hypercatharsis theriacâ

riacâ novâ, aut vetere, cum opii grano uno & altero, tribus vini unciis permiſtis, ſiſtitur. Sed & cruſta panis aceto macerata, & ventriculo impoſita. 9. Æſtate cum frigidis medicamenta dari debent. Nam æſtivus calor foras evocat ſuccos, quos initio rapit pharmacum. 10. Algor hyemis, quia difficulter humores dimittit, denſato corporis habitu; præparantia præmittenda eſſe, incidentia commiſcenda, indicat. 11. Aër cubiculi ſi nimis calet, propter raptum humoris in peripheriam purgationem ſiſtit. 12. Lenius medicamentum vel paullo ante cibum vel poſt cibum ſumendum eſt, ne illo in alimentum natura abutatur. 12. Aſſumto cathartico quieſcendum, ut natura pharmacum amplectatur: tum mediocris motus confert, ut humores fundantur, & expultrix excitetur. Alii medicamento forti ſtatim indormire jubent, moderato non item. 13. Validius medicamentum ineunte purgandi motu, cibus intra tres horas excipiat: validiſſimum inediâ transigatur, quia ſtimulo non eget. 14. Si non ſufficit æger, & inter excernendum fame tanta urgeatur, ut debilitari videatur, hauriat illico à ſumtione juſculum aut panem vino madidum. Cæterùm ſitis finitam purgationem indicat, propter abſumtionem aliquam humidi roralis, modò levi catarrho non irritetur, nulla excuſatio æſtuantis ventriculi adferatur, nec inflammantis pharmaci aut bilioſi humoris nullo ſuſpicio obveniat. Excretione celebrata, brodium pulli cum ſaccharo ad obluenda inteſtina dari poteſt.

Punctum III.

De Diuresi, Vomitione, & Sudatione.

I. *Diuresis est humorum per urinas medicamentis diureticis convenienter exhibitis eductio.*

Convenienter exhibebuntur, 1. Si propinabuntur in illis morbis, qui sensim evacuantur. 2. Si medicamenta diuretica, propriè ita dicta in crassis humoribus, impropriè dicta in crassis & adustis, qui ita fluidiores redduntur, cavendo siccas affectiones, tabem, maniam, &c. exhibeantur. 3. Si non in copiosis, sed primò purgatione imminutis, ne sua crassitie & copiâ, dum ad vias angustas ruunt, eas obstruant. 4. Si medicamenta fœminis dulcia non offerantur, ne ad uterum rapiantur. 2. Si viæ nec sint inflammatæ, nec exulceratæ.

II. Vomitio est humorum medicamentis vomitoriis convenienter datis & applicatis per superiora ejectio.

Humores illi sunt, quicunque tandem biliosi, pituitosi, melancholici, sed illi præcipuè, qui vel in capacitate ventriculi resident, vel in liene, cavis jecoris & pancreate continentur: (quædam vomitio totum corpus evacuat) qui tenues sunt & biliosi, & ad superiora sua spontè feruntur, quod ex amaris ructibus, dolore, morsu, & gravitate præcordiorum percipitur.

Medicamenta vomitoria vomitum concitant, vel quia inclinationem suam sursum habent, vel quia ventriculo quasi innatant & ipsum gravant, vel quia orificium superius ventriculi laxant.

Convenientia præparationis & applicationis requirit, 1. ut dentur gracilibus temperamento & habitu, non morbo, modò vomant ex facili, id est, sint

amplo

amplo pectore, capito firmo, nec hæmoptoici ſint, nec tabidi, nec ſuffuſioni oculorum, vel lipothymiæ, vel uterinis affectibus obnoxii. 2. Ut non facilè exhibeantur ſenibus. 3. Ut æſtate, quia tum humores ſurſum feruntur. 4. Ut ſint leviora, quo vehementior morbus; vehementiora, quo à remotiori parte. 5. Ut in febribus nullum oleum ſit in uſu, propter ventriculi laxationem, cujus robur in febribus ſervari debet. 6. Ut ante Cibum in tenuibus & bilioſis; poſt cibum in pituitoſis, quia tenaciter pituita adhæret, exhibeantur. In ſpecie de Helleboro obſervandum. Ut corpus ſit ab omni febre immune. Ut æger aſſueſcat quaſi vomere ad tres, imò & viginti dies, ne evomat niſi cocta materia morbifica. Ut ſingultus, qui in media vomitione oboriri ſolet, datâ rutâ cum mulſâ, ſiſtatur. Ut convenienti quantitate exhibeatur. Nam minor agitat ſuccos, & naturæ negotium faceſſit.

III. *Sudatio eſt humorum per ambitum corporis medicamentis ſudorificis convenienter exhibitis expulſio.*

De *Medicamentis* notandum. Majoris eos eſſe tenuitatis, quàm diuretica. Facere id, humores in halitum vertendo, & ad ſumma corporis detrudendo. Frigida, qualitate occulta agere.

Conveniens exhibitio his præceptis nititur. 1. Bilioſi difficulter ſudationes propter nimiam diſſipationem caloris ferunt. 2. Ex cavitatibus ventriculi, inteſtinorum, uteri, & ſimilibus, incommodè humores ad habitum corporis detruduntur. 3. Vires imbecillæ ſudatione magis franguntur. 4. In inveteratis & frigidis affectionibus, ut deſtillationibus, paralyſi, iſchiade, articulorum doloribus, maximè ſudorifica proſunt. 5. Poſt univerſalem purgationem in declinatione adhibenda

ſunt. 6. In peſtilentibus morbis potiſſimum ſunt in uſu, nec tum vel morbi tempus, vel vires adeò obſervare opus. 7. Humor evacuandus debet eſſe vel tenuis natura, vel attenuatus: Materia verò multa ſudoriferis tentanda non eſt, ne ad cutem delata, exigua ejus ſpiracula occludat, & putredinem vel gignat, vel augeat.

ARTICULUS III.

De ἀφαιρέσει *Cauſarum motu peccantium.*

PUNCTUM I.

De Revulſione & Repulſione.

Αφαίρεσις Cauſarum motu peccantium, habet ſub ſe *Revulſionem*, *Repulſionem*, *Derivationem* & *Interceptionem*.

I. *Revulſio eſt materiæ in aliquam partem fluentis in contrarium conveniens averſio.*

I. *Averſio* iſta fit, vel ratione vacui, per venæſectionem, cucurbitulas & hirudines; vel ratione caloris & doloris, per ligaturas dolorificas, frictiones oppoſitæ partis validas, enemata, glandes, lotionem calidam, & veſicantia.

Dum in *Contrarium averſionem* eſſe debere dico, obſervandum. 1. *Debere eſſe ad partes remotas*, ut differat à derivatione, quæ fit ad vicina. Ubi notandum, partes illas præter contrarietatem debere habere rectitudinem, non quidem Mathematicam, ſed Naturalem, ſecundùm fibras & filamenta venarum. Et hoc eſt quod vocatur κατ' ἴξιν, tum ratione fibrarum & venarum, quæ ſunt à parte affectâ remotæ, & cum mittente communionem habentes; tum ſequendo rectitudinem Diametri & ſitus in longitudine, latitudine, & altitudine. II. *Contrarietatem*

tem illam esse, *vel* respectu totius corporis, ut cum à capite revellimus ad crura, quod fit in revulsione universali, à dextris ad sinistra, ab internis ad externa: *Vel* in uno membro tantùm, ut cùm à parte anteriori ad posteriorem, vel vice versâ revellitur, quæ particularis dicitur. III. *Debere etiam esse ad principium suum nisi ignoretur.* Sic itaque, in inflammatione cruris dexteri sinistrum secatur. Partibus supra claviculas affectis, si morbus jam est, ac irruit materia, vena Cephalica; si futurus, quæ in manu inter pollicem & indicem. Partibus quæ inter renes sunt & claviculas laborantibus, vena basilica; si metus imminet, rami illius inter annularem & medium. Partibus utrisque supra & infra claviculam, vena media. Renes sunt ancipites. Partes infra renes vena poplitica, malleoli, & saphana exonerant.

Conveniens & commoda revulsio erit, 1. Si fiat incipientibus fluxionibus, nisi sint diuturniores. 2. Si per loca commoda ne materia per membrum nobile trahatur. 3. Si dolor affecti loci prius mitigetur, & minor sit tractionis violentia.

II. *Repulsio est humoris influentis per medicamenta repellentia conveniens rejectio.*

Conveniens rejectio erit, si attendatur, *An, quantum, quando.*

De *An* observa. Non esse adhibendam repulsionem, 1. In partibus nobilibus. 2. Quando fluxio parti principi vicina est, ne materia repulsa ad partes feratur. 3. In partibus nimium in profundo sitis. 4. Materiâ maligna & venenata affligente. 5. Eâdem crassâ & tenace, ne crassior & resolutioni inepta reddatur; in profundo hærente, ut in ischiadica, ne sanguis ex vicinis & ambientibus musculis, ad convexum in alto situm impellatur. 6. Vulnere venenato à bestia inflicto. 7. Humore exundante & cor-

pore

pore pleno. 8. Humore jam parti impacto. 9. Dolore vehemente præsente. Nam tum adstringentia præsertim valida, tunicas exasperando, fuligines mordaces & humores acutos detinendo, majorem dolorem inferunt. 10. Naturâ rectè agente, & Criticè materiam in partem propulsante. 11. Visceribus affectis, ut in apostemate in emunctorio enato, ne metastasis symptomatica fiat.

De *Quanto* hoc sciatur. 1. Partes tenellas valida nimis repellentia non ferre. Hinc in oculis lacte muliebri è mammis emulcto, Aqua rosarum cui semen papaveris interdum incoquitur, medullis pomorum &c. utimur. 2. In augmento cum discutientibus repellentia esse miscenda, ne humor indurescat, vel cutis spiraculis occlusis restagnet. 3. Frigida & humida adhiberi, cum humor est tenuis, & superficiem corporis occupat: cum fluxiones ob nimium partium calorem accidunt, & calor magnus, vel dolor vehemens affligit. 4. Adstringentia in usu esse, si ob debilitatem partium fluxiones fiunt, nec dolor ita urget. *Tempus* repulsionis, est morbi initium.

Punctum II.

De Derivatione, & Interceptione.

I. D*Erivatio est humoris parti incumbentis ad vicina conveniens aversio.*

Humor ille ita parti incumbit, ut nondum extra venas in partis spatia effusus sit, sed in venis fluctuet.

De *Convenientia* hæc nota: 1. Non instruendam nisi plenitudine primò demta. 2. Tantum esse demendum, quantum vires ferunt & morbus reposcit; quod ex coloris mutatione in sanguine cognoscitur. Eo enim usque auferendus est, donec rubicundior

& fla-

& flavior multum, vel pro rubro lividus fluxerit. Pituitosior enim in toto corpore, in latere à phlegmone obsesso, rubicundior erit: rubicundior autem in eodem, adustus in nigrum mutabitur. 3. Instituendam esse antequam parti impingatur. 4. Per venæ sectionem fieri: per errhina, sternutatoria, si materia sit in Cerebro. 5. Communionem venarum cum parte affecta observandam. Sic in phrenitide secatur vena frontis; in mania, linguæ; in dolore occipitis, humeris & interscapulis cucurbitæ affliguntur. In auribus inflammatione obsessis ac parotidibus, vena sub aure; in gingivarum & maxillarum calidis affectibus, in labiis, in angina, sub lingua, venæ duæ. Axillis humerisque inflammatis, manus vena; Utero, poplitis; Cruribus, pedum.

II. *Interceptio, est aditus humorum in ipsa via ne ad partem pertingant, per medicamenta conveniens interclusio. Medicamenta* illa sunt ex repellentibus. Nec enim interceptio à repulsione differt, præterquam sola replicatione ad locum. Repellentia loco inflammato applicantur: intercipientia partibus & viis, per quas humor fertur. Dicuntur & *Defensiva.* Suspecta autem sunt in illis pinguia & unctuosa. Nam partes emolliunt, & si diu hærent, calefaciunt. Ideò melius est pulveres intercipientes, cum aqua rosarum & albumine ovi miscere.

Conveniens erit interclusio, 1 Si intercipientia, ex carnibus locis, in quibus vasa patentiora, apponantur. 2. Si fortiora in habitu corporis duriore, ubi vasa ampliora sunt, aërisque status calidior, qui vias laxat & dilatat, ac affluentis humoris major impetus. 3. Si mitiora, vel contrario modo se habentibus, adhibeantur.

Articulus IV.

De ἀφαιρέσει *Causarum loco peccantium.*

Punctum I.

De Emollitione, & Discussione.

Ἀφαίρεσις Causarum loco peccantium, continet *Emollitionem, Discussionem, Suppurationem & Attractionem.*

I. *Emollitio est humoris indurati & crassi per medicamenta malactica alteratio.*

Induratus est humor, vel ex siccitate valida aut blanda; vel ex plenitudine, vel ex congelatione.

Alteratio prioris est per calida moderatè & humida, ne humor in auras vi caloris exspiret; Alterius per laxationem spiraculorum ab aëreo humido: Hujus à calido moderatè sicco.

Medicamenta exquisitè emollientia, membris principalibus & quæ iis vicina sunt administrata, vitæ periculum adferunt.

II. *Discussio est humoris in parte hærentis & emolliti per insensilem transpirationem, medicamentorum Diaphoreticorum beneficio, conveniens dissipatio.*

Dicitur *Digestio* & *Resolutio*. Emolliti addidi. Non possunt enim indurata, nisi emolliantur, discuti.

Convenientia Dissipationis requirit. 1. Ut non adhibeatur, nisi evacuato corpore. 2. Ut non in illis, qui habent venas calidas & hepar tale. 3. Ut in statu & declinatione, in augmento cum repellentibus mixta applicentur. 4. Ut nec mordicantia sint, nec vehementer calida, ne pars subtilis evaporet, crassa exsiccetur & petrescat.

PUNCTUM II.

De Suppuratione, & Attractione.

I. *SUppuratio est humoris, qui discuti non potest, in pus per medicamenta maturantia conveniens mutatio.*

Convenientia requirit, 1. Ut maximè dum sanguis peccat adhibeatur. Hic enim optimè in pus convertitur: difficilius bilis & melancholia propter degenerationem talem, quæ cancrum & maligna ulcera excitat. 2. Ne in internis partibus temerè. 3. Ne, si in externis usurpatur, circa articulos id fiat. 4. Ne sit nimia, vel fortis. Aliàs membrum ad gangrænosam putrefactionem disponetur.

III. *Attractio est materiæ pertinaciter infixæ per medicamenta attrahentia conveniens motio.*

Medicamenta hæc vel sunt *Leniora*, quæ Rubefacientia dicuntur; vel *validiora*, quæ vesicantia, Crustam inducentia, & Caustica.

Convenientiæ præcepta respiciunt *Caustica*, & *vesicantia*. *Ratione illorum* exigit, 1. Ne deveniatur ad cauteria, nisi prius rubefacientibus & vesicantibus tentatis. Aliquid enim naturæ abscindunt. 2. Ut tum fiat cum pars in periculo versatur, ne à mole materiæ putrescat os maximè. 3. Ut si paucâ ustione opus, æneum sit instrumentum; si copiosâ, ferreum. 4. Ut ætatis, virium, & scrophularum ratio habeatur. Nam multi loco ipsarum, venas jugulares ussere. *Ratione Vesicantium* requiritur, 1. Ut, nec acutis morbis, nec exulceratis partibus externis, nec pulmonum regioni si ulcere afficiuntur, quòd his ulcera efferantur, nec partibus cartilaginosis, & carne spoliatis, quod uredine nigrescant, apponantur. 2. Ut postquam caro intumuit, Cicatricosa livescit, æger dolet, desistatur, ne pars stupeat. 3. Ut antequam

quam imponantur, locus primò ut rubeſcat fricetur.

ARTICULUS V.

De ἀφαιρέσει flatuum, ſeu Carminatione.

CArminatio, eſt flatuum, per medicamenta carminativa, in corpore humano, conveniens diſſipatio.

Ut conveniens ſit diſſipatio, Non debent medicamenta flatus diſcutientia admoveri, niſi imminuta materiâ. Aliàs, majores flatus ob rarefactionem materiæ excitabuntur.

MEDICINÆ PRACTICÆ
Generalis, & ſpecialis

LIBER V.

De ἀφαιρέσει morborum.

TITULUS I.

De Morbis partium ſimilarium, & eorum curatione.

CAPUT I.

De Methodo intemperiei ſine materia.

TANTUM de Methodo Cauſarum ἀφαιρετικῇ, quæ ſeparatim à Cauſarum ipſarum deductione tractari debebat: ſequitur Methodus morborum generalis ἀφαιρετικὴ, quæ neceſſariò cum primis morborum differentiis combinatim tractari debebit; cum non tantùm ipſos affectus, ſed & affectuum cauſas, ſigna, & differentias complectatur.

Primariæ itaque & eſſentiales morborum differentiæ ſunt, quibus Morbi diſtinguuntur in *Morbos Partium ſimilarium*, *Partium Organicarum*, *& Vtriſque communes.*

Morbi partium ſimilarium vel ſunt *Intemperiei*, vel *occultarum qualitatum.* Intemperies vel eſt *abſque materiâ*, vel *cum materiâ.*

Intemperies abſque materiâ, eſt temperamenti in corpore humano à naturali ſua conſtitutione per ſuas cauſas inducta declinatio.

Temperamentum intellige non *ad pondus*, in quo ea eſt qualitatum proportio, ut æquis omnibus viribus concurrant: ſed *ad juſtitiam*, in qua quædam eſt qualitatum in viribus inæqualitas; ſed ea tamen actionibus peculiaribus ſui generis conveniens eſt. 2. Intellige temperamentum tum *ſimplex*, tum *compoſitum*. 3. Temperamentum corporis humani, non tantum quatenus *miſtum* eſt: ſed etiam, idque præcipuè, quatenus *vivens*, ſive *inſitum* illud ſit, ſive influens.

Signa ex Differentiis deſumuntur.

Cauſæ ſunt, Externæ præſertim; de quibus ibidem.

Curatio fit *Alteratione*, ſi intemperiem ipſam præcisè ſpectes, ſed non diu iſte morbus abſque materiâ perſiſtit.

Dividitur in quatuor Species.

I. Alia eſt *Calida*, in qua calor exſuperat. *Cognoſcitur* ex illis, quæ calorem exaltare, vel eundem inſequi poſſunt. *Oritur* à quinque præcipuè, nempe Motu animi & corporis, Putredine, Vicinia rei calidæ, Ejuſdem permiſtione, & Corporis conſtipatione. *Curatur* Medicamentis *refrigerantibus*, ſive *ſimplicibus* ſive *compoſitis*, ſive *intus aſſumtis*, ſive *extra applicatis*. Ubi notandum, 1. Facillimas eſſe ad curandum alterationes, quæ ex calido & frigido conſiſtunt. 2. Morbum calidum in corpore natura frigidiore valentioribus expugnandum remediis. 3. Frigida medicamenta quatuor gradus habere.

II. Alia eſt *Frigida*, in qua frigus excedit. *Cognoſcitur* ex cauſis frigus inducentibus, & Symptomatibus idem inſequentibus. *Oritur* ab illis, quæ vel propriâ vi refrigerant; vel calorem innatum ſuffocant; vel obruunt, vel diſſipant, vel ei pabulum ſubtrahunt. *Curatio* inſtituitur per medicamenta *calida* primò *benigniora*, poſt *fortiora*. Medicamenta vide in Inſtitutionibus.

III. Alia

III. Alia eſt *Humida*, quando humiditas vincit. *Cognoſcitur* ex antecedentibus & conſequentibus. *Oritur* à vicinia humidorum, & quæ humidorum effluviorum tranſpirationem impediunt. *Curatur* per Medicamenta *ſiccantia*.

IV. Alia eſt *Sicca*, in qua Siccitas prævalet. *Cognoſcitur* ex iiſdem fontibus. *Oritur* à contrariis cauſis, nempe alteratione exſiccantium, & nimia reſolutione ac paucitate alimenti. *Curatur* per *Humectantia*.

V. Alia *Compoſita*, id eſt vel calida & ſicca, vel calida & humida: vel frigida & ſicca, vel frigida & humida. De ea non eſt quod multa dicamus. Facilè enim, quid ſit, & quomodo curari debeat, ex ſimplicibus colligi poteſt.

CAPUT II.

De Morbo intemperiei cum materia.

Intemperies materialis eſt temperamenti naturalis in corpore humano ad præternaturalem, propter materiæ præſentiam, deviatio.

Signa Differentiæ inſequentes dabunt.

Cauſa eſt Humor præternaturalis, illeque 1. Vel *Congeſtus ſenſim*, ſeu ob partis imbecillitatem, ſeu ob alimenti vitium. 2. Vel *Affluens*, ſeu ob attractionem: ſeu ob tranſmiſſionem vel à toto corpore, vel à partibus aliquibus.

Curatio perficitur I. *Alteratione* per contraria, ſi morbus ſpectetur. II. *Evacuatione*, ſi cauſa; idque per ſanguinis miſſionem, ſi Plethora peccat: per Purgationem, ſi Cacochymia: per ſudorem, ſi materia ad cutim vergit: per vomitum, ſi ad ſuperiora: per Diureſin, ſi ad vias urinæ. III. *Diæta oppoſita*.

Dividitur in tot intemperies, quot materialis.

I. Alia eſt à *Sanguine* ſeu *Plethora*, quando humores alendo corpori deſtinati exundant, &c. *Cognoſcitur* ex laſſitudine, &c. *Oritur* à bono alimento, &c. *Curatur*

1. *Venæ sectione*, II. *Alteratione* per refrigerantia & humectantia, hepati præsertim appropriata. Dividitur dupliciter. 1. Alia est à *Plethora exquisita*, cui præcedentia omnia conveniunt. Alia à *Plethora notha*, in qua Curatio etiam purgatione opus habet. 2. Alia est à *Plethora ad Vasa*. Alia à *plethora ad vires*: de quibus superius.

II. Alia est à Bile excrementitia, quæ calida & sicca. *Curatur difficulter*, si est à flava bile. *Nunquam* ferè, si à porracea, vitellinâ vel æruginosâ; &c. *Perficitur* curatio, 1. *Alteratione* per medicamenta refrigerantia & humectantia, & si sit nimis tenuis, incrassantia; si crassa, incidentia. Inter illa obtinent palmam, *caules Lactucæ Italicæ*, *flores Nymphææ*, *Portulaca*, *plantago*, *Tamarindi*, *Iujubæ*, *papaver erraticum*. Inter hæc *Cichorii* & *Taraxaci* radices, *Acetosa*, & quæ ex illis parari possunt, *Spiritus vitrioli*, *salis*. 2. *Evacuatione*, seu per venæsectionem, quando bilis cum sanguine permiscetur, vel per purgationem *Cholagogis* per inferiora institutam. *Cholagoga* præcipua sunt, *Rhabarbarum*, quod nec solum, quia fumosum, nec stranguriâ affectis dandum; *Tamarindi*, *Aloë rosata*, quæ in pillulis duntaxat sumitur. *Syrupus florum Acaciæ*, *Rosarum solutivus* prægnantibus non exhibendus, *Pillulæ Rufi*, *Aquæpendentis*, *Bejeri benedictæ*, *&c.* 3. *Diætâ* refrigerante & humectante.

III. Alia est à *Pituita* præternaturali, quæ frigida & humida. *Curatur*, 1. *Alteratione* per medicamenta calida & sicca, attenuantia & incidentia. ubi nota, A validè calidis in principio abstinendum, ne materia liquata majore motu turgescat, & tenuioribus partibus absumtis crassiores remaneant. Valida aperientia in muliere gravida caveantur. Validissima sunt *Lignum guajacum*, *Radix Chinæ*, *Sassafras*, *Salsaparilla*, & *Oxymel scilliticum*. Vsui decoctorum

rum ſtomachica calefacientia, quia ventriculus nimiâ pituitâ languet, interponenda ſunt. II. *Evacuatione* per Medicamenta *phlegmagoga*. Præcipua ſunt ex mediocribus, *Mechoacanna*, ex qua morſelli quoque fiunt, in forma pulveris feliciſſimè operatur; *ſemen Carthami*, & *Agaricus* trochiſcatus. Ex fortioribus *jalapæ* radix cum cremore Tartari exhibita, *ſyrupus diacolocynthidos Freitagii*, *Pillulæ de ſagapeno*, Horſtii Obſerv. T. I. p. 295. *Spiritus aureus Rulandi.* De colocynthidis ſingulari maceratione, vide *Freitagium* in aurora Medicor. III. Venæ ſectione, ſed ne calor à phlegmate oppreſſus diſſipetur; & ut plethora adſit. IV. Diæta calefaciente & ſiccante, Aer ſit calidus & ſiccus, Cibi aromatibus condiantur, Vinum ſit generoſum purgato corpore. Capparum cum aceto & paſſulis frequens uſus.

IV. Alia à *melancholia* præternaturali, ſeu craſſa ſeu diluta, ſeu in atrum ſuccum degenerante. *Curatur*, I. *Alteratione* per Calefacientia & ſiccantia, modò atra bilis non ſit. Laudantur, *Radices Eryngii, Glycyrrhizæ*, Herbæ *ſcolopendr. Meliſſæ, Cuſcutæ*, Flores *borragin. Tamariſci, Cappar. Cordiales.* Syrupus *pomor. redolentium*, &c. Acetum vitetur; quod ſi illo utendum, *Oxymel* cum decocto *Corticum Citriorum* offerri debet. II. Evacuatione per *Melanagoga.* Præcipua ſunt, *Polypodium*, *Senna*, *Extract. Ellebori nigri*: de quo vide *Heurnium* in Methodo, & *Codronchum* in ſpeciali tractatu. *Diæta* calefaciente & humectante. Aër decocto malvæ & violarum temperetur, cibi ſint potiùs elixi, ova ſorbilia, Carnes gallinaceæ, vitulinæ, perdicum, paſſulæ minores, balnea aquæ dulcis temperata, &c.

V. Alia eſt à *Sero*, ſeu aquoſa tenui & ſalſa, copiâ & qualitate corpus humanum afficiente humiditate. *Curatur Evacuatione*, per hydragoga, Sudorifera, & Diuretica, &c. *Hydragoga* præcipua ſunt, ex medio-

cribus *summitates sambuci* primum erumpentes, lento calore exsiccatæ. *Acinorum sambuci* Emulsio. *Radix iridis*. Ex validioribus *Gummi gotte*; de quo vide *Reudenium*, in peculiari tractatu. *Ialapa*. *Extractum Elaterii*. *Conserva esulæ Bejeri*, *Pillulæ de Sagapeno Camilli* apud Quercet. in pharmacop. restituta. *Sudorifera* primaria sunt. *Spiritus* Ebuli, Sambuci, *Sal* Centaurii minoris, Absinthii, Fraxini, Scabiosæ, *Cornu cervi* præpar. *Antimonium Diaphoreticum*. *Bezoardicum Ioviale*. Inter Diuretica Liquor & Syrupus. *Diureticus Rivii* in Renod. pharmacop. sal *urinæ*, *succini*, *fabarum*, apud Hartman. Spiritus *salis*, *Liquor* ex Tartari vitriol. scrup. s. Cum aquæ Cinnamomi unc. s. & Iulepi rosati unc. ij, compositus. VI. Alia est *Composita*, ab uno & altero horum inter se commixtis. In *Curatione* ita agendum est, ut cum illis maximè pugnemus, quæ vim suam maximè exserunt, cæteris nec intra nec extra neglectis. Id fiet, si venæ immunes fuerint ab obstructione, corporis omnes meatus pateant, humores à temperatura non longè secesserint, viscera nobilia sint affectuum exsortia. Habent hic locum *Panchymagoga* Paracelsi, Crollii, *Pillulæ imperiales* Fernelii.

Caput III.

De Morbis occultarum qualitatum.

Morbus *occultarum qualitatum est morbus à causis maligna & venenata vi, nec ad qualitates manifestas referendâ, agentibus, exortus.*

Signa sunt, morbi symptomata rara, magna, in aliis non obvia. præcessit aliqua suspicio, vel summi gradus putredinis in corpore exorti, aut aëris infecti, aut contagii: vel veneni seu sumti, seu extra communicati.

Causa est varia, prout in Differentiis explicabitur.

Curationis *eventus* sumitur ex causæ magnitudine,

ne, partis affectæ nobilitate, Symptomatum vehementia, & multorum mortib. *Instituitur* I. Per *Veneni sublationem*, quæ pro ratione differentiarum variat. II. Per *Alexipharmaca*, tum communia, tum cuique parti appropriata; ubi tamen nec manifestarum qualitatum est obliviscendum. Probatissimum est *Electuarium* ex *radic. Imperatoriæ. Angel. odorat. Gentianæ*, *Carlinæ* ana manip. II. *Terræ sigillatæ* unc. VI. *Myrrhæ* unc. I. *Theriacæ Andromachi* unc. IV. *Rorismarini*, *Rutæ* ana manip. I. *Aristolochiæ* libr. 3. *baccarum lauri* manip. I. *mellis virginei despumati triplo confectum.*

Differentiæ sumuntur à Causis.

I. Alii sunt ab *humoribus internis.*

II. Alii ab *aëre infecto. Curatio* consistit in *Aëris talis præcautione.* Infecti pro ratione causæ *purificatione.* Alexipharmacorum, quibus cor muniatur, & per sudores malignitas pellatur, adhibitione.

III. Alii sunt ab *Aqua.* Sunt enim fontes quidam metallici, venenati vel à natura, vel aliunde, sed & potus aquæ multis hydropem intulit, & aquæ vitio Scorbutus inducitur. Fugiendi sunt tales fontes: Aquæ verò vitiosæ corrigendæ, coctione, colatione, polentæ vel allii injectione, &c.

IV. Alii à *Contagio.*

V. Alii à *Venis*, quorum *Curatio dubiæ spei*, si præsentaneum venenum sumtum: & si in magna copiâ. *Nullius* ferè, si nec per vomitum, nec per alvum, nec per sudores expelli potest. *Respicit* 1. *Expulsionem* per Alexipharmaca, quæ pro ratione veneni variant. 2. *Evacuationẽ*, per vomitum præsertim, ut facilius Medicamenta illa ad cor penetrare possint. 3. *Somni prohibitionem*, ne ad cor & interiora facillimè penetret. *Differentiæ* sunt plures. 1. *Alia* sunt *venena intrò sumta*, quæ curantur *vomitu leniore* ex pinguioribus parato. *Purgatione*, si in intestinis superioribus hæreat.

Diuresi, si ad vias urinæ pergat: & nullibi Alexipharmacor. obliviscendum. *Diæta*, in qua lac vehementer laudatur. *Alia Extra applicata*, quorum *Curatio* respicit Ex*tractionem*, tum per medicamenta attrahentia, tum per illa quæ similitudine quadam id faciunt; quæ continuanda, donec vitiosus color, dolor, & Symptomata cessaverint. *Interceptionem*, quæ injecto loco superiori vinculo optimè perficitur. *Alexipharmacorum usum*, si venenum in corpus penetravit; prout superius dictum est.

TITULUS II.

De Morbis organicis.

CAPUT I.

De Morbis confirmationis.

Morbus Organicus est partium corporis humani à structura naturali deviatio.

Quia verò ad illam *Conformatio*, *Numerus*, *Situs*, & *Connexio* requiruntur; tot etiam morborum organicorum erunt differentiæ, & huic Titulo quatuor subjiciuntur Capita: sed & quia in *Conformatione* tria reperiuntur, *Figura* nempe, *Cavitas*, & *superficies*, dabuntur etiam tot morbi.

ARTICULUS I.

De Morbis Figuræ.

Morbus figuræ est partium corporis humani à naturali figura, ex causis suis dependens deviatio.

Signa sunt conspicua, ita ut non sit necesse de illis dicere. *Causæ* sunt, quæcunque figuram vel componendo, vel laxando, vel distorquendo, vel exhauriendo violare possunt.

Curatio non est difficilis in iis, qui ob ossium humiditatem

miditatem crescunt. *Vix tentanda* in adultis, in quibus ossa, propter quorum figuram partes externæ talem figuram habent, duritiem & siccitatem majorem contraxere. *Perficitur* 1. διαπλάσει, manibus contrectando & in oppositum ducendo. 2. ἐπιδέσει, per fascias & ferulas. *Potest repeti*, si prior non successit, si insignis est læsio & æger validus; & quidem per calli ruptionem præmissis emollientibus. *Non debet repeti*, si æger senex, læsio minor, & callus durus.

Differentiæ à tempore deviationis sumuntur.

I. Vel fit *ante nativitatem* in utero, & tum in Conformatrice est vitium, difficulter curatur.

II. Vel *in partu*: & tum, aut infans nimis magnus fuit, aut uteri orificium nimis angustum.

III. Vel *post nativitatem*: ubi sunt præcipuè in causa, *Nimia repletio*, quæ inanitione curanda. *Alimenti defectus*, qui facilis coctionis, boni succi, pauci excrementi cibos reposcit. Vide caput de Atrophia. *Motus violentus*, seu ab ipso homine, seu ab artifice causatus, ubi ossium fracturæ præcipuè obveniunt. *Partis in aliam partem ob nervorum seu resolutionem, seu convulsionem declinatio*; ubi ad ipsum nervorum affectum respiciendum.

ARTICULUS II.

De Morbis cavitatum.

PUNCTUM I.

De Morbis cavitatum in excessu.

M*Orbi cavitatum sunt, in quibus naturales partium meatus læduntur.* Cavitatum nomine intelligitur, tum venter seu magna cavitas, ventriculi nempe, cerebri, cordis, uteri: tum meatus venarum,

arteriarum,Ureterum, &c. tum orificium,ſeu caput vaſorum & cavitatum quarumcunque.

Quia verò cavitates vel in *exceſſu*, vel in *defectu* læduntur; morbi etiam cavitatum, vel in *exceſſu*, vel in *defectu* erunt.

Morbi cavitatum in exceſſu ſunt, cum cavitates ſunt majores, quam per naturam eſſe debebant.

Signa in particularibus ponentur.

Cauſa eſt quicquid cavitates vel aperire, vel diſtendere, vel erodere, & dividere poteſt.

Curatio perficitur *Occluſione.*

Dividuntur in *Anaſtomoſin*, *Diapedeſin*, & *Diæreſin.*

I. Ἀναστόμωσις eſt *quando oſcula vaſorum nimium aperiuntur & dilatantur. Cognoſcitur* per effluvium humoris vel materiæ, quæ contineri debebat copioſius. *Oritur* ab illis, quæ laxare vel diſtendere poſſunt, ſive illa ſint externa, ſive interna. *Curatio* occluſionem per Medicamenta *adſtringentia*, *de quibus ſuo loco*, & cauſas reſpicit. Præcipua adſtringentia ſunt. Folia *burſæ paſtoris*, ſemina *portulacæ*, flores *balauſtii*, *bellidis minoris*, *bolus Armenus*, ſuccus *prunorum ſylveſtrium*, Theriaca *recens*, pulvis *oſſium humanorum*, Crocus *Martis*, *&c.* Quantum ad *Differentias*, 1. Vel eſt *ab externa cauſâ*, ut Medicamentis ἀναστομωτικοῖς vel χαλαστικοῖς; tum cauſæ præceſſere. Removendæ ſunt. 2. Vel à *copia humorum*, *ſanguinis* præſertim, facultatem onerante; & tum ſigna humorum adſunt. Venæ ſectione & purgatione agendum. 3. Vel à *qualitate humorum facultatem irritante*; & tum ſigna eorundem ſunt præſentia. Evacuationibus præmiſſis, adſtringendum.

II. Διαίρεσις eſt, *quando vaſa dividuntur. Cognoſcitur* per effluvium materiæ cum dolore copioſum. *Oritur* à cauſis, quæ erodere, diſtendere, vel rumpe-

rumpere possunt. *Curatio* unitionem per adstringentia Medicamenta reposcit. *Differentiæ* sumuntur à Causis. 1. Vel est *ab Externis*, motu nempe vehementi, pondere gravi, clamore, saltu, contusione, vulnere, Medicamentis acribus & crassis. 2. Vel ab *humoribus acribus*, tum signa humoris biliosi vel salsi adsunt. *Curatio*, alteratione per medicamenta refrigerantia & acredinem obtundentia; Evacuatione per cholagoga, & hydragoga, &c. & Diæta refrigerante & demulcente perficitur. 3. Vel *ab humoribus copiosis*, ubi curationis eadem quæ in anastomosi ratio. 4. Vel à *Flatibus*, & tum signa flatuum absunt; nempe, tensio sine gravitate, dolor vagus, prægressus causarum generantium, subitaneus affectus exortus, urinæ bullositas, &c. *Causæ* sunt cibus multus & humidus, calor imbecillis, qui materiam digerere non potest. *Curatio* reposcit Evacuationem causæ. Dispulsionem flatuum per medicamenta carminativa. Laudantur interea, succinum *album*, Theriaca & Mithridatium *annosa*, confectio *baccarum lauri*, Conserva *salviæ*, spiritus *Therebinth*. Diacorum *nobile*, Oleum *feniculi*, *anisi*, pulvis *corticum citri*, *&c.*

III. *διαπήδησις, quando vasa rarefiunt*. *Cognoscitur*, ab humorum exsudatione, minùs copiosa, *Oritur* à causis rarefacientibus & humectantibus. *Curatio* causas respicit.

PUNCTUM I.

De Morbis cavitatum in defectu.

Morbi cavitatum in defectu sunt, quando cavitates angustiores, quàm par erat, redduntur.

Signa in particularibus occurrent.

Causæ angustiæ sunt, *Obstructio*, *constipatio*, *coale-*

coalescentia, compressio, subsidentia, de quibus in differentiis.

Curatio Angustiæ remotionem requirit, quæ pro varietate differentiarum variat.

Differentias quod spectat, quinque sub iis continentur.

I. *Obstructio*, quæ nihil aliud est, quàm *meatuum ab humoribus vel aliis rebus occlusio. Oritur* ab humoribus, rebus toto genere præter naturam, &c. *Curatur*, per medicamentorum deobstruentium convenientem applicationem. *Dividitur* pro ratione causarum. 1. Alia est ab *Humoribus multis*; & tum Diæta in causa. Ἀποκένωσις inservit; illaque, si humores multi, magna, rationem locorum habens. Ex thorace tussi, ex ventre superiore vomitu, ex inferiore alvi subductione, perficitur. 2. Alia ab *Humoribus crassis & viscidis*; & tum abstergendum, incidendum, & attenuandum: abstersio interdum, si cavitas patens sola sufficit. Medicamenta esse debent *vehementiora*, in majore viscidítate, remotiore loco; *mitiora*, si contrarium est, utrobique partibus appropriata. 3. Alia à *Calculo, Vermibus, Pure, Fæcibus*, de quibus suo loco videbimus: & tum, παντελῆ κενώσει agendum, sive una vice, sive pluribus. Locorum ratio, in quibus humores hærent, habenda. 4. Alia à *grumo sanguinis*, tum Medicamentis sanguinem dissolventibus, ut sunt, Magist. *oculorum cancri*, pulv. *Rhabarbari, Tormentillæ, Sperma ceti* non rancidum, &c. agendum. Medicamenta incidentia & deobstruentia supra l. 3. habes. præcipua in particularium obstructionum cura ponentur.

II. *Constipatio, quando meatus à carne vel tumore in cavitate enatis occluditur, Oritur* à Caruncula, membrana, inflammatione, tunica, tuberculo, quod concoquendum. *Curatio* absumtionem & materiæ evacuationem poscit.

III. *Con-*

III. *Coalescentia, quando meatus parietes post ulcus vel vulnus coëunt.* *Oritur* à carne cavitati adnata, cicatrice, &c. *Curatio* Ruptionem requirit.

IV. *Compressio, quando meatus à causis extra incidentibus, & parietes ejus impellentibus, occluduntur.* *Oritur*, vel ab *Externis*, ut frigore & siccantibus, ubi laxantia & humectantia prosunt: vel à *Tumoribus* vel *ossibus*, sedibus suis motis. *Curatio* remotionem illorum requirit, & diversitatem causarum respicit.

V. *Subsidentia, quando meatus ob parietum laxitatem & conniventiam coarctantur.* *Oritur* ab humiditate nimia. *Curatur* siccantibus.

ARTICULUS III.

De morbis superficiei.

Morbi superficiei sunt, quando partes in qualitatibus secundis à naturali sua constitutione declinant.

Præcipui inter ipsos sunt, *Asperitas*, & *Lævitas*.

I. *Asperitas est lævitatis debitæ inesse carentia.* Fit vel *per additionem superficiei* in partibus solidioribus, ut in fracturis squammæ quædam exstant; & tum *abrasione* per medicamenta abstergentia opus est: vel *per ademtionem*, & tum res acres tam *externæ*, vapores, venti, fumi, cibi, medicamenta venenata, quàm *internæ*, siccitas nimia partium post humiditatis absumtionem, bilis amara, pituita salsa, &c. peccant. In *Curatione* replendum, quod excavatum erat, humorum acrimonia temperanda, quæ nondum exasperata sunt, defendenda. Medicamentis humidis & lentorem habentibus agendum.

II. *Lævitas est asperitatis debitæ inesse defectus.* *Oritur* ab humoribus lentis. *Curatur* medicamentis

mentis abſtergentibus, quæ ſimul adſtrictionis aliquid habent, ut tonus fibrarum reſtauretur; & ſpacia in partis ſuperficie, ab humoribus dilatata, rurſus contrahantur.

CAPUT II.

De morbis Numeri.

MOrbus numeri eſt, cùm in numero partium eſt vitium.

Dividitur in morbum numeri in *defectu*, & *exceſſu*.

I. *Morbus numeri in defectu eſt, quando pars, quæ naturaliter adeſſe debebat, abeſt.* Pars illa vel eſt *ſanguinea*, vel *ſpermatica*, quæ eadem ſpecie non regeneratur: vel *ſimplex*, vel *compoſita*; nec debet eſſe partis particula, ſed pars integra. *Cauſa* eſt, quicquid vel efficienter, vel privatione materiæ, partis carentiam inferre poteſt. *Curatio* indicat Reſtitutionem, quæ à ſola natura fit; Medico interim, robur naturæ, calorem nativum ſervando tuente; materiam idoneam, id eſt, ſanguinem ſubminiſtrante; & impedimenta, id eſt, ſordes & ſimilia removente. Quantum ad *Differentias.* Vel illud vitium eſt *ab ortu*, ſeu ex defectu materiæ ad generationem neceſſariæ; ſeu ex imbecillitate facultatis naturalis, quæ materiam attrahere, retinere, & elaborare debet; & ſic reſtitui non poteſt. Vel *poſt Ortum*: ſectione, eroſione, putredine, refrigeratione; & tum *Curatio* ad ſuas cauſas dirigenda.

II. *Morbus numeri in exceſſu eſt, quando res, quæ naturaliter non debebat adeſſe, adeſt. Curatio* Remotionem requirit, quæ pro rerum, quæ removentur, varietate varia ita inſtitui debet, ne partes aliæ lædantur, vel ut quàm minimum lædantur. non extendenda ad illa, quæ homini moleſtiam non creant.

creant. *Differentias* si spectes, Res illa vel est *toto genere præter naturam*, ut Calculi, vermes, &c. & tum *Curatio* ad illa obvertenda: vel *substantia aliqua integra*, quæ aut ob materiæ nimiam copiam, & conformatricis imbecillitatem in ortu; aut ob vitiosam qualitatem post ortum, exoritur. In his *Remotio fit* per *Ignem*, quo cauteria actualia pertinent. *Ferrum*, quo spectant omnis generis acuta instrumenta. *Medicamenta*, cathæretica, vesicatoria, &c. de quibus suo loco in particularibus morbis dicetur. *Emplastrum vesicatorium*, quod componitur ex *Cantharidum* unc. j. *Terebinth.* unc. *ß. Olibani, Myrrhæ, Mastich. Camphoræ* ana dr.j. *Ol. rosar. Ceræ*, ana. q. s. laudatissimum est.

CAPUT III.

De Morbis Magnitudinis.

ARTICULUS I.

De Tumoribus.

M*Orbus magnitudinis est partium corporis humani à magnitudine sua naturali, deviatio.*

Dividitur in morbum *magnitudinis auctæ*, seu *Tumorem*, & *magnitudinis imminutæ*.

Tumor in genere est *partium corporis humani à naturali statu aucta magnitudine recessus.*

Signa non est quod apponantur. Nam si extra accidit, visu percipitur: si intra, vel externo aliquo signo se prodit; vel aliis internis, de quibus in specialibus. Accedunt ad magnitudinis augmentum interdum, *Intemperies*, si materia in qualitatibus excedit, & easdem partibus largitur. *Vnitatis solutio*, si rodendo vel distendendo continuum solvatur. *Conformationis vitia*, si vel

ſi vel figura corrumpatur, vel cavitates comprimantur, aut obſtruantur.

Cauſæ ſunt *Humores*, *Flatus*, *Subſtantia ſolida*: de quibus in ſuis differentiis agemus.

Curatio indicat imminutionem, quæ, ſi pars *non eſt ſalva*, per eadem Medicamenta, quæ in numero abundante conveniunt, perficitur: ſi *ſalva*, fit per alimenti ſubtractionem, digeſtionem, diſcuſſionem, &c.

Differentiæ ſunt variæ.

I. Alius eſt ab *Humoribus*, qui *cognoſcitur* ex ſignis humorum; *Oritur*, à ſanguine, bile, pituita, melancholia, ſeroſo humore, ſive congeſti ſint, ſive affluxerint; ſive peculiari membrana includantur, ſive non. *Curatur* & quidem *difficulter*, ſi ſubitò imminuitur, nec per vias convenientes evacuatur, ſi febris excitatur; quæ adfuit, augetur. *Curatio* pro ratione Differentiarum variat. *Dividitur* variè. Nam 1. Vel eſt ab *Humoribus in parte congeſtis*; partim partis vitio, quatenus vel concoctrix vel expultrix ſuum officium non faciunt; partim alimenti, cum illud vitioſum & tale, ut à parte vinci non poſſit, & tantam excrementorum copiam faciat. Et *tum*, longiore temporis tractu tumor generatur: non adeò magnum ſpacium occupat. nulla fluxionis cauſa aut ſignum præceſſit. In *Curatione* reſpicienda *Alteratio* & *Evacuatio*, & hæc *ſenſilis*, ſi materia eſt copioſior, pars denſior; *inſenſilis*, ſi materia minor, pars mollior. *De Congeſtione verò humorum nota*, 1. Materiam quæ in cavitatibus communibus acervatur, adauctam ut diutius retineri non poſſit, ad cavitates & poros loci particulares refundi. 2. Non tantùm craſſos & lentos humores. Sed & ichores ex craſſis humoribus, præſertim cùm extra locum proprium refrixerint, deduci & adhærere. 3. A ſpirituoſa quoque materia, unde debilitata ex ictu pars perpetuò aliquando inflata manet, proſi-

proficiſci poſſe. 4. Humores etiam putres congeri. unde tubercula in ulceribus exſurgunt. 2. Vel eſt *ab humoribus allapſis*, ſeu per attractionem ob calorem vel dolorem; ſeu per tranſmiſſionem vel à toto corpore, vel partibus aliquibus. *Tum*, ſigna ſunt congeſtioni contraria. Nullus in parte dolor fuit, ſi per tranſmiſſionem; fuit, ſi per affluxum contigit. In *Curatione* reſpiciendum, tum ad *Affluxum durantem*, & tumorem fientem, ubi locum habet *Evacuatio*, ſeu per venæ ſectionem, ſeu purgationem. *Revulſio* ad contraria. *Derivatio* ad vicina, *Repulſio*, *Interceptio*, &c. tum ad *Affluxum factum*, ubi obtinent eadem, niſi materia ſit impacta, quæ *emolliri* & *maturari* debet. 3. Vel ab *humoribus peculiari membranâ & folliculo incluſis*, ubi humor in aliam ferè ſubſtantiam vertitur. 4. Vel *ab humoribus malignis*, ubi ſigna malignitatis adſunt.

II. Alius eſt à *Flatibus*, qui *Cognoſcitur* ex eo, quod nulla gravitas ſentiatur, etſi interdum dolor ſit, & pars modo in majorem, modo in minorem molem attollatur. *Oritur* à cauſis flatum generantibus, cumulanturque flatus vel ſub cute & circa membranas muſculorum, in ipſis ſimilarium poris atque interpoſitis ſimilaribus ſpatiolis: vel in membranis viſcerum; vel in viſcerum cavitatibus. *Curatur* & quidem *difficulter*, ſi in muſculis detineatur, quod in omnes ipſius partes ſpiritus diſpergatur, conſtringatur, & ab ambientibus membranis intercludatur. *Curatur* tamen per *Evacuationem* materiæ, *Diſcuſſionem* ejuſdem, & *Roborationem* partis.

III. Alius à *partibus ſolidis*, ſeu illæ Oſſa cum extra ſuum locum in alium procidunt; ſeu partes molles ſuo loco motæ; ſeu arteriæ, ſeu venæ: de quibus ſuis locis agemus.

IV. Alius, qui *terminatur per discussionem* ἄδηλον; & tum materia nec est multa, nec crassa; nec profundo loco sita, nec sub crassa & densa cute conclusa. Corpus non est impurum. Natura est fortis: membrum levius evadit: pulsatio molesta cessat.

V. Alius, qui *per suppurationem*; & tum Materia est copiosior, crassior; loco profundiore sub cute densa latens; dum pus fit dolor & palpitatio in parte cum febre affligit, postquam pus factum est, calor imminuitur, dolor sedatur, tumor in mucronem elevari, mollescere & albescere incipit, pus sub digito, nisi pars sit crassa, vel profundè lateat, fluctuat.

Alius, qui *per indurationem*; & tum materia est viscosa & dura, calor naturalis fortis, tumor ipse imminuitur, durities augmentum recipit.

Alius, qui *per corruptionem*; & tum pars livida & nigra apparet, calor & dolor imminuitur.

PUNCTUM I.

De Abscessu.

TUmorem ab humore profectum duo insequuntur, *Abscessus*, nempe, & hunc aliquando *sinus*.

Abscessus est purulentæ materiæ ex humore tumorem excitante ortæ, in partis alicujus cavitate collectio.

Subjectum sunt partes, & ipsarum cavitates.

Signa ex tertia tumorum ab humoribus profectorum differentia petantur, ubi de suppuratione agitur.

Causa est Humor ipse, quem calor nativus in pus maturat & vertit. Hinc pro ejus varietate variatur.

Curatio duorum temporum rationem habet. I. *Quando pus conficitur*; & tum agendum 1. *Anodynis*

dynis, & dolorem lenientibus. Oleum lumbricorum eſt laudatiſſimum. 2. *Maturantibus*, & quidem *temperatè calidis & viſcidis*, in tumoribus calidis, & corporibus mollioribus & humidioribus; ut ſunt, *Oleum dulce*, *farina tritici*, *lac*, *medulla panis* triticei: *Calidioribus*, in tumoribus frigidis, ac naturis & partibus frigidioribus; ut ſunt *Terebinthina*, *Lacryma abietina*, *laricea*, *pinea*, *caricæ*, *paſſulæ*, *Diachylon ſimplex*. II. *Quando pus confectum eſt*; ubi agendum 1. *Evacuatione*, vel *Inſenſili*, quod non tantum in magna puris copiâ propter indurationem; ſed & in omni propter acredinem, quæ morâ intendi poſſet, periculoſum. Vel *Senſili*; & hic abſceſſus aperiendus; vel per benigniora, inter quæ *Diachylon ſimplex cum ſemine ſinapi*, *ficubus*, *& ſale*: vel per validiora, id eſt, cauteria potentialia, & actualia. 2. *Mundificatione* per detergentia, *ſuccum* nempe *Apii*, *Centaurii minoris*, *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Abſinthii*, *Betonicæ*, *Agrimoniæ*, *&c.* 3. *Carnis generatione* per medicamenta ſarcotica. 4. *Cicatricis obductione* per Epulotica, inter quæ *Emplaſtrum Diapalma*.

Quantum ad *Differentias*, illæ variæ ſunt.

I. Vel eſt ex *Sanguine*, & tum facilius maturatur, pus ubi maturuit, laudabile eſt. Vel ex *aliis Humoribus*, qui difficulter oritur, puri quid ſimile habet, viride & flavum, apparet.

II. Vel eſt pus *Purum*: vel *pulti*, *melli*, *ſebo*, *olei amurcæ*, *& vini fæcibus ſimile*, interdum multis aliis permiſtum.

III. Abſceſſus, vel eſt *in partibus carnoſis*; & tum facilius in pus mutatur; vel *propè articulos*, in partibus nervoſis ac debilibus, exiguum calorem habentibus; & tum difficulter maturatur.

IV. Vel pus in *Cavitate* fluctuat, & in ſinum colligitur: vel *peculiari membranæ* & folliculo includitur.

PUNCTUM II.

De Sinu.

Sinus est, cùm pure in profunditate se in latitudinem diffundente, cutis adjacens carni subjectæ non coalescit.

Signum præbet abscessus qui præcessit, & turundæ, quibus optimè explorari potest.

Causa ipsum pus, quod in profundo detentum, acrimoniâ suâ cuniculos molitur, & universi corporis excrementa allicit.

Curatio est *Nulla*, si callum & duritiem contraxit. *Dubia*, si multa & non concocta materia excernitur, & in sinu dolor percipitur, *Bonæ spei*, si pus paucum, bonum, album exit, & dolor nullus adest. *Perficitur* I. *Evacuatione* puris, quæ fit aut *simplici mundificatione*, si deorsum sinus tendit, per aquam hordei, melicratum, & mulsum: aut *Apertione*, ita uti vel tota cavitas dissecetur, si minor est; vel tantum inferius orificium, si major est, & pars sine periculo secari non potest. II. *Carnis productione* per medicamenta Sarcotica, ubi nota. Excrementum tam tenue quàm crassum removendum esse, ne in ulcere hæreat, Magis siccioribus, ut *farina orobi, radice ireos, Aristolochiæ, myrrha, tuthia, pompholyge*, in siccis: minus, ut *thure, farina hordei, fabarum* in humidis utendum. Si sinus non pateat, liquida per syphonem injicienda, & aliquandiu linquenda. Ex carentia doloris, pauci & benè cocti effluxione, de glutinatione, & è contra colligendum.

Quantum ad *Differentias*, Vel sunt *breves & minores*; vel *profundi & lati*. Vel *recti*, vel *obliqui*. Vel *sursum* tendunt, vel *deorsum*, unde pejus pus evacuatur.

ARTICULUS II.

De morbis magnitudinis imminutæ.

M*Orbus magnitudinis imminutæ, est partium corporis humani in magnitudine naturali diminutio.*

Signis opus non eſt, cum ſit morbus ipſe evidens.

Cauſæ ſunt, Alimenti inopia, ſeu quia ſubtrahitur, ſeu quia canales ſunt obſtructi. Loci anguſtia, in qua pars augeri debet; ſectio, putredo, refrigeratio, uſtio: de quibus ſuis locis.

Curatio inſtituitur I. *Refectione* per bonum ac copioſum alimentum. Ubi locum habent vini potus, cibi craſſi ſucci, exercitia pauca, frictiones mediocres. Dropax ſeu picatio, quam in Pharmacopœa vide. II. *Regeneratione*, ſi membrum avulſum, quæ ſolius naturæ eſt; Medicus duntaxat impedimenta removet, &c.

CAPUT IV.

De Morbis ſitus.

M*Orbus ſitus ſeu Connexionis, eſt partium corporis humani, quæ conjungi debent, ſejunctio; quæ ſejungi debent, conjunctio.*

Signa, quia per ſe patet affectus, non eſt quod attingam.

Cauſæ in illis conſiſtunt, mediantibus quibus ligantur partes, & de luxatione quidem ſub articulo ſequente agemus. Connexio verò eorum, quæ ſejungi debebant, fit, ſi partes mediæ laxentur, vel ligamenta rumpantur, aut vulnerentur. *Curatio* repoſcit conjunctionem ſejunctorum, & ſejunctionem conjunctorum.

Quia verò *luxationes* frequentiſſimæ ſunt, inter

ter morbos ſitus, placet hic *in genere* de *Luxatione* agere.

ARTICULUS I.

De Luxatione.

L*Vxatio in genere, eſt articuli è ſua ſede in alienam cum motus arbitrarii impedimento, prolapſus.*

Signa ſunt, Membri in ſitu, figura & longitudine diſſimilitudo, motus læſio, quia propter illum articuli. Dolor, nervis, muſculis & tendinibus compreſſis. Tumor partis, in quam prolapſus eſt articulus. Cavitas loci, è quo prolapſus eſt.

Cauſæ ſunt omnia illa, quæ vel tenſione, vel impulſione violentâ valent; præcipuè partium, à quibus continentur laxitas vel unitas ſoluta, ligamentorum contractio, &c. *Curatio* eſt *facilior*, in pueris & mollioribus. *Difficilior*, ſi dolor ingens, & inflammatio, vulnus, aut convulſionis periculum accedit. Si luxatio vetuſta & callo obdurata. Si in pueritia accidit, nec curata eſt. Si ad tabem motu intermiſſo & vaſis compreſſis vergit. Si articuli paucioribus motuum differentiis dicati ſunt. Si longius à ſuo ſinu diſceſſere. Si oſſium ſupercilia fracta ſunt. *Perficitur* per ἀρθρεμβολήν, quæ abſolvitur, 1. *Extenſione* ſufficiente, qua os in ſuum locum compellitur. 2. *Repoſitione*, ſeu per manum; ſeu per inſtrumenta vulgaria, ſeu per organa ſingularia. 3. *Medicamentorum adſtringentium* appoſitione, ut inflammatio præcaveatur. 4. *Diligenti* per faſcias & ſplenia *deligatione*. 5. *Molli*, & naturalem figuram ſervante *collocatione*.

Differentiæ ſunt variæ. Nam.

I. Alia eſt *à cauſis externis*, ictu, lapſu, extenſione violenta ante partum, in partu: quæ caveri debent.

Alia ab *Internis*, dum humor in cavitatem articuli lapſus, eum è ſede ſuâ expellit.

II. Alia *Perfecta*, quando articulus totus ſuâ ſede excidit; quæ ἐξάρθρημα dicitur.

Alia *Imperfecta*, quando articulus ad ſinus ſeu acetabuli marginem prolabitur, quæ παράρθρημα nuncupatur.

III. Alia *cum inflammatione & dolore*, ubi dolor prius leniendus, inflammatio ſedanda, ne ex nervorum diſtentione convulſio oriatur; tum reponendum.

IV. Alia *cum vulnere*, quæ periculoſiſſima, præſertim ſi articulo vulnus vicinum, & febris acuta exoritur. Hic Articulus ſi reponi poteſt, reponendus. Si repoſitus eſt, & repellendæ inflammatio acceſſit, exturbandus. Si reponi non poteſt, inflammationi ad ſeptimum vel nonum diem incumbendum.

V. Alia *cum fractura*, ubi articulus primò reponendus; poſt fractura curanda: ſi non poteſt reponi, tum reſtituendus, cum callus generatur.

TITULUS IV.

De Morbis ſolutæ unitatis.

M*Orbus ſolutæ unitatis, eſt continuitatis & unitatis partibus corporis humani debitæ amiſſio.*

Cauſæ illius ſunt, 1. quæ *erodunt*, ut omnia acria, cauſtica, putrefacientia. 2. quæ *ſecant* ſeu punctim, ſeu cæſim. 3. quæ *frangunt*, ut lapides, ligna, &c. 4. quæ *tundunt* & rumpunt, vel partem replendo, vel nimis tendendo. 5. quæ *adurunt*, ut res ignitæ, ferramenta candentia, &c.

Curatio expoſcit *unitionem*. Medici eſt videre, ne quid in partem affectam conglutinationem impediens incidat. Ut labia rectè ſibi mutuò applicentur. Ut extrema conjuncta ſerventur. Ut ipſius partis

temperamentum maneat, & ut ſymptomata, quæ ſupervenire poſſunt, præcaveantur.

Quoniam verò inter præcipuos unitatis ſolutæ morbos ſunt *Vlcera*, *Vulnera*, & *Fracturæ*; de his aliquid nobis in genere dicendum eſt.

CAPUT I.

De Vlceribus.

U*Lcus, eſt continui, cum imminuta magnitudine, in parte molli à materia erodente, exorta ſolutio.*

Subjectum eſt pars mollis ſeu carnoſa, non ſolùm carnem muſculoſam, ſed eam quoque qua inteſtina, veſica, &c. conſtant, comprehendens.

Signis opus non eſt in externis: Interna ex particularibus facilè colligentur. *Tempora* ulcerum ſi ſpectes, *Principio*, ſanies aquoſa, tenuis, cruda, copioſa effluit; ſymptomata, nimirum dolor, pruritus, &c. affligunt. In *incremento*, ſymptomata augentur, ſanies coqui incipit, & in copia minuitur: in *ſtatu* ſunt omnia majora; in declinatione, minora.

Cauſa vel eſt *Externa*, medicamenta nempe cauſtica, contagium quod in lue venerea fit, &c. Vel *Interna* ſeu Humores, qui vel in parte affecta generantur; vel eò aliunde confluunt; quod verno tempore, aut per exercitationem, in Cacochymicis corporibus accidere poteſt.

Curatio eſt *Difficilis*, ſi ad partem nobiliorem, exquiſiti ſenſus, humiditatibus à natura ſcatentem pertingit. Si morbis aliis ſuccedit, quod tum natura humores vitioſos ad partem propellat. Si ulcus magnum, quia validè aër externus appellere poteſt. Si rotundum, quia extrema difficilius connectuntur. Si diuturnum, quia os abſcedere neceſſarium eſt. Si ad viriditatem & nigredinem tendens,

dens, quia ſic partis affectæ calor extinguitur. Si ſanie multâ, tenui, pallidâ, lividâ, nigrâ, & mali odoris ſcatet. Si cum lienis vitio crura afficit, quia craſſi & melancholici humores ad ulcus affluentes unionem impediunt. *Abſolvitur* I. *Evacuatione*, ſi corpus cacochymicum. II. *Venæ ſectione*, ſi eſt plethoricum. III. *Suppuratione*, cum in poris partis ex venis ſanguinis effuſi hæreat. Ubi nota, Abſtergentia ſuppurantibus optimè miſceri, ne ulcus humidum nimis reddatur, & ut natura, quæ excrementa etiam tum ſegregat, juvetur. Ex illis ſunt *Terebinthina*, *Ol. Maſtichinum*, *&c.* IV. *Abſterſione*, de qua modò dictum eſt, quæ per medicamenta detergentia perficitur. V. *Carnis generatione* per Medicamenta Sarcotica. Et hic obſerva, 1. Nec valida nec imbecillia eſſe debere: ne, ſi illa, ulcus aridum reddatur, caro conſumatur, ſanguinolenta excernantur: ſi hæc, caro flacceſcat, & nimia ſaniei copia colligatur. 2. Humida mollioribus, ita tamen, ut emplaſtra, unguenta, linimenta ſint ita mollia, ne calore partis liquentur, & carnem nimis laxam & ſubjectæ diſſimilem generent: pulverata, duris & ſiccis corporibus, imponi debere. VI. *Cicatricis inductione*, per medicamenta epulotica. Ubi nota. Et actu & poteſtate vi ſiccandi prædita eſſe debere. Tum imponenda, cum ulcus carne non omnino repletum fuerit; ne, ſi jam repleto imponatur, cum & tum caro incrementum ſumat, Cicatrix eminentior evadat.

Differentiæ ulceris ſunt variæ.

I. Aliud eſt *magnum*, *parvum*, *longum*, *breve*, *rectum*, *obliquum*. *Æquale*, in quo caro in omnibus partis affectæ partibus abſumta eſt. *Inæquale*, in quo contrario modo ſe hæc habent. *Superficiale*, *Profundum*, *Externum*, *Internum*.

II. Aliud eſt *cum Intemperie*. 1. Vel *Calida*, quæ *cognoſcitur* ex carnis in ipſo ulcere rubedine. *Calo-*

ris perceptione, dolore excrementorum acrimonia & mordicatione. *Oritur* ab aëre calido, fasciarum & involucrorum nimia copia, medicamentis nimis calidis. *Curatur* refrigerantibus, quæ simul anodyna & adstringentia, ut sunt *plantago, rosa, santalum, saccarum Saturni, bolus Armenus, Terebinthina, aqua plantaginis sæpius lota.* II. Vel *Frigida*, quæ *Cognoscitur* ex carnis in ipso ulcere, albedine, lividitate, & mollitie. *Oritur* ab aëre frigido, vel medicamentis talibus. *Curatur*, non ita difficulter, quia ulceri & intemperiei simul occurri potest calefacientibus, ut sunt *Olea Hyperici, Nardinum, Irinum, Rutaceum*, quibus accedere possunt fomenta cum vino parata. III. Vel *Sicca*; quæ *Cognoscitur*, ex labiorum ulceris duritie & squalore, ulceris excrementorum paucitate. *Oritur* à similibus causis. *Curatur* difficulter, quia posthabito ulcere, intemperiei avertendæ interdum est studendum. Ad humectationem utilis est *aqua tepida.* IV. Vel *Humida*, quæ *Cognoscitur* ex carnis excrescentia, mollitie & flacciditate. Excrementorum in ulcere multitudine. *Oritur* à causis similibus. *Curatur*, fortioribus sarcoticis, sumtis ex *radice Cyperi, squamma ferri Marrubio*, ita ut lotio ad sordes detergendas, in quo adstringentia macerata sint, præcedat.

III. Aliud cum *humorum affluxu*, seu illi à toto, seu à parte veniant. *Cognoscitur* ex tumore, qui in labiis & vicinis partibus apparet; dolore, si nervosæ partes afficiantur; excrementorum copia pro ulceris magnitudine majore. *Oritur* ab humoribus. *Curatur* 1. *Revulsione*, in cujus auxiliis primum locum habent fonticuli, si ulcera sint diuturna. 2. *Interceptione seu* Defensione, quæ supra partem exulceratam versus vasorum radicem applicentur. 3. *Repulsione*, cujus auxilia parti affectæ apponantur. 4. *Sarcoticis* vehementioribus. 5. *Epuloticis*.

IV. Aliud

IV. Aliud eſt *Sordidum*, quod craſſum & mucoſum excrementum emittit, cum putredine interdum & odore gravi, quæ interdum ſphacelus & gangræna ſequitur. Eſt autem ſordidum, 1. *Vel ab Humoribus*; & tum partis color vividus non apparet. *Curatio* abſolvitur victus ratione. Evacuatione. Deterſione per medicamenta validè abſtergentia, inter quæ ſpiritus vini, decoctum cicerum, oleum ex ol. roſacei lib. 1. & Mercurii præcipitati Unc. 1. decoctum & aliis immiſtum, laudatur, 2. Vel *à medicamentis unctuoſis*, & debiliter exſiccantibus. Tum ulcus album apparet, & albedo illa ſicut tela totum ulcus ambit. Curandum eſt lenioribus abſtergentibus. 3. Vel *à Medicamentis fortioribus*. Tum ulcus cavum efficitur, & rubicundius in dies evadit. Pus ſubtile paucum & calidum effluit. Curatur mitioribus & frigidioribus, ut unguento Diapompholygos.

V. Aliud *lividum*, quod *oritur* vel ab aëre, vel ab humorum affluxu. *Curatur*, ſcarificatione; ut ſanguis extrahatur ſpongiarum ſiccarum impoſitione. Exſiccatione per medicamenta validiora, nempe *Aqua viridi* Plateri, Hartmanni: de qua in chymiatria cap. de Ozæna.

VI. Aliud *Calloſum*, quod *oritur* à nimis ſiccantibus. *Removetur* callus per emollientia, ſi non cedit, vel erodentibus medicamentis; cautè tamen in nervoſis partibus, vel ſectione auferendus eſt.

VII. Aliud *cum Tumore*, quod *cognoſcitur* ex aſpectu. *Oritur* ab affluentibus humoribus. *Curatur*, pro ratione Tumorum.

VIII. Aliud *cum ὑπερσαρκώσει*, *ſeu Carnis excreſcentia*. *Oritur* 1. vel ob *abundantiam ſanguinis*. Tum caro ſe rectè habet. Inediâ, ſiccantibus ſimul impoſitis, tollitur. 2. Vel *ob ſarcoticorum & exſiccantium debilitatem*. Tum caro laxa & ſpongioſa eſt. *Curatur*, ligno aloës contuſo, in tigillo deſiccato,

ſiccato, cum vini ſpiritu rectificato, bis accenſo & præparato. Bartolinus de cauteriis.

IX. Aliud *Sinuoſum*, quando pus nimis diu detentum cuniculos quaſi agit. Curationem vide apud Valleriolam. lib. 5. Obſervationum.

X. Aliud *Verminoſum*, cùm vermes in eo generantur. *Cognoſcitur* vel viſu, ſi ulcus patet; vel, morſus punctionis, doloris & motus quodam ſenſu. *Curatio* repoſcit 1. *Extractionem*, ſi ſunt in propatulo. 2 *Necationem* per medicamenta, putredinem & humiditatem ſimul tollentia.

XI. Aliud *Varicoſum*, ſeu cum varicibus conjunctum, quod *cognoſcitur* ex ſignis varicum. *Curari* non poteſt, niſi prius varices ſanentur, & adimantur.

XII. Aliud *cum oſſis carie*, quod *cognoſcitur* ex eo, quod caro ulceri ſuperpoſita eſt flaccida & mollis. Ulcus ſæpius renovatur, ſanies copioſior quàm pro ulceris magnitudine effluit. Os ſi ſpecillum immittatur, inæquale deprehenditur. *Oritur* 1. *Ab externis*, aëre frigido, inciſione, contuſione, medicamentis acribus. 2. Ab *internis*, nempe humorem acrium ad oſſa affluxu, ſaniei pravitate, manifeſta vel occulta, &c. *Curatio* eſt *difficilis*, præſertim, ſi caro livida; ſi caries juxta nervoſas partes, vel in juncturis, vel circa muſculorum capita & tendines, vel circa magna vaſa. *Perficitur*, 1. *Oſſis denudatione*, vel radice gentianæ immiſſa, vel cauſtico, vel ſecturâ. II. *Oſſis ablatione*, vel per medicamenta validè ſiccantia, ex quibus *Euphorbium* optimum: Vel per Chirurgiam, ſi caries profundior, & cita *curatio* requiritur; quæ abſolvitur, Abraſione per ſcalprum vel terebram. Uſtione, poſtquam inflammatio lenienda & dolor prohibendus.

XIII. Aliud *cum Fiſtula*, quæ nihil aliud eſt, quàm ſinus anguſtus & longus. *Cognoſcitur* ſtylo immiſſo, & caro

& caro quæ fiſtulam circumdat, eſt alba, ſicca, & durior. *Oritur* vel ab humorum pravorum copia, vel Medici imperitia. *Curatio* eſt *difficilis*, ſi plures partes ſunt eroſæ. ſi fiſtulæ ſunt profundæ, flexuoſæ, membris nobilibus vicinæ. ſi ad muſculorum capita, venas, arterias, nervos, oſſa, articulos, thoracem, abdomen, &c. pertingunt. *Non adhibenda*, ſi fiſtulæ à partibus nobilibus remotæ; & ſi per eas humores ſuperflui expurgantur. *Palliativa*, quâ præmiſſis univerſalibus, fiſtula, aqua thermarum, calcis &c. exſiccatur, & conſolidatur. Diæta bona ſervatur: *Vera*, quæ abſolvitur I. *Vniverſalium præmiſſione*, ſub quibus & potiones vulnerariæ Tagaultii apud Sennertum, Agricolæ ſuper Poppium T.I. p. 123. comprehenduntur. Purgationes Mercuriales hic proſunt. II. *Calli remotione*, 1. *per medicamenta convenientia*, orifico fiſtulæ per penicillorum ex ſpongia, medulla ſambuci, radice bryoniæ, gentianæ, &c. immiſſionem, dilatato, per ſyphonem injecta, illaque vel liquida vel ſicca. Talia ſunt, Radix *ſerpentariæ*, *Centaurium minus*, *Cinis ficum*, Vnguentum *Apoſtolorum*, *Ægyptiacum*, *compoſitum Agricolæ* ex ſpiritu Mercurii cum ſaccaro Saturni cryſtallini & ſpiritu nitri, &c. T. I. p. 123. 2. *Per fiſtulæ apertionem*, quâ factâ callus ſcalpello detrahi, vel ferro candente tolli, munita defenſivo parte, debet. III. *Conſolidatione*, deterſis per centaurium minus, pimpinellam, &c. ſordibus. Quantum ad *Differentias*, 1. Alia *plures ſinus habet*, & tum, plus puris quàm unico ſinu contineri poteſt, effluit. 2. Alia *plura orificia*, & tum, ſi liquor per ſyphonem injectus per omnia iterum effluit, ſi humiditas ejuſdem eſt coloris, una fiſtula eſt. 3. Alia *in carnem deſinit*, & tum quod ſtylo tangitur molle eſt, pus quod effluit eſt album. 4. Alia *ad nervum pertingit*: tum in exploratione dolor percipitur. 5. Alia *ad os*, & tum quod ſtylo tangitur, eſt durum. 6. Alia ad *venam & arteriam*.

arteriam. Tum, ſi ſunt eroſæ, erumpit ſanguis: ſi non, quaſi fæx egreditur.

CAPUT II.

De Vulneribus.

Vulnus eſt unitatis in parte molli à re ſecante & acuta vel cæſim, vel punctim facta ſolutio.

Subjectum, eſt pars mollis, illaque vel externa, vel interna, &c.

Signis opus non eſt.

Cauſa poſita eſt in Definitione.

Curatio eſt *Nulla*, ſi cor vulneratum eſt, ut ſpiritus vitales diſſipentur, ſi vas in pulmone, ex quo ſanguis effuſus cor obruit. Si magnum aliquod vas internum ita læſum, ut occludi non poſſit; unde ſanguine copioſe effuſo, ſpiritus diſſipantur. *Dubia*, ſi telum venenoſum, ſi vulneratus imbecillis & cacochymicus. ſi inflammatio in internis nervoſioribus & exquiſitioris ſenſus partibus accidit, quam humorum affluxus, interdum & gangræna excipit. *Difficilis*, ſi cum cachexia & hydrope conjungitur, quia humiditas nimia curationi obeſt. ſi difficulter expurgatur. ſi alios affectus complicatos habet. ſi eſt in parte ad recipiendum humorum affluxum proclivi. ſi aliquid extranei, quod à principio ſtatim extrahi non poteſt, in ſe habet. ſi diebus Criticis, quos quidem vulnera tantum eatenus habent, quatenus ipſis aliquid materiæ, quæ coqui debet, accidit, nulla in pejus fit mutatio. ſi vulnus obliquum vel orbiculare. ſi convulſio accedit, vel contuſio ſimul adeſt. *Abſolvitur*, 1. *Rerum alienarum è vulnere exemtione.* ubi nota, 1. Grumos ſanguinis ad tertiam deligationem eximendos, quia orificia venarum obturando hæmorrhagiam inhibent. 2. Oſſicula fracta ea tantum eximenda, quæ planè libera ſunt. 3. Telum

lum evellendum, si æger extracto supervivere potest. 4. Eximi tela vel per impulsionem, si ductus ille est brevior, & neque os, nervus, vena prohibent; vel per extractionem, & uterque modus, vel sectione vel sine illa administratur; quæ aliter eximi non possunt attrahentibus medicamentis tentanda; quæ nullo modo Naturæ committenda. II. *Labiorum vulneris conjunctione*, ubi deligationis ratio habenda, ad quam fasciatio, spleniorum injectio, ferularum adaptatio, illaqueatio, & obligatæ partis recta collocatio pertinent. III. *Digestione*, ut sanguis ille qui ex minimis venis in parte vulnerata effluxit, & in poris partis hæret, in pus quàm primum mutetur. Ubi nota, 1. In humidis corporibus humidiora vulgaria cautè adhibenda, ne putredine inducta, vulnus in ulcus sordidum facessat. 2. In siccioribus siccæ temperiei corporis ipsius magis prodesse. 3. Digestiva sarcoticis castigari debere, nec uni medicamento fidendum esse. Medicamenta pus moventia, vide in Institutionibus. Hoc optimum: R. *Therebinthinæ claræ*, *Gummi Elemi* ana Unc. Iß. Pinguedin. castrati *unc.* II. *Porcinæ antiquæ* unc. I. Liquefiant ad ignem, fiat linimentum. IV. *Partium conglutinatione*, quæ fit vel per medium ejusdem generis in partibus mollibus & carnosis, in quibus copiosus sanguis calore valido facilius in carnem mutatur; vel per callum in ossibus; vel per cicatricem in cute. Id administratur, per medicamenta sarcotica, & Epulotica, de quibus alibi; nec non *potiones vulnerarias*, de quibus notandum. Non esse usurpandas in principio, nec tum ubi externâ satisfaciunt, & febris ac inflammatio adest; semper illa adhibenda, quæ partibus appropriata sunt. Huc inserviunt, *Balsamus vulnerarius* Hartman. in chymiatria, *Pulvis glutinatorius ex cancris*, *Balsamus ex muco aurium*. ibid. *Emplastrum & Balsamus sulphuris*

phuris Rulandi idem, de mammar. vitiis, *Aqua Agricolæ* T. 1. p. 124. in Popp. v. *Fluxionis aversione*, ubi locum habet, 1. *Venæ sectio*, si corpus plethoricum. si sanguis non nimium ante hac fluxit. si magnum est vulnus, nec ob dolorem oritur inflammatio. 2. *Purgatione*, si corpus est cacochymicum, si humores tenues, calidi & biliosi, ne sanguinem ad motum aptum reddant. si statim initio adhibetur. si nulla febris accessit.

Differentiæ vulnerum sunt variæ.

I. Aliud est *Vasorum*, & quidem aut *Venæ*: & tum sanguis minore impetu fluit, & quidem crassior, nigrior, minus calidus: Vel *Arteriæ*, & tum sanguis flavus, calidior, tenuis; vires vehementer ob spirituum subtractionem dissipantur; difficulter propter arteriarum duritiem, perpetuum motum, & sanguinis impetum sanatur. *Curatio* indicat sanguinem esse sistendum, quod fit, 1. *Labiorum* vasis vulnerati *conjunctione* vel digitis vel fasciâ, quibus tamen modis difficulter sanguis sistitur. 2. *Orificii* vasis *obstructione*, vel digito applicato, vel per medicamenta sanguinem sistentia. *Externa* sunt *crepitus lupi*, *vitriolum* pulverizatum linteolo inditum, pulvis Agricolæ ex dr. ij. *salis saturni*, *thuris albi*, *myrrhæ rubeæ*, dr. j. *Croci* contusi & *Camphoræ*, imbibitis *aqua spermatis ranarum*, & lentè ad ignem exsiccatis, vulneri injectus, *Quercetani unguentum*: de quo vide sclopet. ejusdem. Interna vide in capite de hæmorrhagiâ. 3. *Revulsione* per venæ sectionem, pluribus vicibus institutam, per cucurbitulas si vires non ferant. 4. *Interceptione* per medicamenta intercipientia, quæ vasis per quæ fluit sanguis, applicari debent. 5. *Sanguinis*, postquam substitit, & in grumos concrevit, *dissolutione*, Medicamenta vide superius.

II. Alia sunt *Tendinum*, quæ dolorem exstant, sed

non

non magnum. Minus periculosa sunt. *Curantur* ut Nervorum. Vel totus tendo dissecatur, & tum motus aufertur: sin minus, motus debilitatur.

III. Alia *Nervorum*, quæ *cognoscuntur* ex anatomicis, dolore vehementi, cui convulsio & inflammatio succedere solet. *Curantur Difficulter* propter succedentia Symptomata, præsertim, si tumores nulli adsunt. si conspicui repente evanuerunt. si putredinem nervus concepit, & illa partibus vicinis & remotioribus communicatur. In *Curatione* 1. *Dolor* & *inflammatio* per venæ-sectionem & evacuationem *adimenda*. 2. *Vulnus* ut excrementa evomantur, *apertum* servandum. 3. *Medicamenta* temperata & *exsiccantia* tenuium partium, corporis & humorum affluxus habita ratione, calidè magis *imponenda*. 4. *Partes intermediæ* ol. liliorum albor. &c. fovendæ. *Differentias* si spectes, 1. Alia sunt à *Punctura*, & tum Teli genus & vulneris conditio respondent. Symptomata superiora sequuntur. *Curatio* est difficilis, quia morbus periculosus. si præsertim in corpus impurum inciderit, & si tumor apparens dispareat, & delirium subsequatur. *Respicit*, 1. Corporis à vitiosis humoribus purgationem. 2. Doloris lenitionem per Olea anodyna vel cataplasmata. 3. Saniei eductionem, vel per medicamenta trahentia, vel per sectionem decussatim factam, vel per turundas, nervos tamen non attingentes. 4. Medicamentorum tenuium, mediocriter excalefacientium, & siccantium, ut balsami Peruviani, hyperici, &c. impositionem. 5. Diætam, in qua aër frigidus, vini potus, animi affectus, Venus, prohibentur. II. Alia *ab Incisione*, quæ fit 1. Vel *secundum longitudinem*, & tum dolor non est ita magnus, nec tantus convulsionis metus, cum fibræ ita non afficiantur. In *curatione*, Vulneris labia fascia adducenda. Saniei, quæ specie lactis, aquæ, seri, albuminis ovi, interdum exitus relinquendus.

Medicamenta ſuperiora immittenda. Vulnus emplaſtro Diapalma vel alio tegendum: 2. Vel *in tranſverſum*, ubi aut *totus diſſecatur*; & tum ſine dolore motus & ſenſus aboletur: vel *non diſſecatur*, & tum dolor non eſt ita magnus, Omnia Symptomata quæ in punctura adeſſe poſſunt. Sutura in *curatione* adhibenda, ſed ne nervus lædatur.

IV. Alia *Articulorum*, quæ in cubito, genu, vel digitorum articulis accidunt. Sunt 1. Vel *ſine luxatione*, Ubi *Curatio* eſt *difficilis*, quia articuli fluxiones facilè recipiunt, & doloribus tentantur: ſi præſertim in parte interna accidant, ubi vaſa majora. *Perficitur*, 1. Labiorum adductione, ita ut puri exitus pateat. 2. Affluxus præcautione, per evacuationem, interceptionem, rectam membri ſituationem. 3. Aëris frigidi repulſione, per cataplaſmata & alia. II. Vel *cum luxatione*, ubi majus periculum propter diſtractionem nervoſarum partium. Claudicatio ſubſequitur. In *Curatione*, Articulus non eſt reponendus; quia exinde mors ægri. Cum vulnere ita ut cum aliis procedendum, ſolâ deligatione exceptâ: Fluxiones inprimis purgationibus & ſudoriferis præcavendæ.

V. Alia ſunt *cum Contuſione*, quando telum aut retuſum eſt, aut grave, aut homo alicui rei alliditur. In *curatione* reſpicienda I. *Contuſio*, ubi, 1. Affluxus per revulſiones defenſiva & repellentia præcavendus. 2. Sanguis affuſus in pus per medicamenta, ſed non nimis humida, mutandus, & cataplaſmata circum circa ubi pars contuſa, imponenda ſunt. II. *Vulnus*, quod 1. Digeſtivis, ex reſina, terebinthina & ovi vitellis &c. curandum. 2. Pure genito abſtergendum & conſolidandum. 3. Si ſuppurari nolit, & gangræna immineat, ſcarificandum, &c. *Differentiæ* ſumuntur à partibus. 1. Vel eſt *Nervorum & Tendinum*, ubi oleis diſcutientibus pars calidè fovenda.

venda. ſi cutis ſimul contuſa, primò dolor leniendus albumine ovi cum roſaceo mixto; mox pars vino adſtringente tepido fovenda: tandem cataplaſmata ex foliis ulmi oleo incoctis, vel cinere ſarmentorum vitis cum pinguedine gallinæ, imponenda. Si in illis durities remaneat, emollientia & digerentia applicanda. 11. Vel eſt *Ligamentorum*, ubi Medicamentis calefacientibus, ſiccantibus, &c. agendum.

VI. Alia *Sclopetorum*, quæ vel ipſo aſpectu cognoſcuntur. *Curatio* eſt *difficilis*, ſi corpus eſt cacochymicum. ſi oſſa ſimul fracta ſunt. ſi à venenato globo infliguntur. *Perficitur*, 1. Globi extractione, per inſtrumenta idonea. 2. Contuſi in pus mutatione, *Vnguento Quercetani* in ſclopet. p. 145. *Balſamo Parei* apud Sennert. l. 5. de ſclop. vulneribus; ita ne gangræna oriatur. 3. Abſterſione per detergentia vel fortiora ſi plus puris, vel mitiora, vide Quercet. d. l. p. 146. 4. Carnis generatione, per medicamenta, quæ ibidem. vide poſt *Ludovicum Botallum*, & alios, *Quercetani* ſclopetarium.

VII. Alia *Venenata*, vel à telo infecto, vel ab animalis morſu: & tum, in loco vulnerato doloris & punctionis major eſt ſenſus, ſymptomata gravia ingruunt. In *Curatione* ita procedendum, ut 1. Veneno iter ad interiora præcludatur, ejuſdem extractione per cucurbitulas vel alia medicamenta; partis ſupra vulnus mediocriter ſtricta deligatione; carnis, niſi nervoſa ſit, exciſione; vulneris vino cum theriaca mixto ablutione; cauſticis, &c. Cordis per externa & interna Alexipharmaca munitione. 2. Vulnus ipſum ſanetur.

CAPUT III.

De Fracturis.

Fractura eſt oſſis à cauſa externa violenter irruente diviſio.

Signa ſunt, Debiti motus in membro carentia. Dolor, antequam oſſa componuntur, acerbus. Membri ob os fractum brevitas. *Cauſæ* ſunt *Externæ*. Diſpoſitio tamen ad fragilitatem interdum eſt à conſtitutione naturali, interdum à carie acquiſita, vel à lue Venerea, vel aliunde.

Curatio reſpicit I. *Inflammationem*, ſi adeſt, quæ primò tollenda, habita partis ratione, per repellentia, ne affluant humores. II. *Fracturam ipſam*, Ubi 1. *Extendi* debent, cum dolore vel nullo, vel minimo: ab uno, ſi minora oſſa; à duobus, ſi majora læſa ſunt. 2. *Conformari* debent, ſeu in ſuum locum rectè reponi, ut extremitates rectè coaptentur, ita, Ut eminentiæ oſſium cum impetu in ſuas cavitates non intrudantur, ne rumpantur. Ut, ſi extra cutem prorumpant, peculiariter tractentur. 3. An *rectè conformata ſint*, *diſpiciendum*, quod agnoſcitur ex ceſſatione doloris, nulla cavitate; ſi pars fracta tangatur, ſimilitudine cum ſana craſſitie excepta, quæ major eſſe poteſt, propter humorum affluxum. 4. *Deligari* rite debent, quod fit, ſi medicamentum ex albumine ovi conquaſſato cum pulveribus adſtringentibus præmittatur, ad inflammationem arcendam. Si nec nimis laxa, nec nimis ſtricta ſit deligatio. Illa fiet, ſi ſe leviter premi dixerit, ſi eadem nocte validius ſe adſtringi ſibi videatur, poſtridie verò tumor mollis in extremitate membri oriatur. Hæc, ſi contrarium. Si ante tertium diem non ſolvatur. 5. *Membrum* rectè collocari debet, id eſt, molliter, ne doleat; æqualiter, ne diſtorqueatur; ſurſum verſus, ne humores affluant. III. *Corpus ægri*, ubi, ſi opus, venæ ſectio & purgatio adhibenda. IV. *Callum*, & tum cibi Euchymi ſunt exhibendi. Medicamenta callum generantia propinanda & applicanda, præſertim in adultis Oſteocollæ dr. I. cum aqua ſymphyti. Vide *Aquapendentem* & *Fabricium* in Obſervationibus.

V. *Sym-*

v. *Symptomata.* 1. *Inflammationem*, cujus in principio ſtatim ratio habenda, nec pars deliganda, vel non tam arctè. 2. *Gangrænam*, quam in proprio capite vide. 3. *Pruritum*, & excoriationem, quæ à ſanie; ubi ſanies abluenda, & poſt unguentum album, Camphoratum, Roſaceum, &c. adhibendum. 4. *Dolorem*, qui vel fit *à faſciarum nimia adſtrictione*, & tum tumor in extremitate partis apparet, ægerque ſe vehementer premi conqueritur. Faſciæ ſunt ſolvendæ, & deligatio laxior inſtituenda. Vel ab *oſſe pungente*; & tum ex levi partis contrectatione dolor oritur. Os vel in locum reponendum, vel eximendum, vel præcidendum eſt. Vel *ex humorum affluxu*, & tum curatur, ut incipiens inflammatio. Vel *ex ſitu membri pravo*, & tum Æger id facilè detegit. Situs membri mutandus. 5. *Membri gracilitatem*, & tum vel victus nimis tenuis, vel longa faſciarum adſtrictio in cauſa. Attrahendum alimentum ad partem.

Differentiæ fracturarum ſunt variæ:

I. Alia eſt *per tranſverſum*, ut nullo pacto extrema cohæreant, & hæc καυληδὸν κάταγμα dicitur. *Cognoſcitur* ex eo, quia tactu oſſis fracti extremitates ſeparatæ deprehenduntur, & in fracturæ loco cavitas non naturalis deprehenditur, &c. *Facilius ſanatur*, præſertim ſi eſt ſimplex & æqualis, & oſſa fracta ſedibus mota non ſunt.

II. Alia eſt σύντριμμα, quando os in plures partes conteritur. Hæc *difficilius curatur*, ſi præſertim eminentiæ acutæ partes vicinas pungant. Si ad priſtinum ſtatum reduci non poſſunt, membrum brevius & ad officium ineptum redditur.

III. Alia eſt *ſecundum Longitudinem*, quæ *Fiſſura* dicitur. Hæc ex membri craſſitie præternaturali deprehenditur. *Facilius curatur*, quia operoſa oſſium repoſitione opus non eſt; ſed ſufficit, ſi oſſa quaſi hiantia iterum conjungantur.

IV. Alia *Recens*, quæ facilè consolidatur.

V. Alia *Inveterata*, quæ difficilius; quia accedente inflammatione extensio periculosa. Extremitates ossium occalescunt. Galenus dicit, si ultra septimum diem curatio protrahatur, periculum esse, ne os syderetur.

VI. Alia est *Sola*, de qua quæ hactenus dicta sumi debent.

VII. Alia cum *Carnis contusione* ac vulnus conjunctum habet. Hæc periculosa, si vulnus magnum & in grandioribus musculis. inflammationes facilè accedunt. ferulæ & alia ad repositionem non tam benè adaptari possunt, sed foramen vulneris causa servandum est.

VIII. Alia, quæ *in medio Ossis* accidit, & tum divisio est levior.

IX Alia quæ *prope caput superius* vel *inferius*; & tum, quia ibi plures nervi, hîc plures tendines, major dolor provenit.

X. Alia *prope articulum*; & tum propter ligamenta, nervos, tendines, partis fractæ ligatio commoda non est. in loco exsangui calor est debilis. motus membri ob callum, qui tendines aut musculos ligat, impeditur.

XI. Alia, quando *duo ossa conjuncta simul franguntur*, ut in brachio radius, aut ulna: & tum curatio difficilis.

XII. Alia quando *unum*, & tum musculi minus contrahi possunt, quia ab integro osse tensi servantur.

TITULUS II.

De Symptomatibus, & eorum ἀφαιρέσει.

Symptoma est affectus præter naturam in iis, quæ extra constitutionem partium ad actionem necessaria sunt, aliquid aliud præter naturam sequens.

Dividi-

Dividitur multifariam, sed præcipuè *bifariam*. Nam,

I. Aliud est *Actionis læsæ*, seu hæc sit abolita, imminuta, depravata, vel aucta. Fit id vel *facultatis* vitio, quando instrumentum proximum malè affectum est; quo spirituum & caloris influentis absentia refertur: Vel *Erroris* externi causa, quando illa cum quibus fiunt, aut sine quibus non fiunt actiones, fallunt. Aliud *Excretorum* & *Retentorum*. Aliud *Qualitatum mutatarum*, quæ ex actionum læsionibus, & ab iis provenientibus humoribus dependent.

II. Alia sunt symptomata *facultatis naturalis*, nimirum, Nutritivæ, Augmentativæ, Generativæ, Retentricis, Attractricis, Concoctricis, Expultricis. Alia *facultatis vitalis*. Alia *facultatis* animalis, quo pertinent symptomata sensuum externorum, internorum, motricis, &c.

Curatio Symptomatum est *Mitigatio*, & quidem cita, quando urgent, id est, tale minantur periculum, ut non possit exspectari morbi illius, vel causæ à quibus pendent, ablatio; sed si exspectetur, vitæ discrimen aut magnum incommodum immineat. De his in particularibus agemus.

Cæterum quia inter symptomata frequentissimus est *Dolor*, de eo in genere aliquid hic dicemus.

CAPUT UNICUM.

De Dolore in genere.

DOlor *est tristis & molesta, ex subita & vehementi in sensu tactus alteratione, exorta dispositio.*

Subjectum, sunt partes nervosæ, membranæ præsertim crassiores, quæ vehementes dolores inferunt.

Signis opus non est. sensus ipse ostendet.

Causa est, quicquid vel excellenter & repente partem alterat; vel continuitatem ipsius solvit.

Curatio festinanda, ne fluxio concitetur; in vehementi præsertim, morbo etiam seposito, si aliter fieri nequit. *Perficitur* I. *Mitigatione* per Anodyna & Narcotica. Inter illa excellunt Olea *liliorum alborum*, *lumbricorum*, *chamæmel.* Catapl. ex *mica panis*, *lacte & croco* invicem coctis, pulmentum ex *radicibus Altheæ in lacte* coctis. Unguentum *Iovis Grulingii*. Inter hæc, Extractum *seminum stramonii*, spiritus *Lollii*, Trochisci *narcotici Fernelii*, Laudanum *Opiatum*. II. *Causarum* per remedia tam interna, quàm externa *remotione*.

Differentiæ, vel à causis, vel à partibus affectis sumuntur.

I. Alius est ab *excellenti* & *repentina qualitatis alteratione*, quæ contrariæ qualitatis remediis tollitur. *Fit* verò, vel à *calore & siccitate*: tum causæ præcessere, pars dolens rubet, frigidis & humidis agendum. Vel à *frigiditate & siccitate*: tum Causæ similes præcessere. Cutis albet, vel ex constrictione livescit. Calidis & humidis levatur.

Alius à *Continuitatis solutione*, quæ fit, Vel ab *humoribus pluribus*, qui distendunt. acribus, qui erodunt; ubi venæ sectio & purgatio locum habent. Vel *Flatibus*, qui divellunt; ubi carminantibus præmissis, universalibus agendum. Vel à *causis externis* contundentibus, incidentibus, exurentibus; ubi curatio ad singula obvertenda.

II. Alius est *Punctorius*, in membranis costas & musculos subcostales cingentibus. Alius *Pulsatorius*, arteriarum proprius, magnæ inflammationis index. Alius *Torpidus*, qui accidit in carnosa membrana cuti subjectâ, quæ ex refrigeratione, externâ contusione vel compressione, oritur. Alius *Gravans* in renibus plerumque, in Epate & liene interdum. Alius *Tensivus*, *secundùm longitudinem*, nervis proprius, qui in utramque partem nervorum se extendit. Alius

lius *Tensivus secundùm latitudinem*, membranis musculos tegentibus proprius. Alius *Vagans*, qui ut plurimum in majoribus capacitatibus, ventris, uteri, &c. à flatibus oritur. Alius *Terebrans*, in intestinis ex humoribus frigidis tunicis impactis. Alius *Persultans*, qui in meningibus cerebri contigit, ubi tanquam ex radice ortus repentè in circumjacentes partes prosilit. Alius *Vlcerativus*, qui ut plurimum in cute & subcutaneis partibus, etiam in intestinis, ab acrimonia humorum & vermibus contingit, dysenteriæque communis est. Alius *Profundus*, qui in periostio accidit, & imaginem quasi ipsa ossa dolerent, aut medulla in ossibus, sensibus offert. Et tantum de primis morborum differentiis.

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ.

LIBER VI.

De Morbis Externis.

TITULUS I.

De Tumoribus in specie.

TANTUM de morbis in genere & ipsorum curâ sufficiat. Morbi in specie considerati, vel sunt *Externi*, vel *Interni*. Illi sunt *Tumores*, *Cutis affectus*, *capillorum vitia*, *ulcera*, *Luxationes*, & *Fracturæ*: Unde in hoc libro tot etiam erunt Tituli.

CAPUT I.

De Tumoribus à ſanguine ortis.

ARTICULUS I.

De Corpulentia nimia.

TUmores alii ſunt à *Sanguine*, alii à *Bile*, *Pituita*, *Melancholia*, *aquoſo & ſeroſo humore*, denique ab iſtis *inter ſe miſtis*. A *ſanguine* ſunt, *Nimia corpulentia*, *Inflammatio*, *Bubo*, *Phygetlon*, *Phyma*, *Furunculus*, *Parotis*, *Paronychia*, *Perniones*, *Ecchymoſis*, *Carbunculus*.

Corpulentia nimia eſt molis corporeæ, ex carnis & adipis augmento, nimium incrementum.

Signis opus non eſt. Sequuntur eam, Motus ac operationis impedimentum, Reſpirationis ob viarum interceptionem difficultas, Mors interdum inopina, in illis qui prima ætate impinguantur, Infecunditas ob ſeminis aquoſitatem.

Cauſa eſt Carnis & adipis augmentum.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Differentia à cauſis ſumitur.

I. Alia eſt à *Carnis augmento*, quod *fit* ob ſanguinis boni copiam, ab hepate temperato, ex boni ſucci cibis productam, cui partium in corpore muſculoſarum temperatura calida & humida accedit. *Curatur* 1. *Evacuatione*, per liberaliorem venæ ſectionem, cucurbitulas, jejunia, frictiones. 2. *Abſumitione carnis*, per valentius ſiccantia, & moderatè calida.

II. Alia ab *Adipis*, quæ incrementum ſumit à ſanguinis extra venas in partes membranoſas excidentis, & ab ipſorum virtute & calore minus vehementi coacti unctuoſitate & oleaginoſitate. *Curatur*, 1. *Evacuatione*, ſed non tam liberali, cum tales

les in frigidos morbos ſint proni. 2. *Adipis abſumtione*, per calida, amara, diuretica; ita tamen, ne nimiâ calefactione alius morbus excitetur.

ARTICULUS II.

De Inflammatione.

Inflammatio eſt partium carnoſarum præter naturam tumor, à ſanguine præter naturam affluente exortus.

Signa ſunt, *Calor*, qui fit partim ob ſanguinem; partim ob pororum à ſanguinis copia & craſſitie, unde fuligines exhalare non poſſunt, interceptionem; partim ob ſanguinis putredinem. *Dolor*, tum ob intemperiem, tum ob continui ſolutionem, quam ſanguinis copia replendo ac diſtendendo infert. *Rubor*, dum ſanguis colorem parti communicat. *Tenſio*, à copia ſanguinis totam partis ſubſtantiam diſtendente. *Renitentia*, ob eandem cauſam. *Pulſatio*, ob partium inflammatarum ab arteria ſeſe attollente, quæ liberum locum non habet, diſtentionem.

Cauſa eſt ſanguinis copia vel acrimonia, ob humores bilioſos; qui cum naturam vellicent, ab eadem, ſanguine tanquam vehiculo utente, qui ob dolorem ſatis copioſus confluxit, extruditur. *Modus generationis* hic eſt. *Calidâ* fluxione, ubi ſanguis in muſculos procubuit, venæ primò majores, pòſt minores, tandem minimæ diſtenduntur. In his ubi fluxio diutius contineri nequit, partim per tunicas vaſorum, quæ etiam ſuos poros habent, transſudat; partim per minutiſſima venarum orificia, quibus in partis ſubſtantiam venæ hiant, in ipſa ſpatia vacua, quæ inter prima ſunt corpora, emittitur, Unde partes incaleſcunt.

Curatio peragitur, 1. *Venæ ſectione*, ne plus affluat; ſi ſtatim repellentibus ageretur, ad aliam partem

tem materia deduceretur. II. *Purgatione*, quia humores acres occasionem fluxioni præbent. III. *Alteratione*, ut sanguis refrigeretur & incrassetur, modò venæ non sint angustæ, nec obstructiones viscerum affligant. IV. *Revulsione*, ut humor in contrarium revocetur; quæ per venæ sectionem tum optimè administratur, cum materia est copiosa & impetuosa; per alia media, si minor; imò *repellentibus* & *discutientibus* tum agi potest. V. *Repulsione*, per medicamenta repellentia, seu aquea, seu simul adstringentia. *Illa* in humoribus tenuibus in superficie sitis, minùs copiosis, calore præsente locum habent, & sempervivum, umbilicum Veneris, violas, &c. complectuntur. *Ista*, ubi dolor nimis urget, vasa sunt ampla, fluxio ob debilitatem partium accidit. In frequenti apud chirurgos est usu, *Albumen ovorum* cum aqua rosarum conquassatum. VI. *Interceptione* per medicamenta *defensiva*, quæ partibus ex carnibus, & per quæ vasa majora tendunt, benè apponuntur. Oleum in illis est *suspectum*. VII. *Derivatione* sanguinis illius, qui in partem influxit. VIII. *Discussione* per medicamenta discutientia; inter quæ *mitiora* sunt, Radic. alth. Lilior. albor. flores chamæmeli. *Validiora*, Radix ireos. flor. sambuci, ammoniacum, bdellium, adeps ursinus. *Validissima*, Nitrum, sulphur, calx, &c.

Differentiæ sumuntur à subjecto & causa.

A *subjecto*. I. Alia est *partium carnosarum*, quæ decimo quarto die finitur. Alia *tendinum & ligamentorum*, quæ cùm horum substantia sit densior & durior, difficilius terminatur: quadragesimum tamen diem non excedit.

A *Causa*. Vel est à *sanguine bono*, & phlegmone absolutè dicitur; vel *non bono*, qui *aut* naturam suam planè mutat, unde nullum tumoris genus: *aut* humores alios admixtos habet; & *tum*, si *bilis* admiscetur,

miſcetur, oritur φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης; ſi *pituita*, phlegmone œdematodes; ſi *Melancholia*, phlegmone ſcirrhodes.

ARTICULUS III.

De Bubone.

B*Vbo eſt inflammatio glandularum ſub axillis vel inguinibus exorta.*

Signa ſunt Tumor cum renitentia, rubore, dolore, febri levicula.

Cauſa eſt ſanguis, in glandulas, cum humore vitioſo expultricem ſtimulante, illapſus.

Curatio eſt *dubia*, ſi tardiùs maturantur, cum in fiſtulas periculoſas abeant. Sequitur *Curationem* inflammationum. *Digeſtio* fit per validiora, quia pars affecta frigidior. *Suppuratio* approperari debet, ne novi oboriantur. Commendatur Rulandi *Balſam.* ſulfuris & *Emplaſtrum.*

Differentiæ ſunt variæ.

I. Alius eſt Symptomaticus, cui jam dicta applicari debent. Alius *Criticus*, qui morbum alium ſequitur, ægerque ad ejus eruptionem levatur. Naturæ eſt committendus, ſi criſis eſt perfecta: ſi imperfecta, humor per cucurbitulas & attrahentia medicamenta attrahendus.

II. Alius eſt *in inguinibus*, qui citius, quia à ſanguine & plus caloris affluit, maturatur. Alius in *Axillis*, qui ob adverſam cauſam tardius.

III. Alius eſt *nec malignus, nec contagioſus*, qui quia in extremis partibus eſt, & ſtatim ſuppuratur, periculoſus non eſt. Alius, *Malignus*, *peſtilentialis*, *venereus*: de quibus ſuis locis vide.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Phygetlo, Phymate, Furunculo.

P*Hygetlon seu Panus, est tumor durus interdum post febres vel dolores in adenum locis emergens.* *Oritur* vel *Externè* ab ulcere, dolore, contusione: vel *Internè*, à sanguine bilioso, febri, tardiùs maturatur. *Oleum Guajaci* hic valet. *Phyma est tumor glandularum rotundus, phygetlo minor ac planior, minusque rubens ac dolens, qui statim augetur & in suppurationem abit.* *Oritur* à sanguine pituitoso. Affligit maximè pueros. *Curatur* maturatione per triticum tostum impositum, &c.

Furunculus seu Dothien, est tuberculum in acutum tendens, ovum columbinum magnitudine non excedens, rubore & dolore, dum in pus vertitur, conspicuum.

Signa ipsius definitio suppeditat. rarò solitarius erumpit. *Oritur* à sanguine crasso, sic ab *inflammatione*; nec multum exusto, sic à *carbunculo* distinguitur. *Curatio* est *facilis*, præsertim si est fastigiatus, non durus, nec bifidus. *Peragitur* maturatione. Est vel *Mitis*, qui cutem occupat; vel *Malignus*, qui carni insidet. Vel *Pestilens* & *Epidemius*, qui niger aut viridis, febri malignæ conjungitur.

ARTICULUS V.

De Parotide.

P*Arotis est glandularum circa aures inflammatio, à sanguine puro, vel vitiosis humoribus mixto, profecta.*

Signa sunt, Tumor, dolor, rubor qui post aures apparet. *Causa*, sanguis seu solus, seu cum aliis humoribus vitiosis mistus, qui vel à toto, vel à cerebro missus

missus illabitur. In *Curatione* Repulsio locum non habet; sed *Discussio* per leniora, ne fortioribus dolor exasperetur. *Suppuratio*, si eo natura ducit.

Differentiæ sunt variæ.

I. Alia est *Critica*, cum signis criticis exorta, quæ curatu facilior, nisi in fine morbi, post alias evacuationes, sine symptomatum remissione accidat. si non suppurata evanuerit, revertitur. Naturæ committenda, & reversa secundùm reversionis rationem judicanda. Alia *Symptomatica*, quæ si ex cruda est materia, periculosa, propter locum cerebro vicinum. In *Curatione* ejus, Antecedens *causa* minuenda. *Materia* discutienda, emollienda, aperienda, ne pus damnum inferat.

II. Alia est *sine Febre*. Alia *cum Febre*, quæ plus periculi habet.

III. Alia *sine malignitate*: Alia *pestilens & maligna*.

IV. Alia, quando materia *à toto corpore* fluit: Alia, quando *à cerebro*.

ARTICULUS VI.

De Paronychia & Pernionibus.

P*Aronychia est tumor in extremis digitis ad latera unguium exortus.*

Signa suppeditat situs, & dolor ob nervosarum partium, quæ vicinæ, affectionem; qui se ad totum brachium interdum extendit.

Causa est sanguis adustus, interdum malignus, quem natura eò detrudit.

Curatio instituitur *Evacuatione*, *Doloris lenitione*, *Suppuratione*. Repellentia fugienda, ne dolor exasperetur, humor impingatur: Laudatur ol. *Saturni* Agricola. p. 216. *Mucus aurium cum corio* anguillæ impositus, p. 246.

Pernio-

Perniones sunt tumores, tempore hyberno in calcaneis, digitis pedum vel manuum, exorti.

Signa sunt, Refrigeratio præcedens, dolor, pruritus, &c. *Causa*, frigus hybernum partem debilitans, & per illatum dolorem sanguinem attrahens. Diuturnum est malum interdum, & quamvis æstate cessit, hyeme tamen recurrit. In *Curatione*, 1. Frigus immersione membri in aquam frigidam pellendum. 2. Membrum lacte dulci tepido, in quo Rosmarinus, baccæ lauri, &c. efferbuere, fovendum: vel aquæ calidæ, in qua rapa congelata cocta sunt, immittendum.

ARTICULUS VII.

De Ecchymomate.

Ecchymoma est sanguinis in spacia vicina, unde pars lividum colorem sortitur, effusio.

Signis opus non est, cum affectus oculis pateat.

Causæ sunt variæ; Anastomosis nempe, Diapedesis, Diæresis, Contusio, &c.

Curatio peragitur 1. *Venæsectione*, si affectus magnus, ne inflammatio excitetur. 2. *Repellentium*, non tamen humidorum, ne sanguis influat, *admotione*, quibus discutientia adjicienda. *Melrosatum* papyro livido impositum; nec non *terra sigillata* cum aqua vitæ dissoluta, juvant. 3. *Digestione*, ubi locum habet radix *sigilli Salomonis* contusa, in vino vel alio liquore macerata. 4. *Cucurbitularum* applicatione, si digerentia non prosunt. 5. *Maturantium* mediocrium appositione. 6. *Tumoris apertione*, ne pus vicina corrumpat, vel fistulas cavet. 7. Si membrum ad gangrænam tendit, scarificatur, & aceto calido, in quo radix sigilli Salomonis decocta, abluitur. *Intus*, sanguinem concretum solventibus agendum.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

De Carbunculo.

CArbunculus est tumor ex sanguine adusto, crasso, ferventissimo, in atram bilem degenerante, qui partem corrumpit, exortus.

Signa se ita habent. Ulcus crustosum nigricans vel cinereum excitatur: mox brevi bubo rotundus, acutus, ardens, qui circa vesperam exasperatur, erumpit, & caro circumposita effervescit. Concurrunt febris, nausea, vomitus, palpitatio cordis, Animi deliquia, deliria, &c.

Causa est sanguis talis, qualis in descriptione expressus est, qui in corpore generatus, & malignitatis gradum adeptus, foras ejicitur, & semper affluxu generatur.

Curatio in genere, *Nulla* ferè, si mox evanescunt, qui erubuerunt. *Difficilis* illorum, qui nigri. & qui in emunctoriis & prope membra nobilia hærent. *Facilior* illorum, qui rubicundi, qui parvi, qui soli. *Modus procedendi iste* est. 1. *Diæta* ordinetur humida & frigida. 2. *Venæsectione* statim in principio sanguis fervens tollatur, modò per membrum nobilius non trahatur. 3. Humor malignus præparetur & mitigetur, ubi *scabiosa* præcipuè valet. 4. De *Purgatione* cautè propter febrim acutam deliberetur. 5. Pars *scarificetur*. ubi *nota*, Repetendam si sanguis id reposcit. Non *attrahendum*, si humor cum impetu affluit, ne febris & dolor augeatur. Imò modicè *reprimendum* medicamentis circa carbunculum spacio trium digitorum positis. Habet hic locum, medulla *pomorum communium* cum aceto rosarum cocta & in pultis formam redacta. *Linimentum* ex bolo Armeno cum q. s. ol. Rosati, &c. *Emplastrum* Agricolæ T. 1. p. 139. *Abluendam* partem

ſcarificatam aqua ſalſa calida. 6. Poſt ablutionem medicamenta putredini reſiſtentia imponenda, præſertim ex *ſcabioſa* & *ſucciſa*. 7. Si ſcarificatio non prodeſt, *urendum*; ſed ita, ut cruſta ſtatim medicamento ſeu unguento *Ægypt.* ſeu catapl. ex *far. orobi* cum q. ſ. Oxymel. ſimpl. removeatur, ne inducta, humoris maligni exhalationem impediat. 8 Cruſta ablata, ulcus *detergendum*, *&c.* Curationem illius vide apud Agricolam T. 1. p. 139. ſi placet.

Differentia eſt duplex.

I. Alius eſt *ſine puſtula*, qui ſignis illis ſe prodit, quorum fit in genere mentio, & in curatione nihil ſingulare habet. Alius *cum puſtula*; qui *cognoſcitur*, quod pruritus primò ſentiatur, mox vel puſtula exigua una, vel plures milii ſemina referentes erumpant, quibus ruptis ulcus cruſtoſum apparet. In *Curatione* nihil ſingulare obvenit.

II. Alius eſt *Peſtilens*, & *tum* conſtitutio eſt peſtilens; *Symptomata*, ſunt validiora. *Curatio* eſt *difficillima*, ſi poſt febrem peſtilentem erumpit, occupato ab humoribus malignis corde. *Facilior*, ſi ante, niſi ſymptomata ſuperveniant valida. In *proceſſu* ejus hæc notanda. 1. Non ſecandam venam, quia oritur viribus jam proſtratis. 2. Alexipharmacis tam intra quàm extra maximè agendum. 3. Vehementer prohibendum, ne putredo ſerpat. Ad ruptionem laudatur *Emplaſtrum* Heurnii ex opoponace in Aphoriſ. Hippocr. lib. 4. aph. 55. *Oleum* Butyri Antimonii, *Emplaſtrum* magneticum. Hartm. chymiatr. cap. de peſte. *Oleum* Mercurii Agricol. T. 1. p. 139. *Elixir* peſtilentiale Crollii, &c. *Cataplaſma* ex radicibus raphani cum aceto roſato contuſis Joëlis T. 6.

Alius *non malignus* & mitior, qui primum inſtar phlegmones rubet, deinde flaveſcit. De ejus curatione vide generalia.

CAPUT II.

De Tumoribus à bile ortis.

ARTICULUS I.

De Erisipelate.

HActenus de Tumoribus à ſanguine exortis. A *Bile* fiunt *Eryſipelas*, & *Herpes*.

Eryſipelas, ſeu ignis ſacer, eſt tumor bilioſus à ſanguine bilioſo in aliquam partem ſubcutaneam confluente, cum macula rubra, lata, diſperſa, exortus.

Signa ſunt, Invaſio cum horrore; quem febris ſubſequitur. Vehemens mordicatio & uſtio, ita ut veſiculæ interdum excitentur. Color ex rubro flaveſcens, non ruber ad fuſcum vergens; qui preſſu ſubterfugit, moxque redit. Dolor nec pulſans, nec vehemens, & quidem ſine tenſione ad vicina progreſſus. Hæc in phlegmone deſiderantur.

Cauſa eſt ſanguis bilioſus, qui à calidiore epate, qui quoque eum tenuiorem & mobiliorem facit, producitur: vel à natura, propter malignam ſæpe qualitatem, ad partes externas pellitur, vel à cauſis externis movetur, &c.

Curatio eſt *difficilior*, ſi oſſium denudationi aut fracturis ſupervenit. Si ab exterioribus ad interiora convertitur. Si putreſcit, aut ſuppuratur. Si in facie aut capite oboritur, quia tumore adaucto anginam infert. Si in hepate aut utero gravidarum, quia fœtum interimit. *Reſpicit* 1. *Morbi depulſionem*, ubi locum habet. 1. *Venæ* epaticæ aut medianæ *ſectio*, in corporibus plethoricis & craſſioribus. 2. *Purgatio* per cholagoga frigidiora. 3. *Sudoris excitatio* per *Theriacam* Andromachi in aqua flor. ſambuci, &c. 4. *Topicorum admotio*, quæ liquida & tenuia eſſe, & crebrò renovari debent. *Præcipua* ſunt *Lapis* medi-

camentosus Crollii. *Sanguis menstruus* in aqua senecionis & aceto rosato dissolutus. *Balsamus* Lithargyri cum camphora in aqua spermatis ranarum. *Decoctum* Myrrhæ rubeæ, olibani ana Unc. I. in vini & aceti ana Unc. IV. *Saccus* lineus, in quo farina siliginis fuit, excalefactus. Linimentum Sebizii de Acid. in fine. II. *Præservationem*, ubi locum habet *Venæ sectio* bis in anno administrata. *Purgatio* per cholagoga. Victus ad refrigerantem & humectantem declinans. *Tibialium* aqua spermatis ranarum imbutarum *portatio*. Præservantis Medicamenti apud Sennert. l. 2. de Febr. c. 16. usus.

Dividitur bifariam.

I. Aliud est *Exquisitum*, cui generalia competunt.

Aliud *Nothum*, idque vel phlegmonodes, OEdematodes, &c. in quo tumor major.

II. Aliud est *simplex*, in quo cutis summa attingitur, & crustulæ furfuris instar excitantur. Topica hîc refrigerantia præmissis præmittendis parti adhibenda, & discussio naturæ relinquenda.

Aliud *ulcerosum*, in quo ruptis pustulis sanies purulenta exit. conspicua fluxione derepente emergit. pustulas habet magnas humidas. brevi & sponte solvitur; & sic ab herpete distinguitur. Hic paribus cæteris, Topica remedia refrigerantia imponi possunt, donec color cutis alteretur. *Curationem* vide in Rulando.

ARTICULUS II.

De Herpete.

HErpes seu Formica, est tumor à bile flavâ, sincera, & ab aliis humoribus secreta, in superficie partis alicujus excitatus, & ad vicina serpens.

Signa sunt, Tumor latus & partem exasperans, durities, dolor, sensus ustionis; progressus, quasi in orbem, medio, dum extrema procedunt, sanescente.

Causa

Causa est Bilis flava, sincera, crassior quàm in Erysipelate, à causis suis procedens.

Curatio respicit I. *Totum corpus*, cui per Evacuationes subveniendum. II. *Partem affectam*, ubi Refrigerandum leniter. Digerendum & discutiendum per siccantia, si fervor remisit.

Dividitur in *Simplicem*, & *Exedentem*.

I. *Simplex* seu *miliaris*, qui summam cutem exasperat, & sub una epidermide consistit, exiguas illic pustulas excitans, quæ minimum exstant aut prominent, milio haud absimilis. In eo si pustulæ sint, frigida & sicca adhibeantur. Si rumpantur, detergentia. Præstant, Aqua *calcis vivæ cum* saccharo *Saturni*. Decoctum *Persicariæ*, *foliorum rubi Idæi* in aqua & vino, &c.

II. *Exedens* seu *Ferus* & Ἐσθιόμενος ruptis pustulis veram cutem exulcerat, serpit in latum & altum, sensim multoque tempore emergit, pustulas aridas habet, diuturnus est & febris expers. Sic ab *Erysipelate ulceroso* distinguitur. Validiora in eo medicamenta adhiberi debent.

CAPUT III.

De Tumoribus à pituita exortis.

ARTICULUS UNUS.

De OEdemate.

TVmor à Pituita est OEdema, & est tumor à materia pituitosa, in partes à facultate expultrice detrusa, exortus.

Signa sunt, tumoris mollities & laxitas, dolor vel nullus vel exiguus, calor subalbidus, calor nullus.

Causa est materia pituitosa, frigidior & humidior massæ sanguineæ pars; quæ interdum à natura expellitur, interdum pondere suo deorsum tendit, & ad ex-

ad extrema fertur. Occupat præcipuè manus & pedes, quæ membra à fonte caloris remotiora sunt.

Curatio perficitur I. *Diætâ*, quæ pituitam & cruditates non inducat. Pisces saxatiles permittuntur. II. *Alteratione*, &. *Digestione*, ubi prosunt *Oxymel* & *Oxysaccharum*. III. *Resolutione* per discutientia, sed prius pars calefieri frictionibus & fotibus debet. IV. *Suppuratione*, si eò tendere, ex pulsu & dolore percipiatur. V. *Abscessus apertione* & mundificatione, per sua medicamenta. VI. *Cavitatis impletione*. Vide de eo *Platerum*.

Differentiæ sunt variæ.

I. Aliud est *à sola pituita*, quod diuturnius est; per resolutionem ut plurimum discutitur. Aliud *ab eadem* cum aliis permista; quod ad suppurationem interdum venit, si præsertim sit in loco calidiore.

II. Aliud est *Ex se*, quod non est periculosum. Aliud *alios morbos insequitur*, ut phthisin, Epatis refrigerationem, &c. quod periculosius est, & mortem minatur. In *curatione* ratio mali, à quo pendet, habenda est.

CAPUT IV.

De Tumoribus ab humore melancholico.

ARTICULUS I.

De Scirrho.

TUmores ab humore melancholico exorti, sunt *Scirrhus* & *Cancer*.

Scirrhus est tumor sine dolore durus, ab humore melancholico crasso, viscido & lento exortus.

Signa sunt, dolor exiguus vel nullus, durities nimia, sensus, quando premitur, carentia.

Causa est humor aut *melancholicus*: id est, vel sanguinis feculenta pars, vel naturale melancholicum

licum excrementum; aut interdum etiam *pituitosus*, qui vel à calore partibus tenuioribus dissipatis incrassatur; Unde inflammationes, Erysipelata, &c. sequitur: vel ab *immoderata* repellentium, adstringentium, & nimis discutientium *applicatione* induratur.

Curatio est *Nulla*, si sensu destituitur. *Aliqua*, si non. *Difficilis*, propter materiæ contumaciam. *Peragitur* I. *Diætâ*, quæ bonum nutrimentum exigit. II. *Humorum* præparatorum iterata *eductione*. III. *Causæ continentis sublatione*, per emollientia & discutientia, vel simul mista, vel alternatim adhibita. *Mitiora* in teneris, recenti scirrho, mollioribus. *Validiora*, in durioribus, inveteratâ. Præstant *Emplastrum de cicuta Fabricii* Centur. 3. obs. 25. *Cataplasma* ex radice *bryoniæ*, stercore *caprillo* & *urina*. IV. Si suppuretur, puris per *emplastrum Diachylon simplex* abstersione, omissis calefacientibus & sectione, ne in cancrum facessat.

Dividitur in *Legitimum*, qui sensu destituitur, in quo pili supra partem crescunt, *Curari* non potest: & *Nothum*, qui contrario modo se habet.

ARTICULUS II.

De Cancro.

CAncer est tumor rotundus, lividus, aut subniger, venis circumcirca turgidis & repletis, pedes cancri referens, à bile atra exortus.

Subjectum sunt partes tam externæ, quàm internæ, præsertim verò humidiores & superiores, ut mammæ mulierum.

Signa exortus suppeditat ratio. In principio ciceris aut fabæ magnitudinem vix æquat, in processu juglandis & ovi superat, est durus, coloris plumbei vel lividi, vel nigricantis, cum calore, dolore, & pulsatione; venæ in orbem nigro sanguine turgent, & cancri pedes referunt.

Causa eſt bilis aduſta & atra, in venis hærens, nec ob craſſitiem penetrare potis; quæ oritur, partim ab alimento humorem talem ſuppeditante, & à liene non attracto, partim ab intemperie calidiore adurente.

Curatio eſt *difficilis* in omnibus; tum quia cauſa pertinax & maligna: tum quia in profundis venis latet. *Non inſtituenda*, ſi occultus. Si in cavitate corporis, palato, ſede, utero, exortus. *Nulla*, ſi confirmatus & in parte nobiliore ſedet. *Alicujus ſpei*, ſi exiguus, recens, & in ſumma corporis parte hæret. Quomodo ſit peragenda, vide in differentiis. Quantum ad *differentias*.

I. Alius eſt *Exulceratus*, qui facilè *cognoſcitur*, & ab acriore materia oritur. Exhibet autem corruptæ carnis ſpeciem, cum fœtore, ſordida illuvie, horrido aſpectu, labris præduris & inverſis. febris adeſt lenta, animi defectio, ſanies nigra aut fulva, ſanguinis profuſio, &c. *Curatio* ejus vel eſt *palliativa* per exſiccantia & refrigerantia lenia: vel *vera*. 1. Per *inciſionem* ad vivum uſque; quam ſequi debet ſanguinis vitioſi expreſſio, ulceris concoctio, mundificatio, (vide pulverem apud Hartmannum de cancro mammillarum) per carnem repletio, &c. 2. Per *uſtionem* ſeu actualem ſeu potentialem, ſi profundiora & majora vaſa occupata ſunt.

Alius *non ulceratus*, qui à mitiore fit materia. *Curatur*, 1. *Diæta* humectante & refrigerante. 1. *Venæſectione*. 3. *Humoris* per *fumariam*, *lupulum*, *ſuccum pomorum redolentium*, &c. præparati, per extractum *hellebori*, pillulas lapidis *lazuli*, repetita *evacuatione*. 4. *Topicor. applicatione*, ubi occurrunt. *Repellentia* lenia, ut Sperniolæ compoſitum. *Diſcutientia* non mordacia, ut Pulvis *benedictus Hartmanni*, Magiſter. *teſtar. cancri*, *&c.* vide & Agricolam T. 1. p. 145.

II. Alius

II. Alius est à *suppressione mensium*: Alius ab *Hæmorrhoidum*. Curatio ad affectus obvertenda est.

CAPUT V.

De Tumoribus ab humoribus serosis, salsis & biliosis, inter se mistis.

ARTICULUS I.

De Scabie.

Tumores ab humoribus inter se mistis exorti, *vel* oriuntur ab humoribus salsis, serosis, & biliosis: *vel* à pituita, melancholiâ & bile, ita ut conjuncta causa non amplius humor sit, sed alia materia ex humoribus genita. Ad illos spectant *scabies, Lepra Græcorum, Phlyctænæ, Sudamina, Sirones, Vari, Epinyctides, Alphus, Leuce, Impetigo, & Gutta rosacea.*

Scabies, seu ψώρα, *est tumor à sanguine corrupto exortus, cum cutis intemperie & exulceratione affligens.*

Signa in definitione exposita sunt.

Causa est sanguis corruptus, cum atra bile & pituita salsa mistus; qui vel à diæta simili, accedente præsertim exsuperante epatis calore provenit; vel à contagio corrumpitur: ad cutem verò delatus, in ea hæret, & exulcerationem excitat.

Curatio peragitur 1. *Diæta*, quæ cibos elixos exposcit. 2. Humorum *contemperatione*, *evacuatione*, & hepatis per *Syrupum corallorum* Quercetani ad pristinum statum reductione.

Dividitur trifariam.

I. *Alia* est symptomatica, cui dicta applicari debent.

Alia Critica, post morbos tum acutos, tum diuturnos exorta.

II. Alia est *Humida*, quæ saniem humidam mul-

tam fundit. A *pituita salsa* exsistit. *Curatur* facilius quàm sicca, & quidem, 1. *Evacuatione*, ubi serum lactis caprini, fumaria &c. probantur. 2. *Sudorum provocatione* vel per *Spiritus Ebuli* unc. ſ. & Aquæ fumar. unc. ij ſs, vel *Antimonium Diaphoreticum*, vel *Spiritum Guajaci*, si contumacior est. 3. *Topicorum applicatione*. Habent hic locum balnea dulcia & sulfurata. Illitus ex frangulæ flavo & medio cortice cum aceto. *Unguento* Sennerti l. 5. p. 1. c. 27.

Alia *Sicca*, in qua vel nihil excernitur, vel paucum & crassum, & ulcera sunt livida. *Oritur* ab humore adusto. *Curatur* difficilius, & quidem ut prior, habitâ ratione causarum. Alia *Volatica*, quæ totam cutem unicâ ferè nocte occupat. In hac, universalibus præmissis, valet ablutio ex sanguine in partu ex utero elapso, cum tota secundina, vel ejus parte. Vide Agricol. T. p. 280.

III. Alia *Malum Mortuum* dicta, quæ cum livore & nigredine, pustulis crustosis, nigris, siccis, sine sensu & dolore, in tibiis præsertim affligit. A succo melancholico & scorbutico *oritur*. Eadem ratione, habito diversitatis respectu, *curatur*. Alia *Lepra Græcorum*, quæ solo gradu ab aliis differt. *Cognoscitur* ex eo, quia profundiora cutis depascitur; & quasi squammæ piscium, seu scalpentibus seu non scalpentibus decidunt, sudor est fœtidus. *Oritur* ab atra bile, cum pituita salsa sæpe conjuncta. *Curatur* iisdem, sed fortioribus, quibus scabies. Epar maximè corrigendum. Sudor decocto *sassæ parillæ, Guajaci*, & *Chinæ* eliciendus.

ARTICULUS II.

De Phlyctænis, Sudaminibus, Sironibus, & Varis.

PHlyctænæ *sunt vesiculæ in cute ab humoribus acerrimis excitatæ. Cognoscuntur* inde, quod similes sunt iis, quæ ab aquis excitantur, & ruptas subflavus humor excipit. *Oriuntur* à bilioso serosoque humore, qui ad cutim vel à natura, vel à causa externa protruditur. *Curantur* universalibus, si opus, præmissis, decocto *lentium*, Epithemate ex *lixivio forti cinerum fagi* cum ol. lini & nucum part. æqual. permixtis, & sæpius applicatis. 2. *Ruptione*, cataplasmata exsiccante statim imposito.

II. *Sudamina seu ὕδρωα, sunt exanthemata granis milii similia, quæ cutem ulcerosam exasperant. Cognoscuntur* facillimè. *Oriuntur* à nimiis sudoribus sub cute coërcitis, æstate præsertim calida & humida, post diætam calidiorem. *Curantur* ablutione per aquam quercus, cui Camphoræ gr. 1. vel alterum adjici potest.

III. *Sirones vel Chirones, sunt pustulæ in volis manuum vel plantis pedum, vermiculos intus habentes.* Vermiculi effodiendi sunt: post locus abluendus, *decocto quercus cum alumine*; vel *sulfuris* cum ana Tartari.

IV. *Vari seu ἴονθοι, sunt tumores duri & parvi, in faciei cute, à crasso succo congregati. Cognoscuntur* facilè. Sunt magnitudine seminis cannabini, & adolescentes ad Venerem aptos, prolificos, sed continentes infestant. *Oriuntur* ab humore plerumque alimentari, qui se poris cutis insinuat, & interdum sanguinem atrabilarium admistum habet; & tum ichorem profundunt, & in ulcera abeunt. *Curantur difficulter*, si rubor in facie intensus cum pustulis: si idem

idem cum inflatione faciei & raucedine vocis jungitur. *Curatio* vero fit, præmiſſis ſanguinem purificantibus, per diſcutientia, & emollientia. Laudatur Ol. *Vitrioli*, *ſulfuris* aut *Tartari* illitum veſperi, manè aqua calida, in qua farina fabarum macerata, ablutum.

ARTICULUS III.

De Epinyctidibus, Alpho, & Leuce.

E*Pinyctides ſunt ulcuſcula, ſua ſponte, noctu præſertim, in eminentibus partibus erumpentia, bullis ſimilia, quibus diſruptis cruenta ſanies effluit.* *Cognoſcuntur*, ex colore ſublivido, vel ſubnigro, vehementi inflammatione, dolore noctu ſe exacerbante, propter atri humoris motum, & frigus nocturnum poros cutis adſtringens. *Oriuntur* ab humore ſeroſo & pituitoſo, carbunculi cauſam exceptâ malignitate & tumoris magnitudine imitante. *Curatio* in Evacuatione & Topicis ferocitatem cauſæ temperantibus, conſiſtit.

II. *Alphus, aliis Morphæa, ſunt maculæ magnæ, cuti, cujus colorem mutant, ſparſim cum aſperitate quadam inſidentes.* *Oriuntur* à ſanguine malè nutriente, & infeſtant viros magis quàm fœminas & pueros. Sunt vel *Nigræ*, à melancholico ſanguine vitio lienis exortæ, quæ *curantur* præmiſſis univerſalibus, bonâ victus ratione, balneis, illitione *pulveris ſinapi* cum aqua miſti: vel *Albæ*, nec tamen exactè cum vicini albo colores interdum intercurrant, quæ à ſanguine pituitoſo, vitio inprimis epatis, fiunt. Cutis eſt ab illis alba, ſed non pili, & ſi pungatur, ſanguis exit. *Curantur* facilius, quàm nigræ. *Venæ-ſectionem*, propter ſanguinis frigiditatem, non exigunt.

II. *Leuce eſt macula continua, & cutis & carnis calorem ac ſubſtantiam mutans.* *Cognoſcitur*, tum ex

iis,

iis, quæ in descriptione posita sunt: tum ex eo, quod in ea pili decidunt, & alii lanugini similes succrescunt. Cutis magis depressa est. Si acu feriatur, humor aqueus & albus effluit. *Oritur* à pituitoso sanguine, quo caro nutrita primò media inter sanguinem & exsanguem post, ubi nutrimentum in rubram carnis speciem non mutat, instar ostrearum & locustarum carnis, evadit. *Curatio* est *Nulla*, si cutis dum fricatur non rubescit. Si, dum pungitur, sanguinem non emittit: si macula in horas incrementum sumit. *Difficilis*, si exigua: si ruborem aliquem fricata concipit, aut in manu vel pede hæret. *Absolvitur*, 1. *Præparatione humorum* per calefacientia & incidentia. 2. *Evacuatione* per phlegmagoga. 3. *Topicorum applicatione*, fricatis primò panno aspero partibus.

ARTICULUS IV.

De Impetigine & Gutta rosacea.

IMpetigo, *seu Lichen*, *sunt pustulæ in cute duræ*, *& ad vicina serpentes*, *siccæ cum asperitate & pruritu magno conjunctæ*. *Cognoscitur* ex iis, quæ in definitione posita sunt. *Oritur* à tenui, acri, seroso, & cum humore terrestri mixto succo, qui à diæta simili procedit, & interdum vere, interdum autumno, ad exteriora defluit, vel protenditur. *Curatur*, 1. *Diæta*, à qua salsa & acria abesse debent. 2. *Alteratione* & *evacuatione* humorum, si nimium peccent. 3. *Topicorum applicatione*. Laudatur, præmissa fomentatione, ex malva, verbasco, & fumaria, *Vnguentum citrinum* cum oleo ovorum, sulphure vivo. ol. ceræ, charyophyllorum & camphora. Item ol. *Tartari per deliquium*, cum ana ol. ceræ. *Dividitur* in *Mitem*, qui saliva jejuni hominis inuncta, vel rad. *Oxylapathi* cum aceto trita, interdum tollitur: & *Ferum*, in quo, præter superiora, locum habet

Aqua

Aqua ex ol. Tartari destillatione cum Mercurio crudo, proportione illius quadrupla. Joëlis experimentum ex ferri excremento l. 10. pract. s. 3.

II. *Gutta rosacea, est tuberosus, pustulosus interdum, & guttas rosaceas referens faciei rubor. Cognoscitur visu. Ortum* dat sanguis crassus, fervidus, vitio epatis ab ortu vel diæta tali genitus, ad faciem delatus, ibidemque ob crassitiem hærens. *Curatur* 1. *Epatis fervidi* ad temperiem suam per cichorii, fragorum, & corallorum syrupos *deductione*. 2. Ejusdem *infarctionis deobstructione*. 3. *Topicorum*, id est, *menstrui virginis* in aqua calidâ soluti, Olei bufonúm, &c. applicatione. Vide *Hartman. de rubore & pustulis faciei.*

CAPUT VI.

De Tumoribus, in quibus humor periculiari membrana concluditur.

AD Tumores tales tria pertinent:

I. *Strumæ seu scrofulæ, scirrhosus glandularum tumor, peculiari membrana conclusus.* Eorum *subjectum*, sunt glandulæ in cervice, collo, mammis, axillis, inguinibus. *Cognoscuntur* visu, apud Alpinos præsertim homines. *Oriuntur* ab humore pituitoso, melancholico, misto, qui à cruditate ciborum provenit: seu à crassiore succo partes has nutriente eidem immisto, qui peculiari membranæ à facultate formatrice productæ includitur. *Curationem* vide l. 5. peculiari capite. *Dividuntur* 1. In *simplices*, de quibus nunc, & *Cancrosas*, quæ cancro propter atrem bilem miscentur. II. In *liberas*, quæ nulli vasi junguntur, & *Infiltratas*, quæ cum arteria, vena vel nervo aliquo insigni conjunguntur.

II. *Ganglion est tumor supra os situs, à nervi præter naturam convolutione, qui in unum corpus coaluit,*

coaluit, *exortus*. *Subjectum* ſunt partes, quæ non multâ carne, ſed cute duntaxat teguntur. *Cognoſcitur*, tum ex ſitu, tum ex eo, quòd doloris ſit expers, quòd ſit ovi magnitudine, ad latera tendi poſſit, preſſus torporis ſenſum excitet. *Oritur*, cum occaſione ictus, extenſionis, aut laboris, nervus vel tendo extenditur, & quaſi rumpitur. inde partis nervoſæ excrementum exſudat, circa fibras & nervoſas partes adhæreſcit, & à facultate illarum formatrice, in hanc ſubſtantiam mutatur. *Curatur*, Emollientibus, ut Emplaſtro de *Ammoniaco*; & Digerentibus: quod ſi iſta non ſatisfaciunt, ſuppurantibus, & ſectione; de qua vide Authores.

III. Tumores illi, qui ab eadem quidem cauſa ſunt, humore nimirum pituitoſo, vel ſucco alimentari, materia tamen folliculo incluſa diſtinguuntur, & inde ſua ſortiuntur nomina. Nam *Meliceris* dicitur, ſi materia incluſa melli eſt ſimilis, tumor rotundior, & ad preſſum digitorum cedens. *Atheroma*, ſi pulti frumentaceæ ſimilis, & tactu durior. *Steatoma*, ſi ſebo.

CAPUT VII.

De Tumoribus à ſolida ſubſtantia.

AD Tumores tales tria referenda ſunt:

I. *Verruca*, *ſeu tumores monticulorum inſtar in cute*. *Cognoſcuntur* facillimè. *Oriuntur* vel à materia craſsâ melancholicâ & pituitosâ, vel ex ſucco cuti & cuticulæ alendæ deſtinato. *Curantur* vel *per applicationem appropriatorum*, ut ſunt, ſuccus *folior. ſalicis*, *Cichorium verrucarium*. Aqua *ſupernatans truncis quercuum* bipenne detruncatorum. Lac *tithymalli*, *Cepa* cum ſale contuſa. *Dividuntur* in *Penſiles*, quæ *Acrochordones* Græcis dicuntur, parte ſumma latiores, ima quæ ad cutem tenuiores, quâ

quaſi

quaſi pediculo innituntur : *Thymia*, quæ colorem thymi repræſentant, ad cutem etiam tenues ſunt, in ſummo latæ, duræ, & aſperæ, penſilibus minores. & *Seſſiles*, quæ Græcis *myrmecia*, humiliores thymiis, lupino vix majores, duræ, latiore baſi, radices altè exigentes, dolorem cientes.

II. *Clavi, qui in digitis* plantiſque pedum ex calcei preſſu aut intertrigine naſci ſolent; acuto interdum dolore ſponte ferientes, ſemper verò ingredienti moleſti. *Inungi* debent ſanguine anguillæ, Oleo *Mercurii*; & poſtquam emolliti fuerint, oleo *Limacum*. Si inciduntur, eluantur urinâ canis, ſuperpoſito emplaſtro ex cera rubea.

III. *Callus* obdurata eſt ſumma cutis ex labore, in palmis aut in inferioribus pedis plantis ſuccreſcens. Nullam radicem altè demittit, ac prorſus doloris expers eſt. Poſſunt calli radi, præmiſſis lavacris frequentioribus.

CAPUT VIII.

De Tumoribus à partibus ſolidis aliò incumbentibus.

ARTICULUS UNICUS.

De Aneuriſmate, Varice, & Elephantiaſi Arabum.

TUmores à partibus ſolidis procidentibus vel incumbentibus exorti, ſunt plures : Nos hic duntaxat de *Aneuriſmate*, *Varicibus*, & *Elephantiaſi Arabum* dicemus; reliqui ſuo loco occurrent.

I. *Aneuriſma eſt tumor ab arteriæ tunicæ interioris apertione, exterioris dilatatione exortus. Cognoſcitur*, quòd ſit tumor mollis, pulſans, digitis plerumque

rumque cedens; & ſi non cedit, nec pulſus eſt, quod in magno accidere poteſt: tamen ſtrepitus quaſi bullientis aquæ, ob ſpirituum per anguſta meatum, percipitur, & ſic ab Ecchymomate diſtinguitur. *Oritur* vitio arteriæ, quæ ratione tunicæ internæ, quæ dura & craſſa, aperitur; ratione externæ, quæ tenuis, mollis & rara, dilatatur. Id fieri ſolet, *vel* à ſanguinis impetu, *vel* ab aliqua violentia; ſæpiſſimè cùm vel arteria pro vena ſecatur, vel cum vena ſimul arteria læditur. Tum enim exteriore tunica utpote molli, & venarum tunicis cognata, coaleſcente, internâ apertâ, per foramen ſanguis & ſpiritus erumpere conatur, & externam diſtendit. *Curatur Difficulter*, ſi minus, ſi recens. *Nullo* ferè modo, ſi antiquum & majus; & ſi ſectio fiet, periculum mortis infertur. *Inſtituitur* curatio, 1. *Repellentium* & adſtringentium *applicatione*; ubi Emplaſtrum *contra rupturam*, & alia. 2. *Sectione*: de qua vide authores.

II. *Varix eſt venæ dilatatio. Fit præcipuè in cruribus*, ſub umbilico, aliquando & in temporibus. Accidit inprimis viris, vix tamen ante pubertatem. *Cognoſcitur*, quod venæ turgeant, pars ſit livida aut nigra. *Oritur* à craſſo melancholico ſanguine, eo vel pondere delapſo, vel à cauſa violenta detruſo. *Curari* non debent varices, ſi ſunt critici, & ab aliis morbis, ut ab inſania ſolent, liberant. Si curandi ſunt, duriter ſectione; optimè extractione (de qua Aquapendens) curentur.

III. *Elephantiaſis Arabum eſt tumor pedum à ſanguine melancholico, pituitoſo, & varicibus, exortus*. Crura in eo ſunt tumida, livida, nigra, ulceribus ſcatentia. *Curari* vix poteſt, niſi aſſiduè curetur.

CAPUT IX.

De Tumoribus malignis.

ARTICULUS UNICUS.

De Elephantiasi.

TUmores maligni varii sunt, *Bubones* nempe, *Carbunculi*, *Morbilli*, *Varioli*, *Elephantiasis*. De illis superius actum; de istis l. 3. agetur. restat Elephantiasis, de qua hic. *Elephantiasis*, *quæ & Leontiasis*, *& Satyriasis*, *& Lepra*, *est tumor totius corporis cancrosus*, *ex atra bile*, *venenata qualitate infecta*, *& in totum habitum corporis effusa*, *exortus*, *multa symptomata inferens*.

Elephantiasin dico, non Arabum, nec lepram Judæorum.

Signa sunt, vel *incipientis*, maculæ crebræ in corpore, cutis asperitas cum tuberibus duris instar anseris deplumati, cum squammis & rimis plurimis, præsertim in facie, manibus, & pedibus, casus pilorum. Vel *ingravescentis*, impetigo summorum digitorum & menti, superciliorum crassorum, prominentium deorsum, vocis raucedo, sudor facile in salem redigitur, qui in aqua non solvitur, sanguis lotus granulosa & arenosa post se relinquit. Examen *Elephantiacorum* vide apud *Horstium* Epistol. Medicar. s. 4. T. 1.

Causa est humor melancholicus, & bilis atra; quæ vel à causis externis, constitutione aëris sicca & diæta simili; vel ab internis, intemperie nempe jecoris sicca & calida oritur, venenatam quoque & contagiosam qualitatem, unde & consuetudine morbus acquiritur, contrahit. *Curatio* est *Nulla* confirmatæ, *Difficilis* incipientis. *Absolvitur* 1. *Diætâ*,

ubi locum habet *vinum viperinum*, & carnes ipſarum capite & cauda abſciſſis coctæ, pomaceum, pulli gallinacei viperarum vel colubrorum carnibus paſti. 2. *Præparatione humorum*, per *herbam Kunigundis* cum fumaria in ſero lactis decoctam, Aquam *fragorum*, *cuſcutæ*, Decoctum *Tamariſci*. 3. *Evacuatione*, tum per *Venæ-ſectionem*, quæ vere inſtituenda, particulatim in utroque brachio, vel malleolo : tum per *purgationem*, ubi Extractum *hellebori*, ſerum lactis cum Epithymo valet : tum per *Hæmorrhoides*. 4. *Balnearum* uſu tam dulcium, quàm ſulfurearum, &c. 5. *Appropriatorum* exhibitione, *ſanguinis* nempe *leporini* calidi, ſalium *Theriacalium*, *Theriacæ*, *Bezoartici animalis*. 6. *Symptomatum mitigatione* : de quibus ſuis locis. 7. *Vſtione* : de qua videantur Authores.

Quantum ad *Differentias*, quatuor ipſius ſunt ſpecies :

I. *Alopecia*, in qua rubedo eſt obſcura, faciei tumor, oculorum rubor, narium hæmorrhagia. *Oritur* à ſanguine & reliquis mitior eſt.

II. *Tyria*, à ſerpente ſquammoſo tyro, qui vere ſpolium exuit. in qua albedo, ſquammæ, & furfures afficiunt. *Oritur* à phlegmate.

III. *Leonina*, à rugis frontis leonis dicta, in qua puncturæ, mordicationes, impetigines. *Oritur* à bile, & citiſſimè ad augmentum pervenit.

IV. *Elephantiaſis*, reliquis major, & tardior, à melancholia ortum ducit, nigredine turbata, nodis ac ſtupore ſe prodit. Hæ ſpecies rarò ſunt ſeparatæ, frequentiſſimè complicantur.

TITULUS II.

De Cutis affectibus.

CAPUT I.

De Lentiginibus, Ephelidibus, Nævis maternis, & Maculis infantum.

ALterum morborum externorum genus ſunt cutis affectus, ſub quibus comprehenduntur, *Lentigines, Ephelides, Nævi materni, Maculæ infantum, Maculæ hepaticæ, Pruritus, & malus odor.*

I. *Lentigines, ſunt maculæ lentis magnitudine, modò faciem, modò pectus, modò manus defœdantes, ut plurimum fuſco colore præditæ. Cognoſcuntur* ex deſcriptione, & eo quòd ſint familiares corporibus rubeis, & pilum ruffum gerentibus. *Oriuntur* à ſanguine, ſeu ab internis cauſis, ſeu à ſolis ardore aduſto; cuticulam, frontis inprimis, quia ea denſior, vapores diutius retinet, occupante. *Curantur* Aqua *flotum ſambuci, fabarum, ſcrofulariæ*, è tota planta deſtillata. hircino, vaccino & caprino lacte, cum vitri pulvere immiſto. *Gummi ceraſorum* in aceto forti cum pauxillo farinæ avenaceæ diſſoluto. His vel ablui vel inungi debent.

II. *Ephelides ſunt maculæ in gravidis fuſcæ, frontem inprimis, tempora, vel genas occupantes, ſæpe palmi longitudinem æquantes. Cognoſcuntur* ex ſymptomatum, quæ gravidas afficere ſolent præſentia, præſertim vini & ciborum odio, frequenti ſalivatione, & ventriculi morſu. *Oriuntur* à menſtruorum ſuppreſſione: in virginibus interdum à *betarum uſu.* Laudatur *pulmentum ex baccis lauri* pulverizatis, & aqua fungorum in balneo illitum.

III. *Nævi materni ſunt maculæ ab imaginatione maternâ fœtui impreſſæ.* Abſterguntur, vel *ſecundina*

dina calente, vel *sanguine ejus*; facilius, si clanculum, ut vulgus opinatur: vel aqua *Caryophyllatæ* montanæ destillata, si infans eâ ablutus fuerit: vel *sanguine menstruo.*

IV. *Maculæ infantum volaticæ, sunt maculæ rubeæ & purpureæ, hinc & inde serpentes*; quod si orificium aliquod, puta os, nares, oculos, aures attigerint, malum lethale fieri existimatur. Ad *præcautionem* orificia aqua rosarum cum pauxillo croci illinenda sunt.

CAPUT II.

De Maculis hepaticis, Pruritu, & malo Odore.

Maculæ hepaticæ, sunt maculæ fuscæ, interdum evanescentes, mox emergentes, cum levi quadam cutis asperitate, & squammarum emissione. Cognoscuntur ex descriptione. *Oriuntur* à sanguine crassiore, qui cum assimilari non possit, excrementitium quod est ad cutem mittit: si diu durant, comites habent quartanas. *Curantur* Diætâ, & præmissis universalibus, *balneis*, quas *antecedat Theriacæ usus*; *sequatur* illitus seminis viridis sinapi, cum aqua in pultis formam redacti, qui fervore exorto ablui statim debet. *sanguis humanus* cum lacte humano destillatus, etiam valet.

II. *Pruritus, est dolor desiderium scalpendi excitans, sine cutis asperitate & exulceratione. Subjectum* est interdum totum corpus; præcipuè autem plantæ pedum, quia istæ chorda latâ, magnâ, & cute durâ, ut humores liberè exhalare non possint, obtectæ sunt. *Cognoscitur* ex ipso sensu. *Oritur* vel à bile, vel pituitâ salsâ tenui, ut per minimas particulas sese insinuet; sed viscida & lenta, ut partibus tenacius adhæreat: quæ ortum ducit à cibis salsis, calidis, Epa-

tis calidi & ficci vitio. *Curatio* eſt *rara* in decrepitis. *Nulla* in tabeſcentibus, ſi alvi ſuppreſſioni ſuccedat. *Abſolvitur*, I. *Attemperatione humorum* per ſerum lactis caprini cum ſyrupo fumariæ. II. *Evacuatione* cauſæ antecedentis per *jalapam* & Syrupum *florum perſicorum*. per hæmorrhoides & menſes, ſi horum detentio in cauſa. III. *Mitigatione* per *balnea dulcia*, quibus argilla furnacea injicienda, & *Vnguentum* Hartmanni. IV. *Diſcuſſione*, per eadem, quibus parietaria, malva, lapathum acutum, alumen, ſulfur, vitriolum, &c. indi debent.

III. *Malus odor interdum è toto corpore, interdum ex partibus, ut alis, pudendis, pedibus, exſpirat.* Ex *illo*, ſeu ob quandam ἰδιοσυγκρασίαν ſeu ob contaminatum in utero ſanguinem & ſemen, ſeu ob aliquod tempore geſtationis accidens. Ex *his*, ob affluxum humorum excrementitiorum, in corporibus humidis, qui eò detruſi, quod liberè exhalare non poſſint, putredinem & fœtorem concipiunt. In *Curatione* ratio eſt habenda Univerſalium. *Diæta* ad ſiccum vergat, & putredini reſiſtat. *Partes* illæ ſæpiſſimè, decocto *ſcabioſæ*, *myrrhæ*, *guajaci* abluantur, & unguento *ex rad. irid. florent. ligno aloës, balſamo citri, nucis moſchatæ* compoſitum inungantur, vel διαπάσμασι aſpergantur.

TITULUS III.

De Capillorum vitiis.

CAPUT I.

De Capillorum caſu.

TErtium morborum externorum genus ſunt *Capillorum Vitia, ſub quibus comprehenduntur Capillorum caſus, Canities, Porrigo, & Plica.*

Capil-

Capillorum casus est, quando illi ob certas causas decidunt. Dividitur in aliquot species, *Defluvium* nempe, *Calvitiem*, *Aream* & *Tineam*.

I. *Defluvium, est decidentia sparsim facta, ut vel omnes, vel plurimi hinc & inde decidant. Cognoscitur* facillimè. *Oritur* à diversis causis: 1. Ab *alimenti defectu*, qui fit in tabidis, & febre maligna laborantibus. Tum in tabe nulla ratione vitium emendari potest. In aliis, capitis frictiones adhibendæ, ut nutrimentum eò feratur. Caput decocto herbarum capillarium abluendum. II. Ab *humoris radices capillorum erodentis pravitate*. Tum, præmissis universalibus discutientia moderatè adhibenda. *Ladanum* unguentis admiscendum. III. A *Cutis raritate*. Tum cutem densantia, ut *ladanum*, oleum *lentiscinum* & *myrtinum*, decoctum *radicum bardanæ*, in lixivio adhibendum.

II. *Calvities est, quando pili in syncipite decidunt. Cognoscitur* ipso adspectu. *Oritur* ab alimenti defectu, ob cerebri siccitatem, seu per ætatem, seu propter aliquam violentam causam, ut nimium Veneris usum, contractam. *Curatio* calvitiei nulla est: *præcaveri* tamen & retardari potest. 1. *Bona diæta*, in qua acria, salsa, adstringentia, vinum potens, Venus nimia, fugienda. 2. *Alimenti pilorum refectione*, per medicamenta cerebri siccitatem corrigentia. 3. *Alimenti ad capillorum radices attractione*. Ubi locum habent frictiones moderatæ, attrahentia moderatè adstringentibus juncta. *Ladanum* in oleo mastichino dissolutum. Capitis decocto fœnigræci lotio, &c.

III. *Area, est capillorum areatim factum defluvium, à pravo & corrupto humore, pilorum radices erodente, exortum. Cognoscitur* ipso adspectu, & ex differentiis; de quibus postea. *Oritur* ab humore in descriptione posito, præsertim pituita salsa,

 adusta,

aduſta, & putrefactâ, vitio cerebri & epatis calidioris, ciborum ut fungorum, corruptorum, producta. *Curatio* eſt *facilis*, ſi malum recentius. Si locus fricatus, citò rubeſcit. Si arearum extremitates capillis reſtantibus finitimæ iterum pilos emittere incipiunt. *Difficilis*, ſi denſa cutis, ſubpinguis, & ex toto glabra. ſi malum antiquum. *Nulla*, ſi frictus locus non rubeſcit. *Peragitur* 1. *Humoris vitioſi evacuatione*, per purgantia & apophlegmatiſmos. 2. *Ejuſdem*, dum in fluxu eſt, *repulſione*. 3. *Ejuſdem cuti impacti digeſtione*, per medicamenta μετασυγκριτικὰ, calida, tenuium partium, non admodum ſicca, ne alimentum diſcutiatur. *Debiliora* primò, ut *abrotanum, radices arundinis uſtas*: poſt *fortiora*, *ſinapi*, *naſturtium*, *radic. liliorum alborum*, quæ in principio liquidiora eſſe, & eo uſque relinqui, dum in cute aliqua alteratio percipiatur, debent. *Adeps urſinus* à proprietate juvat. fieri ex eo cum pilis urſi uſtis, oleo lentiſcino & ſuperius poſitis, poteſt unguentum. *Dividitur dupliciter*. 1. In *Alopeciam*, quæ ſub qualibet figura dilatatur. in barba & capillo fit. in qualibet ætate eſt. & *Ophioſin*, quæ incipit ab occipitio, duorum digitorum longitudinem non excedit: ad aures duobus capitibus ſerpit, quibuſdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. infantes maximè afficit. In ea etiam cutis ſuperficialiter excoriatur, cutis color mutatur, & ſi pungatur, ſeroſus ſanguis exit. II. *In eam quæ à lepra*, inſanabilem. quæ *à Lue venerea*; & quæ ab *aliis mitioribus* cauſis.

IV. *Tinea, quando capilli fruſtillatim & particulatim à vermibus quibuſdam eroſi & abſumti decidunt.* *Cognoſcitur* ex eo, quod pili breviores & inæquales fiunt. vermiculi in extremitatibus eorum hærent. color pilorum cineritius evadit. *Oritur* ab excrementitio humore cum alimento pilorum in capil-

los

los penetrante,& in iis à calore in vermiculos abeunte. *Curatur*, Universalibus præmissis, abstersione, per *decoctum Vrticæ majoris, centaurii minoris, &c.*

Caput II.

De Porrigine & Plica.

Porrigo, *furfuratio*, πιτυρίασις, *est, cum scalpentibus furfuribus similia ex capitis cute decidunt.* *Oritur* ab humoribus serosis & ichoribus biliosis ac pituitosis, qui cum alimento pilorum ad caput efferuntur; partibus tenuioribus discussis, crassæ circa pilos hærent, & in materiam furfurum abeunt. à cerebro calidiore attrahuntur. *Curatur* Evacuatione materiæ peccantis. Discussione & abstersione, cum pauculo adstringentium. Decoctum *Cicerum & malvæ* hic locum habet.

II. *Plica est capillorum in cirrhos complicatio, à materia capillorum nutrimento utili, corpori inutili exorta, multa symptomata invehens.* *Cognoscitur* ex capillorum cirrhis, doloribus, artus & ossa infestantibus, convulsionibus, pediculorum copia. Ungues in pollicibus pedum sunt scabri, nigri, instar cornu hircini. *Causa* sufficienter explicari nequit. Putatur esse materia alimentum copiosum pilis suppeditans, corpori verò noxia: illis ita familiaris, quemadmodum materia in arthritide serosa, articulis; vel osteocolla ossibus; Unde si capilli radantur, sanguinem fundunt. *Oritur* à peculari loci aëris & aquarum vitio. defertur eò cum sanguine. Accedit interdum veneficium. *Curatio* est *bonæ spei*, si nulli dolores adsunt. sic enim excrementitia materia in capillos deponitur,& virtus est fortior. Perfecta nulla, cum causæ non sint benè cognitæ. Purgationibus & venæsectione exasperatur. Quidam caput decocto brancæ ursinæ abluunt. Adhibuit quidam rusticus &

balnea, in quibus ægri primò hirſuti evadebant, poſt pilis abſectis ſanabantur. Vide *Herculem Saxoniam*.

TITULUS IV.

De Ulceribus in ſpecie.

CAPUT IV.

De Gangræna.

QUartum morborum externorum genus ſunt *Vlcera*, ſub quibus comprehenduntur, *Gangræna, Sphacelus*, & *Ambuſtio*. *Gangræna, ſeu Ignis S. Marcelli & Antonii, eſt partium inprimis molliorum ad mortificationem tendens corruptio; à caloris nativi in parte corruptione, ſuffocatione, diſſipatione, vel extinctione procedens.*

Signa ſunt, coloris in parte in lividum mutatio, pulſus & ſenſus imminutio, caloris abolitio. Motus manet, ſi caput muſculi integrum eſt: nec ſemper tumor adeſt. ulcus neceſſariò accedit. *Cauſa eſt*, caloris nativi in parte corruptio, ſuffocatio, diſſipatio, extinctio.

Curatio ſemper *Difficilis*, inprimis, ſi cum affluxu humorum eſt. ſi partibus humidioribus inſedit. ſi cum hydrope conjungitur. *Peragitur*, I. *Diæta* conveniente II. *Debitâ* per venæ ſectionem & purgationem evacuatione. III. Cordis per cardiaca contra vapores putridos *roboratione*. IV. *Partis ſanæ* contra ſerpentem putredinem per defenſiva & Alexipharmaca *munitione*.

Differentiæ à cauſis ſumuntur, quæ ſunt vel *externæ*, vel *internæ*.

I. Alia eſt à *Frigore nimio calorem partis opprimente*. *Cognoſcitur* ex eo, quòd ſubitò acutus & pungens dolor affligit. Rubor partis mox in vividum mutatur, frigus ac ſtupor quaſi per quartanas percipitur.

pitur. *Curatur*, 1. Partis frigefactæ in frigidam *immersione*, vel per eandem frictione. 2. *Potionum* calidarum *intus* exhibitione, ut ſudoriferis benignioribus excitetur. 3. Poſtquam calor rediit, *partis* calidis liquoribus *frictione*, ubi decoctum raporum locum habet. 4. Si jam gangræna adeſt, *ſcarificandæ* & *fovendæ* ſunt partes cardiacis calidis.

II. Alia *à ligaturis ſpiritus & ſanguinem intercipientibus*. *Cognoſcitur* facile, In *Curatione*, ligatura ſolvenda, Medicamenta putredini reſiſtentia & diſcutientia imponenda. Si gangræna proceſſit, ex ſequentibus agendum.

III. Alia à *Defectu alimenti*, *ſeu atrophia*. *Cognoſcitur* ex eo, quod præter maciem, nec tumor, nec calor, nec dolor adeſt. cum puſtulæ excitantur, dolor & febris exoriuntur. In *Curatione*, *Diætam* calidam & humidam præſcribe. *Corpus* oleis humectantibus *illine*. *Alimentum* ad partem per cucurbitulas non ſcarificatas, olei lumbricorum terreſtrium &c. inunctionem *attrahe*. *Partem* ſi gangræna procedit, *ſcarifica*, & ſicut inferius dicetur, age.

IV. Alia à *Calore externo*, *quod poſt magnas uſtiones accidit*. Tum in *Curatione*. Diætam *frigidam* præſcribe. *Humores* calidos alteratos evacua. *Membrum* ſcarifica, mox ablue, &c. Ad *cauterium actuale*, nonniſi neceſſitate adactus procede.

V. Alia à *Venenatorum animalium morſu*. *Cognoſcitur* ex relatione ægri. In *Curatione* 1. *Attrahendum* venenum per cauterium actuale vel ſcarificationem. *Applicanda* medicamenta putredini reſiſtentia & attrahentia. 3. *Vlcera* ex ſcarificatione, vel uſtione exorta *mundanda*, ubi *ſpiritus vini* non obliviſcendum.

VI. Alia *ab Humorum malignorum ad externa affluxu*. *Cognoſcitur* ex eo, quod in partibus maximè extremis veſica, cui macula nigra ſubeſt, apparet.

ret. febris continua, lipothymia &c. adſunt. *Curatur*, 1. *Diæta* ſiccante, cui cardiaca refrigerantia indantur. 2. *Venæ ſectione* & evacuatione, ſi opus. 3. *Sudoriferis*, quibus hic vehementer agendum. Dictamnum creticum, vincetoxicum, Theriaca valent. 4. *Scarificationibus*, *cucurbitulis*, hirudinum ad partem affectam, ſi ſanguis ſcarificatione parciùs educitur, applicatione. 5. *Partis* de cocto, inprimis ſcordii, *ablutione*. Defenſiva hic obſunt.

VII. Alia *ab inflammatione*, *tranſpiratione prohibitâ*, *calorem* ſuffocante. *Cognoſcitur* ex eo, quod color rubeus in lividum mutatur. dolor pulſans ceſſat. puſtulæ grandiores ichorem loturam carnis referentem mittentes, oriuntur. In *Curatione* attende 1. Ad Diætam tenuem & refrigerantem. 2. Humorum revulſionem per venæ ſectionem vel purgationem. 3. Defenſivi circa partem affectam applicationem. 4. Humorum ex affecta parte per ſcarificationem & profundam inciſionem, evacuationem 5. Ejuſdem poſt inciſionem aquâ ſalsâ, vel aliquo alio fotu, pro corruptionis magnitudine, ablutionem. 6. *Vnguenti Ægyptiaci*, vel alicujus poſt ablutionem, ſuperpoſito cataplaſmate reſolvente, exſiccante & putrefactionem inhibente, impoſitionem. 7. Si malum non cedat, cauſticorum ſeu actualium ſeu potentialium, quale eſt *Butyrum Antimonii*, vel *Mercurius* in aqua forti *ſolutus*, & cum oleo Tartari præcipitatus, applicationem. 8. Cruſtæ inductæ per media legitima tempeſtivam ſublationem, ne nova ſub ea putredo oboriatur.

CAPUT II.

De Sphacelo.

SPhacelus *eſt perfecta partis mortificatio*, *non molliores duntaxat*, *ſed & ipſa oſſa invadens*.

Signa ſunt, nullus in parte ſive ſecetur, ſive uratur,

tur, ſenſus. Carnis frigiditas, flacciditas, nigredo. cadaveris tandem inſtar grave olet, cutis à ſubjecta carne digitis ſeparatur.

Curatio in *Abſciſſione* ſita eſt, cujus modum vide apud Practicos. *Tum* 1. Aliquid ſanæ partis optimè ligatæ potiùs amputandum, quàm ut in ægra abſciſſio inſtituatur. 2. In digitis manuum pedumque debet fieri ſectio. 3. In pedibus ſi malleolum tranſcendat, infra genu crus abſcindendum. 4. In brachio quàm minimum ſanæ partis amputandum, &c. Vide Fabricium Hildanum in tractatu de Gangræna, & Sphacelo.

CAPUT III.

De Combuſtionibus.

Combuſtio eſt continui, epidermidis, & cutis ut plurimum, nonnunquam carnis muſculæ, venarum, arteriarum, nervorum, vi ignis impreſſa, ſolutio.

De ſignis non eſt quod quicquam dicam, cùm ipſa combuſtio per ſe ſit manifeſta. *Cauſa*, eſt vel *ignis*, vel *aqua fervens*, vel *oleum*, vel *metallum liquefactum*. *Curatio* pro ratione differentiarum variat. *Primo*, Empyreuma evocandum eſt. *Mox*, ne dolor humores & ſanguinem attrahant, repellentibus & defenſivis agendum. *Tum* victûs ratione, purgationibus, venæſectione, cucurbitulis & aliis imminuendum. Mucilago ſeminis cydoniorum cum aqua roſarum extracta, & oleo lini ſubacta, mox in principio adhibita, omnibus indicationibus ſatisfacit.

Differentiæ combuſtionum ſunt variæ.

I. Alia eſt *leviſſima*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quòd res ignita levis fuerit, cutis ſit rubicunda, dolor acerbiſſimus & pungitivus, locus infletur, puſtulæ, in quibus aqua clara & alba elevantur, tandem &

Epider-

Epidermis ſeparatur. *Curatur* I. *Empyreumatis ſublatione*, *ne puſtulæ oriantur.* Id fit vel per membri in aquam calidam immerſionem, vel lintei lixivio madidi applicationem, vel cæparum in mortario cum ſale contuſarum impoſitionem, quod tamen in combuſtione oculorum non convenit. Vehementer laudatur *unguentum* ex olei olivar. part. I. & albumin. ovor. part. II, ſi loco ambuſto cum pluma gallinæ ſæpius illinatur. II. *Veſicularum*, ſi eleventur, tertio die, ubi cuticula regenerari incipit, *apertione.*

II. Alia *Mediocris*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quod pars illicò inflatur, & uritur. puſtulæ, in quibus aqua ſubtilis & flaveſcens continetur, elevantur, æger de tenſione cutis conqueritur. *Curatur* I. *Puſtularum inciſione*, ut humor calidus & acris effluat. II. *Defenſivorum*, ne humor & ſanguis ad locum affectum affluant *applicatione.* III. Vnguenti Fabricii ex *butyri recent. & in aqua roſacea loti unc.* III. *Ol. violac. de vitell. ovor. Amygdal. dulcium ana unc. ſ. Farinæ hordei unc. i ſſ.* Croci *ſcr.* I. *Mucilagin. ſemin. cydonior. unc.* I. *ceræ q. ſ. compoſiti*, *appoſitione.*

III. Alia *Inſignis*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quòd ipſo momento, quo res ignita adhæret corpori, elevantur puſtulæ, ſed illicò poſtea decidunt. ſubjecta cutis nigra vel livida eſt. obtusè, ſi pungatur, ſentit. cruſta cum decidit, ulcus putridum & profundum oritur. *Curatur*, I. Puſtularum, ut aqua quæ in iis continetur, exſiccetur, inciſione. II. Eſcharæ primo vel ſecundo die ſeparatione, quæ ſi fieri non poteſt, ſcalpello pluribus in locis incidenda eſt. Unguentum *Fabricii* vide apud authorem. III. Si gangræna incipit, curatio ad illam obvertenda eſt. IV. Eſcharâ ſeparatâ, ulcus mundandum, carne implendum, & cicatrice obducendum eſt.

IV. Alia eſt à *pulvere tormentario*, in qua grana

pulveris

pulveris acu vel alio inſtrumento eximenda. Si eximi non poſſunt, puſtulæ ut eleventur permittendum. ſi non elevantur, veſicatoriis excitandæ, incidendæ; pulvis eximendus, & locus decocto fœnigræci &c. abluendus. Alia à *fulmine*, in qua Alexipharmaco aliquo ſudor provocandus. Arteriæ, labia, lingua, nares, theriacali vino inungenda. Eſcharâ remotâ, mundificantia & ſarcotica bezoardicis caſtigata, adhibenda. ſi os fractum, cataplaſmata vulgaria adſtringentia vitanda.

III. Alia eſt *Faciei*, in qua medicamentum ex *album. ovor. ii. ol. Roſar. unc.* II. *Aqua Roſar. unc.* I. locum habet. Alia *Oculorum*, in qua *lac muliebre* tepidum inſtillandum. Si cruſta excitata eſt, ne palpebræ retrahantur, fomentis emollientibus agendum. Cutis ſæpe utraque manu extendenda. Alia *Articulorum*, in qua affluxus humorum impediendus. Topica anodyna applicanda, ne nervi contrahantur vel articulus incurvetur, præcavendum, &c. Sed de his omnibus vide *Guilelmi Fabricii Hildani libellum de combuſtionibus*.

TITULUS V.

De Luxationibus in ſpecie.

CAPUT I.

De Luxationibus Mandibulæ, claviculæ & vertebrarum.

QUintum morborum externorum genus ſunt *Luxationes*; eæque vel *ſuperiorum artuum*, vel *inferiorum*. Ad illas pertinent, Luxatio *mandibulæ*, *claviculæ*,

viculæ, ſpinæ & coſtarum, humeri, cubiti & radii, manus & digitorum.

I. *Mandibulæ* luxatio fit in partem anteriorem, proceſſu anteriore & acuto roſtro ſimili, infra os jugulare lapſo. *Cognoſcitur* ex eo, tum quòd inferior maxilla in anteriorem partem promineat, & proceſſus juxta eam exſtet: tum quòd os maneat apertum. *Oritur* à nimia oris apertione & diductione, ſive oſcitando, ſive aliquod onus dentibus apprehenſum in altum elevando; id tamen difficulter propter muſculorum, quibus ſuperioribus partibus alligatur, robur. *Curatio* inſtituitur 1. *Repoſitione*, ne alvus bilem reddat, vel vomitus excitetur; & quidem citâ, ne cerebrum per nervos muſculis temporalibus inſertos, in conſenſum trahatur: de qua vide authores. 2. *Inflammationis* & aliorum Symptomatum *præcautione*. Si cervix dolet, ſecanda eſt brachii vena. 3. *Repoſiti* oſſis *retentione*, &c. *Dividitur* dupliciter. 1. In *maxillæ unius partis*; & *tum* ipſa cum mento in contrariam partem inclinatur, os diſtorquetur, dentes ſuis paribus non reſpondent. Et *in maxillæ utriuſque* partis; *tum* tota cum mento ad pectus prominet. muſculi temporales rigeſcunt. eminentia quædam in utraque parte conſpicitur. II. In *eam quæ Adultis duntaxat* obtingit, & hæc hic deſcripta eſt: & eam quæ *Infantibus*, in quibus quia mandibula inferior bifida eſt, & in medio mento cartilagine copioſa jungitur, illâ ab affluxu humorum laxatâ, vel oſſe à cartilagine, quæ in adultis in os faceſſit, ſeparato, in dextram vel ſiniſtram partem luxari poteſt.

II. *Clavicula* fit vel *contra ſternum*, vel *contra ſcapulæ acromium*; ſed rarò propter firmam cum utroque oſſe connexionem. *Cognoſcitur* ex eo, quod humeri apex intumeſcit, & in loco unde clavicula exceſſit, manifeſta eſt cavitas. *Curatur* Difficulter, & ple-

& plerumque brachium in aliquo motu deficit. Deligatio est instituenda fortis.

III. *Vertebrarum* luxatio vel est *extrorsum*, vel *introrsum*. In infantibus faciliùs, in adultis difficillimè curatur.

CAPUT II.

De Luxatione Humeri, Cubiti, Radii, & Digitorum.

AD Luxationem artuum superiorum etiam spectat, *Luxatio Humeri, Cubiti, Radii, & Digitorum.*

I. *Humeri luxatio est, quando ipsius caput, quod rotundum, in sinum profunditate carentem insertum, ligamento laxissimo munitum est, è propria sede* prolabitur. *Oritur* plerumque à causa violenta, brachii extensione, &c. *Dividitur* in eam, quæ *fit sub alam*, Tum, quid rotundum ac durum sub axilla sensibiliter tactui obviat. cubitus à costis subitò magis recedit. *Reponi* potest, vel circumducendo caput humeri circa scapulæ cervicem: vel per calcem, vel per scalam, vel per pistillum, vel per humeri suppositionem, &c. Et *in eam, quæ in anteriorem partem* fit. *Tum*, in parte posteriore insolita cavitas, & in anteriore nimia protuberantia conspicitur, humeri caput in pectus detorquetur. cubitus ad posteriores partes vergit. In *restitutione* faciendus est motus contrarius; & licet membrum brevius non sit redditum, quia tamen caput explicamus & solvimus, efficienda est aliqua extensio, sed modica. vide *Aquapendentem.*

II. *Cubiti luxatio* raRò accidit, tum quia articulus est multiformis & varius; tum quia ligamenta sunt arctissima; & ideò difficulter etiam reponitur.

Fit I. Vel *ad anterius.* Tum extentum brachium flectere non possumus, brevior cubitus redditur. tumor insolitus in parte anteriore apparet, in posteriore cavitas. *Curatur* Extensione in obliquum, & repositione, cujus aliquot sunt modi. Vel *ad posterius*, Tum tumor apparet in parte posteriori, sinus in anteriori. *Extensione*, quæ hoc in casu difficilis, factâ, solis manibus recens luxatio reponitur. II. Vel in *partem exteriorem.* Tum tumor in parte est exteriori, cavitas in interiori. Aut *ad* interiorem, Tum omnia fiunt contraria. Et facta extensione impulsus cubiti in partem contrariam institui debet. repositionem medicamenta anodyna & adstringentia sequantur. III. Vel *radius subsequitur*, & tum tactu sequitur diffidentia cubiti à *radio*; vel *subsistit.*

III. *Radii luxatio* fit ad exteriorem partem. Tum in exteriore parte tumor apparet. cubitus & radius invicem dehiscunt. Factâ extensione, propellitur intrò facilè.

IV. *Carpus* luxatur, I. Aut *ad posteriora.* Tum digiti non possunt extendi, quia tendines & nervi ab ossibus comprimuntur. Aut *ad anteriora.* Tum tumor est in partibus anterioribus. digiti non possunt flecti. II. Aut *ad interiora*, aut *ad Exteriora.* Tum tumor in ea parte, sinus in opposita apparet. Curationem vide apud *Aquapendentem.*

V. *Digiti* luxantur in partem anteriorem, posteriorem, & ad latera. *Signa* sunt manifestissima, quia articuli sunt excarnes.

CA-

CAPUT III.

De Luxationibus Femoris, Genu, Tali.

AD Luxationes artuum inferiorum pertinent ſuxationes *Femoris*, *Genu*, *Tali*.

I. *Femur* difficulter luxatur, tum propter muſculos robuſtiſſimos & copioſam eorum carnem; tum propter profunditatem acetabuli; tum propter duo ligamenta arcta & brevia. *Reponitur* etiam *difficulter*, præſertim ſi luxatio callo obduruerit, & humores circa caput femoris influxerint. *Repoſitio* fit, vel ſine extenſione, vel cum extenſione ſeu manibus ſeu habenis factâ. Luxatur femur, 1. Aut in *partem priorem*. Tum Crus extentum propter inflectentes muſculos à capite femoris compreſſos, implicari non poteſt. Urina ſupprimitur. Nates rugoſæ apparent. Aut *in partem poſteriorem*. Tum Crus extendi propter extendentes muſculos affectos non poteſt. Redditur altero crure, quod ſinus in inferiori parte, caput in ſuperiori conſiſtat, brevius. Calx terram non contingit. per nates caput femoris eminet. II. Aut *Interius*, Tum genu, tibia & pes in exteriorem partem prominent. Crura non poſſunt inflecti ad inguina. E regione quæ eſt inter anum & teſtes, tumor manifeſtus in exteriore parte ſinus apparet. Aut *Exterius*. Tum inter ſcrotum & anum pars in ſinum dehiſcit; juxta verò clunes in tumorem attollitur. Genu, pes, tibia interius ſpectant. Calx terram non attingit, ſed planta.

II. *Genu* non adeò facile excidit, quia duo habet ligamenta; habet etiam caput & ſinum duplicatum. Luxatur 1. Vel *imperfectè*, ubi ſola ad partem contrariam impulſio requiritur. Vel *Perfectè*, & tum extenſio eſt neceſſaria. II. Vel *in partem exteriorem*, vel *interiorem*, vel *poſteriorem*. Tum Tumor

in loco insolito, sinus in loco contrario apparet: figura depravatur, motus debilitantur, & pereunt.

III. *Talus* luxatur, I. In *partem interiorem*. Tum, ima pars pedis in partem exteriorem convertitur. & *Exteriorem*, tum contra. II. In *partem priorem*. Tum latus & robustus in calcaneo tendo, durus evadit & tensus. pes minor fit. In *posteriorem*. Tum, quia articulus ad calcem elapsus est, calx reconditur. planta major fit, pes longior. *Curatio* debet fieri Extensione & Repositione.

IV. *Pedii* & *Tarsi* ossa, nunquam patiuntur luxationem. *Digitorum*, quoniam & validissimis ligamentis suffulciuntur, & multis tendinibus, raro.

TITULUS VI.

De Fracturis in specie.

CAPUT I.

De Fracturis ossium frequentioribus.

SExtum externorum morborum genus, sunt *Fracturæ ossium*; quæ aut sunt *frequentiores*, aut *minus frequentes*. Ad frequentiores fracturas pertinent:

I. *Brachii* seu partis illius, quæ est à cubito ad carpum, fractura; quæ si in *utroque osse* accidit, cùm nullum fulcrum & sustentaculum habeant; ac facilè vicinæ partes lædantur, periculosior est: si *in uno, eoque superiore*, quod minore extensione indigeat, minùs periculosa: si *in inferiore*, itidem; quia cubitus fulcri quasi loco est, & fascia tutius suspenditur. *Curatio* requirit *Extensionem*, & *ossis fracti directionem*, compositionem, & repositionem. Coalescit intra dies triginta.

II. *Humeri*, cujus os, cùm grandius sit, & ad callum generandum longiore tempore opus habeat, XL diebus coalescit.

III. *Cru-*

III. *Cruris* ſeu partis,quæ à genu ad pedem extenditur. In hoc, vel *utrumque os* frangitur; & totum crus inflecti poteſt: vel *Tibia*, & totum os, ut in loco excarni, in conſpectum facilè venit. Curaturque, cùm majore extenſione opus ſit, difficilius. *Vel Fibula*, & fracta pars ad interiora inclinat, ac æger citius pedi inſiſtere poteſt, cum tibia maximam oneris corporis partem ſuſtineat. Oſſa hæc plerumrumque intra quadrageſimum diem coaleſcunt.

IV. *Femoris*, quod, ſi *verſus genu* aut in medio frangatur, & diligens cura adhibeatur, ſine claudicatione evadunt: ſi *verſus coxam*, ſequitur plerumque claudicatio. Tum, quia propter arcuationem ad externam partem vergentem, facilè verſus internam partem incurvatur, verſus externam velut in arcum extuberat: tum quia, unicum cum ſit, non facilè in loco detineri poteſt. Coaleſcit quinquaginta dierum ſpacio.

CAPUT II.

De Fracturis minùs frequentibus.

AD Fracturas minùs frequentes pertinent fracturæ.

I. *Naſi*, qui vel *in inferiorem partem* æqualiter demittitur, ut ſimus evadat; vel *in uno tantum latere*,frangitur: vel *juxta cartilaginem* in obliquum distorquetur: vel *ipſius oſſa minutim confringuntur*. Accedit interdum vulnus, interdum ulcus intra nares excitatur. Niſi protinus naſus dirigatur, dirigi poſtea non poteſt.

II. *Maxillæ inferioris*, cujus os vel ita per tranſverſum frangitur, ut *tamen oſſa aliqua ex parte inter ſe cohæreant*: vel ita, ut *os ſuper os emineat*,& dens ſuper proximum dentem excedat. Conſolidantur intra

xx dies, nisi inflammatio accedat. dentes etiam integri manent.

III. *Claviculæ*, quæ vel per *transversum* frangitur, & facile digitorum extensione & compressione in naturalem sedem revertitur: vel per *longitudinem*, quæ semper quid eminentiæ habet, quod ægrè coaptari potest. Cognoscitur ejus fractura tactu & ex dolore. Intra dies xx ferruminatur.

IV. *Scapulæ*, & quidem, Aut *ratione acromii.* Tum inæqualitas quædam percipitur, si pars ægra cum sana comparetur: Aut *ratione latioris partis.* Tum tactu cavitas quædam deprehenditur. brachium è directo positum stupor prehendit. Si fractio est in *scapulæ cervice*, *aut humeri dearticulatione*, facilè, propter venarum, arteriarum, & nervorum ex cervicis vertebris ortorum præsentiam, inflammatio excitatur.

V. *Sterni*, cujus fractura ex ossis digito pressi cessione, difficultate spirandi &c. cognoscitur, & propter nobilium partium vicinitatem periculosa est.

VI. *Costarum*, quæ aut *franguntur*, ut fractarum extremitates neque introcesserint, neque in exteriorem partem compellantur. Tum pauci vel febricitant, vel sanguinem spuunt. Aut, ut *extremitates loco moveantur.* Tum caro costæ superjacens inflatur. & si manu locus comprimatur, aëris cedentis strepitus auditur. Inflammatio, febris, abscessus plerumque succedunt. Aut *totæ non franguntur.* Tum nec dolor magnus adest, nec febricula.

VII. *Spinæ dorsi*, quæ plerumque ob spinalis medullæ & membranarum ac nervorum læsionem, inprimis si juxta vertebras cervicis fractura contingat, lethalis est: præsertim si vel brachiorum & manuum, vel crurum ac pedum paralysis accedat.

VIII. *Patellæ* in genu, quæ ex incedendi impotentia, cavitate quæ in loco fracturæ percipitur, cognoscitur.

gnoſcitur. Fit vel *ſecundùm longitudinem.* Tum facilè oſſa conjunguntur. Vel *in tranſverſum* aut *obliquum.* Tum nulla induſtriâ curari poteſt, ut claudicatio nulla ſequatur.

IX. *Oſſium pedis*, quæ à re gravi & valida fieri ſolet. Viſu & tactu, quia partes excarnes ſunt, facilè agnoſcitur. Non adeò periculoſa eſt. Vide *Galenum in Hippocratem de Fracturis & Articulis.*

Tantum de Morbis Externis.

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ

LIBER VII.

DE FEBRIBUS.

HActenus Externi fuere morbi. *Interni* vel ſunt *Univerſales*, qui totum corpus afficiunt; vel *Particulares*, qui aliquas partes. Univerſalis morbus eſt *Febris*, quæ vel *in genere* vel *in ſpecie* conſideratur. Iſta vel eſt *Non putrida*, vel *Putrida*, vel *Hectica*, vel *Maligna*, vel *Peſtilens.*

TITULUS I.

De Febribus in genere.

F*Ebris in genere eſt intemperies totius calida, quæ à calore præter naturam in corde accenſo, & mediantibus ſpiritibus & ſanguine per venas & arterias in totum corpus diffuſo oritur, & actiones naturales ſymptomatum congerie lædit.*

Pars affecta eſt cor, in quo primum calor accen-

 ditur,

ditur, mox *totum corpus*, ſaltem ratione nobiliorum partium interdum. Diffuſus enim calor partes occupat, vel κατὰ σχέσιν vel κατὰ ἕξιν. Temperamentũ etiam ipſarum ex calido inſito & influente conſtans mutatur. *Intemperies* autem iſta interdum cum *ſiccitate*, interdum cum *humiditate* conjungitur. Hinc licet calor febrilis ſemper ad ſiccitatem tendat: tamen ſæpè corporis diſpoſitio, in quod calor ille agit, & humiditas, impediunt, ne ſiccitas morboſa corpori inducatur.

Cauſa eſt, quicquid calorem in corpore accendit. Accenditur verò 1. *Motu*, dum cæteræ partes ex frequenti colliſione, confluxu humoris majore, quàm ut diſcuti poſſit, incaleſcunt. 2. *Putrefactione*, dum ab externo calore internus evocatur. 3. *Contactu* & *vicinia rei calidæ*. 4. *Conſtrictione pororum*, ſi acriores fuligines intercipiantur, corpus ſit minus ſanum; & hæc *præcipua cauſa* eſt, ſine qua aliæ vix quicquam poſſunt. 5. *Permiſtione rei calidæ*.

Curatio febris in genere abſolvitur *Alteratione*, in qua ita procedendum, ne cauſa foveatur: & *Symptomatum* mitigatione.

Symptomata præcipua ſunt: 1. *Sitis*, interiora ventriculi tunicâ vel ardore inarefacta; vel acri, nitroſo, calidoque humore imbuta. 2. *Singultus* humoribus acribus & mordacibus ventriculum vellicantibus. 3. *Vomitus*, aut ab humore calido & bilioſo; aut à frigidiore; aut à craſſiore & tenaci materia; aut à vapore exortus. 4. *Alvi profluvium*, quum ventriculus vel copiâ, vel acrimoniâ, vel malignitate humorum, eo uſque proritatur, ut minimè cibum vel amplectatur vel conficiat: & cum immoderatè frigida bibitur. 5. *Linguæ ariditas, nigredo & aſperitas*, à vaporibus fuliginoſis eandem ita exurentibus, ut ſalivalis humiditas abſumatur, qui interdum à lento humore ſublevantur, circa dentes & fau-

ces hærent, ac linguam lentore quodam obducunt. 6. *Lipothymia* & *Syncope*, quæ modò ab humoris pernicie, modò ab æruginosa, prassina aut atra bile turgente,& è venis in cor subeunte, procedit. 7. *Dispnœa*, quæ præcordiorum oppressionem ab ardore bilis prassinæ circa cor exæstuantis, vel humorum copiâ procedentem,consequitur; nonnunquam cordis aut pulmonum æstum, quum bilis atque putredo circum eas sedes incenditur, aut cùm turgens in venis materia cum impetu prosiliens eò incumbit. 8. *Dolor* capitis, *Vigiliæ,convulsiones Epilepticæ*, &c. de quibus suis locis.

TITULUS II.

De Febribus non putridis.

CAPUT I.

De Febre Ephemera.

FEbris non putrida, vel est *Ephemera*, vel *Synocha simplex*.

Febris Ephemera est febris,quæ à spirituum vitalium in corde incendio oritur, & spacio unius diei durat.

Ephemera dicitur, quòd diem naturalem non transcendat, ut animalculum ephemeron, & colchicum ephemeron.

Signa sunt: Incendium repentinum est, nullo cibi fastidio, aut spontanea corporis lassitudine, aut graviore somno, aut frequenti oscitatione præcedente, nullo aut admodum levi horrore fatigante, nisi sit corpus cacochymicum, exspirationem multam calidam & acrem diffundens, quæ ob cutem à frigore densatam,aut ob exilium meatuum constipationem suppressa,nervos ferit. Urina,colore,substantia,sedimento aut nihil aut minimum à naturali distat, nisi causa quæ febrem invexit, insignem ali-

quam in sanguine mutationem excitarit. Pulsus solito quidem celerior & frequentior est : sed tamen æqualis, ordinatus, magnus & validus. Inspiratio exspiratione major & celerior.

Causæ sunt procatarcticæ : de quibus in Differentiis.

Curatio est *facilis*, nisi vel in Synocham sine putredine, in corpore juvenili & plethorico; vel in putridam die quarto vel quinto, in Cacochymico : vel in hecticam in corpore calido, sicco, raro, abeat. *Absolvitur* 1. *Alteratione* per refrigerantia & humectantia, intra data, & extra ad cordis regionem, pulsus & frontem applicata. 2. *Evacuatione*, seu per venæsectionem, si plethora adest : seu per *Purgationem* blandam, si ab illuvie pravi humoris & levicula obstructione oritur. 3. *Ventriculi roboratione*, ratione humoris & Symptomatum habita.

Differentiæ febris Ephemeræ, à causis petuntur.

I. Alia est ab *Aëre frigido*, *cutim constringente*. Tum invasio fit sine horrore, Urina & pulsus parum immutantur, calor in statu moderatior est. *Tollitur* sublata causa.

II. Alia à *Bubonibus*, quæ *cognoscitur* ex præsentia bubonum, pulsu veloci & magno, calore multo, facie rubicunda. *Curatur* venæ sectione, per quam si sufficienter sanguis detrahatur, bubo modicè apparens, vel repellentibus, vel relaxantibus evanescet : sin minus, fomentis ad suppurationem ducendus est. Vide l. 2. de Bubone.

III. Alia à *Cutis angustia*, quæ *Cognoscitur* ex cute dura & compacta cæteris paribus. *Oritur* à copia sanguinis, frigore adstringente, vel siccitate. *Curatur* 1. *Venæ-sectione*, si sanguis copiâ peccat. 2. *Purgatione*, præmissis incidentibus, si copia crassorum humorum adest, & sudor subsequi solet. 3. *Laxatione* per calida & humida, balneum temperatum,

tum, frictiones modicas, crebram lotionem, si à frigore procedit.

IV. A *Cruditate*, illaque *nidorosa*, quæ *cognoscitur* ex signorum affecti ventriculi præsentia. *Curatur*, 1. *Vomitu*, si nausea & vomendi facilitas adsit. 2. *Purgatione*, si vomitus difficilius tentari potest. 3. *Corroboratione*, per medicamenta qualitate humori peccanti opposita.

V. Alia ab *Æstu, Ira, Mœrore, Vigiliis, Lassitudine*, &c. de quibus omnibus videndi Practici.

CAPUT II.

De Synocha simplici.

FEbris *Synocha simplex*, seu *Ephemera plurium dierum*, *est febris sine putredine, à Spirituum & tenuioris sanguinis effervescentia, sine remissione, tres, quatuor, vel plures dies perdurans.*

Dicitur & *Inflativa*, quia cum sanguis effervescit, vasa distenduntur, & lassitudo corporis sentitur.

Signa ejus sunt, Lassitudo spontanea citra ullum corporis exercitium. Gravitas circa frontem & tempora. Narium quidam pruritus. calor blandus. cutis mador cum membrorum distentione. Pulsus magnus, plenus, frequens, celer. Respiratio difficilis. Urina solito crassior & rubicundior.

Causa est sanguinis tenuioris effervescentia, quæ à transpiratione prohibita, in corpore plethorico multos vapores calidos emittente oritur.

Curatio non est ita *difficilis*, quia robusta corpora magis corripit, vel temperata, vel calidiora, vel humidiora, ætatis mediæ, habitus carnosi ac verè quadrati, nisi in aliam transeat. *Solvitur* interdum sudore vel hæmorrhagia narium copiosa, intra quartum aut ad summum septimum diem, nisi insigni aliquo errore, quem vel æger vel Medicus, vel assidentes

dentes commiserint, in putridam vel morbum gravissimum ex plethora nasci solitum, abeat. *Absolvitur* 1. *Venæ-sectione*, per quam refrigerium oritur, & vaporum minuitur proventus: sed illa celeri, parva, & aliquot vicibus facta. 2. *Evacuatione* primæ regionis, ne fumi porrò coacerventur. Prosunt *Tamarindi*, *Rhabarbarum*, syrupus *rosarum solutivus*, cremor *Tartari*. 3. *Alteratione*, quæ institui debet per potiones refrigerantes, *spiritu salis* & *vitrioli* admisto. Clysteres, Oxyrrhodina, Epithemata, Balnea in iis qui uti consueverunt, sed non nisi post febris rigorem. 4. *Corroboratione*, per *manus Christi perlatas*, *Diamargariton frigidum*, Conservam *rosarum vitriolatam*, *Acetosellæ*, *&c.* 5. *Diæta* refrigerante & humectante.

TITULUS III.

De Febribus putridis in genere.

FEbris putrida vel *in genere* consideratur, vel *in specie.*

Febris putrida in genere, est febris quæ à vaporibus calidis è putredine humorum excitatis, & cor præter naturam calefacientibus, exorta.

Signa illius sunt: *Invasio* cum horrore, & rigore, nulla antecedente causa prægressa; imò nullâ procatarctica, nisi corpus ita dispositum sit, ut levi occasione moveri possit. Accessiones & paroxysmi, quod tamen omnibus non convenit. *Calor* ab initio non acris propter suffocationem, in augmento mordax propter fuliginosum excrementum. *Vrina* cruda, vel obscurè cocta. *Pulsus* ab initio parvus, systole velociore quàm diastole, propter fuliginosorum excrementorum copiam. Sudore vel aliqua excretione levatur.

Causa, & quidem *Immediata*, sunt Vapores putri-

di,acres,mordaces,copiosi, ut difflari nequeant. *Mediata* est putredo humorum,cujus causa 1. In *prima invasione* febris, vel, *Natura ipsorum prava*,ex cibis pravi succi facilè putrescentibus contracta, ciborum præparatione & usu pravis,Partium coquentium vitiis; vel *Agens externum*,ubi habent locum,*Transpiratio* prohibita,*seu* ex pororum cutis angustia : calida enim in loco calido, nisi ventilentur, promtè putrescunt;*seu* ex vasorum & meatuum in corpore obstructione. *Febris Ephemera* in calidis præcipuè naturis. *Calor* à rebus non naturalibus profectus, *Occursus* putredinis humorum. 2. In *Continuatione*, est *partium* coctioni destinatarum *vitium*. μίασμα post paroxysmum relictum, quod humores instar fermenti corrumpit.

Curatio plerumque neglectâ causâ febrem non oppugnat, si præsertim præsidia contra febrem causam augeant, nisi ingens sit. Licet tamen aliquando causam neglectâ febri oppugnare, si nimirum hæc sit remissa, Tutissimum ad alterum ita curam dirigere, ne alterum negligatur. *Absolvitur* I. *Venæ-sectione*, quæ *peragenda*, 1. Propter evacuationem, motus conciliationem & refrigerationem. 2. In continuis die tertio, in intermittentibus ultra; in omnibus mitiori leniente præmisso, si in primis viis aliquid resideat, & tempore mitiori. 3. Cacochymiâ non in primis viis, sed in venâ cavâ cum sanguine permista. 4. Plenitudine præsente. *Repetenda* eodem die, si *evacuationis*: post intervallum, si *revulsionis* fiat gratiâ.

II. *Vomitione*,legitimè instituta, per Aquam benedictam Rulandi, Radices Asari, &c.

III. *Purgatione*,ubi *Lenientia* ob ventriculi imbecillitatem & humorum in mesaraicis copiam, alvi subsidentiam in initiis, sive per Clysteres, sive per potiones, præcedere debent. *Fortiora* subsequantur, 1. *Antegressis*, tum *Coctione*, quod in febribus præser-

præſertim continuis & acutis obſervandum, ex Hippocratis præcepto ; qua humorum putridorum & cum ſanguine permiſtorum, à natura, arte adjuta, facta ſeparatio eſt : tum *Præparatione*, qua viæ & meatus per incidentia deobſtruuntur; (hic *Cichoracea*, *intybacea* & *acetoſa* locum habent) & impedimenta in humoribus removentur, ubi laudatur *Syrupus acetoſus*, *acetoſitatis citri*, ſpiritus *Tartari compoſitus*. dr.j. ſed in bilioſis ob aquam theriacalem cautius adhibendus. 2. *Omiſſis*, ſi humores in venis non in primis viis cum ſanguine ſunt permiſti. Si iidem turgent, id eſt, vel ad partem determinatam moventur, vel ita diſpoſiti ſunt, ut in partem ruere poſſint. Solet namque materia febrilis, initio, licet exigua, fermenti tamen inſtar reliquos humores corrumpens, à natura tanquam ipſi moleſta moveri, & vel extra corpus ejici, vel ad partes ignobiles detrudi.

IV. *Sudatione*, excitata per medicamenta *ſudorifica*, & quidem, *Non admodum calida*, ne febris augeatur; *ſufficientia* tamen, ne materia duntaxat agitetur. *Poſt* reliquas *evacuationes adminiſtrata*, ne tranſpiratio magis impediatur. Licet tamen in *principio* interdum fortiora ſudorifera adhibere, ut fermentum illud diſcutiatur. Toto morbo illis corpus ad ſudores diſponere, ut libera corpori tranſpiratio præſtetur. Quoties opus repetere, ut materia ad expulſionem aſſuefiat. Laudantur, *ſal Abſinthii*, *centaurii minoris*, *cardui benedicti*, *ſpiritus & Rob Ebuli*, *ſambuci*, Magiſterium *matris perlarum*, *oculorum Cancri*, *Antimonium Diaphoreticum*, &c.

V. *Diæta*, in qua præcipuè occurrunt: 1. *Cibus*, qui debet eſſe boni ſucci, facilis concoctionis, pauci excrementi ; ita, ut ſumma virium morbi & cauſæ morbificæ ratio habeatur. Tempora ipſius morbi obſerventur, ne vires obruantur. Quantitas, qualitas,

tas, & modus utendi perpendantur. Licet tamen uti *Pleniore*, virtute ob evacuationem debili. *Tenui*, eadem ob ſuffocationem infirma, ut plenitudo imminuatur, & natura concoctioni humorum rectius incumbat. *Nutrimentoſo*, pro virium conſervatione. *Medicamentoſo*, pro morbi & cauſæ depulſione. Quocunque tempore, virtute per evacuationem & inediam collapſa. In declinatione vel intermiſſione, virtute à morbi vehementia ſuffocata. II. *Potus*, qui debet eſſe *Nutrimentoſus*, in virium imbecillitate. *Medicamentoſus*, pro morbi & cauſæ intentione. Talis eſt, Decoctum *hordei*, *Oxymel*, *ſerum lactis* aniſo, fœniculo & cumino correctum. Julepi refrigerantes. In continuis primis diebus *paucus*, poſterioribus *copioſior*. In intermittentibus inſtante paroxyſmo *nullus*: ne putreſcentis humoris ſeparatio & excluſio impediatur: inſtante ſudore *calidus*, ut iſti promoveantur. *Vinum* in *intermittentibus* auſterum eſſe debet, quia tale humectat, excretiones promovet, facilius diſtribuitur: in *continuis*, circa coctionis initium paucum; in *quartanis* ante; in *progreſſu*, majoris quantitatis. In *declinatione*, ſi virium imbecillitas adeſt. Calor febrilis, non eſt intenſus. Materiæ cruditas non prohibet. Capitis dolor vel ſimiles affectiones abſunt.

CAPUT I.

De Febribus putridis continentibus.

ARTICULUS I.

De Synocho putrida.

FEbres *putridæ in ſpecie conſideratæ*, vel ſunt *Continentes*, ut *Synochus putrida*, & *Cauſus*: vel *continuæ periodicæ*, vel *Intermittentes*.

Synochus putrida est febris à sanguinis in vena cava putredine exorta, sine remissione & intensione periodica, ab initio ad finem affligens.

Signa sunt, Absentia illorum quæ in intermittententibus occurrunt, nisi vel sit composita, in qua horror & rigor occurrit; vel restagnantes in ventriculo humores, vomitus in principio excitent. *Calor* acrior & vehementior. *Vrina* ab initio interdum biduo quum nondum putredo invaluit, senum non multo dissimilis, sed quæ postea crescente putredine, est crassa, rubore multo perfusa, turbida, ac sine sedimento; quamvis interdum crassum, copiosum, ac rubescens sedimentum deponat. *Pulsus* magnus celer, frequens, inæqualis & inordinatus. Difficilis *respiratio*, capitis *dolor*, appetitus dejectio, &c.

Causa est putredo sanguinis, & quidem corpus nutrientis, sive is ex pluribus humoribus constat, sive non. In propria forma considerati. Non totius, sed *Ichorosi* & serosi, qui vitium ex prohibita transpiratione facillimè concipit. *Oritur* illa, vel à *vehementi* per impactos multos, crassos, viscidosque humores, in cute, interioribus jecoris, & aliarum partium venis *obstructione*: vel à *contagio* humores inficiente.

Curatio est *levior*, si statim decrescit. si Symptomata mitiora habet. *Difficilior*, si nullius evidentis causæ vi, sub noctis & somni finem excitatur. si extremos statim labores habet, & sævis Symptomatibus excipitur. Si ei fluxus alvi, initio magnus, vires dissolvens, ex materia prava nigricante, intervenit. *Absolvitur*, I. *Causæ ablatione*, per *Venæ-sectionem* largam, nisi vires obstent. *Purgationem* per mitiora, Rhabarbarum nempe cum Tamarindis. II. *Caloris febrilis temperatione*, per *Alterationem*, ita ut obstructionum in cute summa habeatur ratio. *Corroborationem* per morsellos de citro, conservas, species refrigeran-

frigerantes. *Diætam*, quam vide apud Practicos, & cujus superiore capite facta est mentio.

ARTICULUS II.

De Causo.

C*Ausus seu febris ardens, est febris continua, à sanguinis in vasis majoribus putredine exorta, cum ingenti siti & calore urgente continuò affligens.*

Dicitur etiam πῦρ, quod flagrantissima sit. ἀσώδης, quod ægros maximè inquietos reddat. ταραξώδης, quod spectris quibusdam imaginatis ægri terreantur. & περικαὴς πυρετὸς, ob urgentis caloris copiam.

Signa pathognomonica sunt *sitis* ingens & *calor* urens, illa tamen tussi, quæ humorum affluxum causatur, mitigatur. His accedunt, magna *corporis jactatio*, à magno fervore tenuiumque vaporum acrimonia corpus undique lacessente. *Vrina* pauca, ob copiam sudoris & caloris urinam absumentis: interdum cruda & turbida, quæ subsidentibus partibus extraneis, & resoluto turbido Spiritu, postea clarescit; nonnunquam tenuis biliosissima & flammea. *Dejectio*, nisi fæces ab ardore febris torreantur & indurescant, liquida & crocea, bile in ventrem effusâ, fæcesque diluente. *Pulsus* celer, frequens & inæqualis. velocior enim systole, quia fuligines graviter urgentes, arteriæ, celeri compressione expellere conantur. *Respiratio* difficilis, & exspiratio inspiratione ob auctam necessitatem ignei halitus emittendi, celerior. *Oris* amaritudo, quia bilis tunicam ventriculi internam ori communem imbuit. *Linguæ* ariditas, scabrities, & nigror, quia ardor linguæ humiditatem absumit, & suas fuligines in lingua deponit. *Desipientia*, ob bilis ad caput recursum; quæ si tremorem excipiat, transferri humorem biliosum è venis in nervos, à nervis in cerebrum indicatur.

Somni interdum profunditas , in minus exquiſita præſertim ; quia craſſi vapores in cerebrum ſublati, ejus meatus obfarciunt.

Cauſa eſt *ſanguis* putreſcens, peculiari jecoris proprietate , ex alimentis nimia calefaciendi vi præditis : vel crudis , refrigerantibus , facilè corrumpi aptis, &c. exortus. qui eſt vel *Bilioſus* , & tum ſymptomata in definitione poſita vehementiora ſunt; ac *Cauſus exquiſitus* vocatur : vel *Pituitoſus* , & tum ſymptomata mitiora, ipſe *Nothus* appellatur.

Curatio exigit , ut febris, cauſæ , & virium ægri ratio habeatur. *Solvitur* febris variis *excretionibus*, præcipuè *Rigore* , die critico , ſignis coctionis apparentibus , ſuperveniente : idque non propter rigorem, ſed propter excretionem, cujus prænuncius rigor eſt. *Abſolvitur* I. *Venæ-ſectione* , ut ardor ſanguinis reprimatur , plenitudo ſanguinis minuatur, vitium ipſius corrigatur. *Fieri* debet *initio*, validioribus adhuc viribus , & quia velociſſimus motus, præcipitem occaſionem oſtendit. *Non fieri* , ſi ab inanitione, inedia, itinere æſtivo, reſiccatis venis, & conſumto ichore febris oriatur. ſi ætas , ſexus , vel aliud quidpiam non permittat. Tum ſcarificationes, cucurbitulæ,&c. vicariæ ſunt. II. *Purgatione*, per medicamenta cholagoga refrigerantia , vel temperata, ut flores Caſſiæ, Syrup. roſarum ſolutivum. III. *Vomitione*, ſi nauſea adſit,& ventriculus humore bilioſo, quem oris amaritudo prodit , infeſtetur. IV. *Alteratione* & præparatione per medicamenta refrigerantia, ubi nota , *Externis* demum locum eſſe, poſtquam ardor febrilis internis refrigerantibus repreſſus , & humor putreſcens majori ex parte eductus videtur. V. *Corroboratione* virium per potiones, condita, tabellas, &c. VI. *Symptomatum mitigatione :* de quibus vide in ſuis capitibus. VII. *Diætâ* : de qua ſuperiora vide.

CAPUT II.

De Febre continua periodiaca in genere.

FEbris continua periodica vel *in genere*, vel *in ſpecie*, ſpectatur.

In genere ſpectata, eſt febris ab humoribus excrementitiis in venis, inter magnas & capillares mediis, putreſcentibus, exorta, certis periodis, abſque intermiſſione remittens.

Signa ſunt, quod quidem remittat, nunquam tamen ad ἀπυρεξίαν deveniat, & certis periodis exacerbetur. Exacerbationem nullum frigus, horror vel rigor antecedit, neque remiſſionem ſudor ſequitur. *Remittit* ſine intermiſſione, ob permiſtionem humoris cum ſanguine, qui expelli non poteſt, niſi coctus. *Exacerbatur* certis periodis, tum ob appulſum materiæ inæquali copiâ ad cor, propter loci diſtantiam, ſi exactè eas non obſervet: tum ob communicationem materiæ novæ, à membris ſecundæ coctionis, ſi ſtatas attendat.

Cauſæ ſunt *Humores excrementitii*, qui naſcuntur in liene & epate, vel ſuo, vel chyli vitio; poſſunt tamen & in meſaraicis generari, & ad epar deduci. Non tantùm *confunduntur* cum ſanguine, ſed & *permiſcentur* cum eo. *Locus* illorum ſunt venæ, non majores quidem, ſic enim eſſet continens; nec minores, ſic enim intermittens: ſed *mediæ* inter magnas & capillares.

Curationis ratio in ſpeciebus videatur.

ARTICULUS I.

De Febre continua primaria.

PUNCTUM I.

De Febre Continua tertiana.

FEbris Continua in ſpecie conſiderata, vel eſt *Primaria*, vel *Symptomatica.* Illa nullo antecedente morbo exoritur: & eſt vel *Tertiana*, vel *Quotidiana*, vel *Quartana.*

Tertiana continua eſt febris, à ſanguine bilioſo in venæ cavæ propaginibus putreſcente exorta, continuò ſed tertio magis die affligens.

Signa ſunt, febrium continuarum & ardentium ſymptomata, *tertio die* recurrens *exacerbatio,* ex ratione bilis, quæ ita movetur. *Remiſſionis* cauſa eſt; tum diſtantia loci, ubi vapores generantur: tum minor ipſorum copia, propter quam totum priuſquam aliud in ejus locum ſuccedat, diſſipatur.

Cauſa eſt *ſanguis bilioſus*, & quicquid cacochymiam bilioſam in venis cumulare, & cumulatæ putredinem inducere poteſt. *Curatio abſolvitur.* I. *Venæ-ſectione*, quia humor cum ſanguine permiſcetur, præmiſſo clyſtere. II. *Alteratione*, lenientibus præmiſſis, ubi Syrupo roſarum ſolutivo ſemper aliquid acetoſi adjiciatur, ut facilius in venas penetret, nec calore ventriculi in vaporem vertatur, qui ſitim excitet. *Exhibeantur* jejuno ventriculo, ne concoctio violetur. *Modicè*, ne cruditatibus ſint cauſæ. Laudatur *Spiritus Nitri, ſalis*, &c. *Topica* cordi quod maximè afficitur, ſed non ante ſtatum, applicentur. *Non frigida*, ne calor verſus interiora collectus & repulſus magis urat. III. *Evacuatione per inferiora*, & quidem, *in principio*, ſi materia urgeat, ſi ſit copioſior, & vires robuſtæ, *mitioribus* inſtituatur, ubi Rhabarba-

barbarum & Myrobalani in infusione potiùs cum aquis refrigerantibus sumantur. *Post concoctionem*, si natura sit pigrior. IV. *Evacuatione per sudorem*, per *Diuretica*. V. *Victu*, qui oppositus sit morbo & causæ. Convalescentes, si febris evacuatione *perfectâ* criticâ solvitur, nunquam ad satietatem plenam edant. sæpius, sed parùm. Inanitione omni, ventris dejectione exceptâ, abstineant. *Electuario Diarhodon* ad ventris corroborationem utantur. Si *imperfecta*, ita ut reliquiæ maneant, eas evacuent, per urinas præsertim. Tenui cibo utantur.

Differentiæ ex *Causis* sumuntur.

Ala est *biliosa*, à sanguine bilioso, puro, & exquisito, quem epar peculiariter affectum producit. Hæc acriore calore, siti, & vigiliis magis infestat. in illos qui bile abundant, cadit. Pulsus est vehemens, velox, durus. Urina flammea, tenuis, septem vel quatuordecim exacerbationibus terminatur. Non est *lethalis*, nisi vel error aliquis insignis committatur, vel malignitas aliqua adsit.

Alia est *Pituitosa*, vel *Melancholica*, quando sanguini bilioso pituitosus vel melancholicus miscetur, ubi refrigerantibus simul leniter calefacientia & incidentia jungi debent. Dicitur *Notha*.

PUNCTUM II.

De Febre continua quotidiana.

Continua quotidiana est febris ab humore pituitoso in venæ cavæ propaginibus putrescente excitata, singulis diebus suas exacerbationes exercens.

Signum est exacerbatio quotidiana, quæ fit circa vesperam, propter pituitæ motum, cum calore primò attactu miti, post acriore, propter lentam & inæqualem, ex varietate partium pituitæ accensionem. Cum levi partium extremarum refrigeratione, quod tamen perpetuum non est.

Causa eſt Humor pituitoſus putreſcens, qui ſenibus ob frigiditatem, pueris ob *ἀδδηφαγίαν* proprius eſt. tam pertinacem febrem inducit, ut ad *ſexageſimum* interdum diem duret, principium ante vigeſimum diem non abſolvat. Ventriculum vehementer debilitat; unde *Cachexia* & *hydrops*.

Curatio ita inſtituenda eſt. I. *Primæ viæ* clyſteribus vel lenientibus medicamentis (*mel roſatum* hic valet) *evacuentur*; vel ventriculus vomitu purgetur. II. *Vena* ſecetur, ſi natura nimiâ humoris copiâ obruitur, & urinæ ſunt craſſiores & rubicundiores. III. *Purgetur per inferiora*, præmiſſis attenuantibus, quæ minùs calefaciunt, & ſignis coctionis apparentibus, leni primò, mox fortiori medicamento. Valent *Agaricus* trochiſcatus, *hiera* picra, pillulæ de *fumaria*. IV. *Sudores* cieantur, imminutâ jam materiâ, per ſal *Abſinthii*, & *Carduibenedicti* cum pauxillo *Theriacæ*. V. *Confortantia* adhibeantur, Trochiſci videlicet de *Rhabarbaro*, *Abſinthio*, *Eupatorio*, &c. VI. *Victus* præbeatur, parcior tribus diebus, ſi cruditates in ventriculo & primis viis adſunt. In principio hydromel loco vini adhibendum. piſces ſemper vitandi.

Dividitur hæc febris tripliciter.

I. Alia eſt *Simplex* & *exquiſita*, quæ à ſola pituita exoritur, paroxyſmos ad 18 horas protrahit. Alia *Notha*, quando pituita aliis humoribus jungitur.

II. Alia eſt *Epiala*, in qua per minimas corporis particulas (ad ſenſum tales intellige) uno eodemque tempore, calor & frigus ſentitur. *Oritur*, vel à pituita cum bile conjunctâ; vel à pituita vitrea, parte, qua putreſcit, calorem; quâ non, frigus inferente. *Curatur*, eodem quo aliæ putridæ modo, ſed obſervandum, 1. *Venæ-ſectionem* eſſe noxiam. 2. Ad pituitæ inciſionem, Spiritum *Nitri* in aqua Juniperi eſſe inſignem. 3. Vomitionem, quæ Unc. vj

aquæ

aquæ juniperi per deſcenſum deſtillatæ, excitari poteſt, non negligendam. 4. Ventriculi rationem habendam, cui vires afflabit, pituitam ſimul incidendo, ol. *Vitrioli* gutt. ix. cum tribus cochlearibus vini generoſi; vel *Aquæ vitæ* ex granis *juniperi* per adſcenſum deſtillatæ unc. duæ.

III. Alia eſt *Syncopalis*, à Symptomate nomen habens; quæ vel eſt *Minuta*, ab humore tenui, pauco, ſed venenato & corrupto: vel *Humoroſa*, à pituitoſorum & crudorum humorum copiâ, cum oris ventriculi debilitate, & frequenti ſyncope. In *Curatione* optimè proceditur. 1. Per *frictionem*, in quibus cutis durior. 2. Per *laxationem*, adhibitâ mannâ cum cremore Tartari. 3. Per *concoctionem* & evacuationem humorum, illis quæ ad ſyncopen ſunt neceſſaria adhibitis. 4. Per *Diætam* tenuem, in qua & vinum locum habere poteſt.

PUNCTUM III.

De Febre Continua quartana.

Febris quartana continua, eſt febris à ſanguine melancholico in venæ cavæ propaginibus putreſcente, exorta, cujus calor ſemper durat, ſed quarto die intenditur.

Signa ejus ſunt, *Calor* obtuſus, ſed acris & propter humoris per putredinem febrem excitantis denſitatem & ſiccitatem pungitivus. *Pulſus* initio parvus, tardus, & ſubmerſus; poſtea magnus, plenus, & celerior, quàm in intermittente. *Exſpuitio* interdum frequens, nimiam ventriculi humiditatem, vel lienis humorem melancholicum non ſecernentis vitium arguens.

Cauſa eſt ſanguis melancholicus, in venis mediis putreſcens, à propriis cauſis ortus.

Curatio eſt in totum *difficilis*, tum quòd ad qua-

dragesimum diem & ultra protendatur, nisi fortè æstiva sit: tum, quod quia ægrè putrescit, magnam causam subesse indicet. *Absolvitur* 1. *Venæ* sinistri brachii interni *sectione*. 2. *Præparatione* humoris, quæ magis ad humectationem vergere debet. 3. *Purgatione* per melanagoga sæpius instituta, ad quæ sudorifera & Diuretica referantur. 4. *Virium roboratione* per buglossam, borraginem, Acetositatem citri, &c. 5. *Diæta*, ubi victus debet esse incidens, humectans & refrigerans, &c.

ARTICULUS II.

De Febre Continua Symptomatica.

F*Ebres Symptomaticæ sunt, quæ alios morbos insequuntur, iisque sublatis cessant.*

Signa earum, *causæ*, & *curatio* ex morbis, quos sequuntur, peti debent.

Differentiæ ipsarum sunt variæ.

I. Alia est, quæ *partis alicujus interioris præsertim & cordi vicinæ, vel consensum cum illo habentis, inflammationem sequitur*, vaporibus è sanguine in partem inflammatam effuso & putrescente, cordi communicatis, & idem calefacientibus. *Totuplex* est, quotuplex est Inflammatio. *Curatio* inflammationem respicit.

II. Alia est *Lipyrias*, in qua toto morbi decursu interiora quasi uruntur, exteriora frigent. *Oritur* ex vehementi alicujus partis interioris, inprimis ventriculi, inflammatione, vel erysipelate, sanguine & spiritibus ad locum inflammationis concurrentibus. Vel *non* est *curanda*; vel si suscipitur, *intra* putrefactioni & refrigerationi resistendum; *Extra* post partium frictionem, calefacientia & poros aperientia applicanda. Valet hic ol. *Anethin.* & *irinum*, cum ol. vitrioli, & aqua cremabili Juniperi.

III. Alia

III. Alia *Lenta*, quæ *cognoscitur* exinde, quod calore lento, cum quo notæ putredinis in urina & pulsu apparent, affligat. Nullo gravi Symptomate ægro molesta sit. Vires collabantur, ut æger vix progredi possit. Corpus sensim contabescat. Ultra quadragesimum diem protrahatur. Purgantium usu exasperetur. Nullum ordinem servet. *Oritur* ex materiæ extra vasa in visceris alicujus substantiam effusæ, aut certè in capillaribus vasis per visceris substantiam dispersis, impactæ, putredine, visceris, substantiam labefactante. unde tanta copiâ, vapores versus cor ferri nequeunt. *Curatur* aperientibus, attenuantibus, & detergentibus, cuique parti appropriatis. *Purgandum* quoque leniter, &c.

IV. Alia, quæ *ex visceris alicujus putredine & corruptione oritur*, Unde putridi vapores per venas cordi insertas communicantur, illudque calefaciunt. Est modò *mitior*, modò *vehementior*. Accidit plerumque in *pulmonis putredine*, *fistulis* ad interiora penetrantibus, *Omenti*, *mesenterii*, *uteri*,&c. corruptione. *Rarò* sunt curabiles. *Curatio* ad internarum partium ulcera & fistulas dirigenda.

V. Alia, quæ vel ex *lacte corupto*, quod sæpe infantibus accidit; vel *sanguine* alicubi extra vasa *putrescente*; vel vermibus; vel *cruditate*, Infantibus ex ἀδδηφαγία, cum hypochondriorum tumore & inflatione familiari, exsistit, vaporibus putridis cordi communicatis. In *Curatione* causarum & partium affectarum habenda est ratio.

CAPUT III.

De Febre intermittente in genere.

FEbris intermittens est febris à vaporibus ex humoribus in venis mesaraicis genitis, putrescentibus, & in venam cavam subinde emissis prodeuntibus,

exorta, certis periodis invadens, & cum excretionibus desinens.

Signa ipsius sunt, *Invadere* periodicè, cum rigore, horrore, vel frigore, vellicatis partibus sentientibus, à vapore acri. *Desinere*, per sudorem, urinas, vapores per poros cutis emissos; scabiem, si pars crassior in ambitum corporis protruditur. *Invadere* autem eam & *recurrere* certis periodis, necesse est. Manet enim μίασμα in foco putredinis, cum imbecillitate in parte. Hinc humor affluens etsi bonus sit, ab inquinamento tanquam fermento inquinatur, & ob partis debilitatem corrumpitur. *Fit* verò hic *recursus*, 1. Partim propter *humorum diversitatem*, cum perpetuo illis conveniat, nec unquam variet, in quodcunque tandem corpus inciderit: partim ob *peculiarem* eorundem *qualitatem*, quæ vel cœlestibus causis adscribi debet; vel ex peculiari corruptione oritur. 2. *Fit* vel *æqualiter*, aut ob aliquod externum humores commovens anticipando: vel humoribus imminutis postponendo. *Paroxysmi* etiam, vel sunt *Breves*, si materia sit pauca aut tenuis, corporis constitutio rarior, vires robustæ; vel *Longi*, si in contrarium.

Causa proxima est *vapor putridus*, ab humore exortus, & cor impetens. De *Humore* tria observanda. 1. *Humorem* istum esse *putridum*, quod ex urina putredinem præ se ferente apparet. Nec tamen *totus* simul in primo paroxysmo putrescit, sed *pars* duntaxat, quæ putredini apta est: reliqua in reliquis, donec tota absumatur. II. Humoris istius *focum*, *fomitem* & *locum*, tam extra paroxysmum, quàm in eo, *venas mesaraicas* esse. Patet id *tum* ex nausea, vomitu, præcordiorum tensione & dolore, &c: *tum* ex bilis in initiis febrium, sæpe maximâ copiâ ejectione, quæ è venis remotioribus, hoc modo evacuari non potuit: *tum* ex eo, quod instans paroxysmus,

roxyſmus ex pulſuum compreſſione initio paroxyſmi, & tempore illo, quod Græci ἐπισημασίαν nominant, colligatur, & materia per urinas evacuetur. III. Humorem iſtum ſubinde in venam *cavam* & *arteriam* emitti. Sanè cruditas & coctio in intermittentibus deprehenduntur. In principio humores à circumferentia ad centrum moventur. Cùm verò venæ portæ rami in ſubſtantiam epatis inſerantur, & horum oſcula cum venâ cavâ communionem habeant, & arteriæ à corde progreſſæ, in ventriculo, inteſtinis, liene, & alibi vaſis meſaraicis conjungantur, manifeſti ſatis ductus, per quos hi humores eò deriventur, erunt.

Curatio intermittentium febrium inſtituitur, I. *Debilitatis* in parte conſiſtentis *remotione* per *Alterantia*. II. *Inquinamenti* putridi *ſubductione* per *Purgantia*, *Venæ ſectionem*, ſi ſanguis in vena cava abundet, & à vitioſis humoribus corrumpatur. Per *Sudorifera*, quæ maximè hîc valent. Laudantur in principio præcipitantia, ut pulvis è *cochlearum teſtis Crollii*, Pulvis è *matre perlarum calcinata* ſcrup. IV. pondere, & Magiſterium *Oculorum cancrorum*. Extra applicantur, Telæ *aranearum* cum *unguento populeonis, Tinca piſcis ſoleis alligatus*, &c.

ARTICULUS I.

De Tertiana intermittente.

FEbris intermittens in ſpecie conſiderata, vel eſt *Tertiana*, vel *Quotidiana*, vel *Quartana*. Dantur tamen & *quintanæ*, *ſeptanæ*, *octanæ*, *nonanæ*. Tales verò rariores typi, ſunt ſpecies ſimplicium typorum, interpolata acceſſione una aut pluribus. *Quintana* eſt ſpecies tertianæ, in qua tertia dies eſt ſine acceſſione.

Febris intermittens tertiana, eſt febris, à bile excremen-

crementitia in venis meſaraicis putreſcente exorta, tertio quoque die, cum rigore, quem calor & alia inſequuntur, affligens.

Signa ſunt, *paroxyſmus* alternis diebus cum rigore impetens. Rigore ceſſante *calor* multus, *Pulſus* initio acceſſionis parvus, tardus, poſt frequens. *Vrina* ſubrufa, &c.

Cauſa, eſt *Bilioſa* colluvies in venis meſaraicis, vel ſola, vel cum aliorum admiſtione putreſcens, ab alimentis corruptibilibus, vel aliis eam generantibus exorta, & vapores putridos ad cor emittens.

Curatio perficitur, I. *Evacuatione* primarum viarum per medicamenta lenientia, vel Clyſteres. II. *Vomitu*, ſi materia ad ventriculum tendit, & æger cardialgia, nauſea, & deſiderio vomendi moleſtatur: ſed ita, ne humores è venis ad primas vias trahantur. Laudatur *ſal vitrioli*, *Aſarum*, *Geniſta*, *Aqua formicarum*, *ſed cautè exhibita*. III. *Venæ ſectione*, ſi humor è prima corporis regione in venam cavam penetravit, quod ex urinis rubicundis cognoſcitur; quæ in intermiſſione inſtitui debet. IV. *Præparatione* per medicamenta refrigerantia, humectantia, & primas vias extergentia. Valent *Taraxacum*, *Acetoſa*, *Hordeum*, *Cichorium*, ſpiritus *ſalis*, *vitrioli*, *Cremor Tartari*, *Tartarum vitriolatum*, ſyrupus *de acetoſitate Citri*: nec non ex ſpecificis, *Centaurium minus*, *Morſus Diaboli*, &c. V. *Purgatione* per alvum, & quidem die intermiſſionis ut plurimum; die paroxyſmi, ſi materia alvum inclinet. Valet *Rhabarbarum*, Syrupus de *Cichorio cum Rhabarbaro*. VI. *Sudatione*, per *ſudorifera*, ſalem *Abſinthii*, *Centaurii minoris*, *Cardui bened. Cornu cervi* præparatum, Magiſterium *matris perlarum*, quæ vel ante paroxyſmum, vel in fine exhibenda ſunt. VII. *Roboratione* Epatis & ventriculi. Valet

ſal

ſal *abſinthites* in ſpiritu Nitri ſolutum, & rurſus in Cryſtallos coagulatum ad ſcrup. j. VIII. *Topicorum applicatione.* Talia ſunt, *Cataplaſma* Mynſichti p. 368. Pulvis *ſiligineus* cum vireſcente ſalvia, addito albumine ovi & aceti pauxillum contuſus, & carpis alligatus. *Potentilla* herba cum ſale & aceto ſoleis & pulſibus in paroxyſmo applicata. *Cataplaſma* ex radic. Bryoniæ, Hellebori nigri, ſale nigro, pipere albo, croco, & ficubus. Dividitur in *Exquiſitam*, *Notham*, & *Pernicioſam.*

I. *Exquiſita* eſt, quæ *cognoſcitur* ex eo, 1. quod *Rigor* in prima acceſſione ſit *vehemens* & pungitivus, ab halitu & humore tenuiſſimo & pauco, è venis excidente exortus. *Exiguus*, ſi materia ſit copioſa; nec ſubito moveatur: *vehementior*, quo materia eſt tenuior & acrior, facultas expultrix validior, & partium ſenſus exquiſitior. 2. quòd *calor* ſit multus, acer, & mordax, in vigore quoquo verſum extenſus. Et manu diutius detenta, propter facilem bilis diſcuſſionem miteſcat, quo tempore levi madore corpus perfunditur. 3. quòd *pulſus* initio acceſſionis ſit parvus, tardus, materiâ nondum à calore oppreſſo evictâ, ſed tamen non retractus; in progreſſu, vehemens, velox, frequens, parùm durus, conſtrictionis propter fuliginum ex materia recenter inſtar humidorum lignorum accensâ, copiam, velocioris: in intermiſſione dilatationis velocioris propter caliditatem particulæ, in foco putredinis relictæ, reliquis humoribus communicatæ, & ad cor delatæ. 4. quòd *Paroxyſmi* ultra duodecim horas non extendantur. 5. quod *Vrina* ſit ſubrufa & ſubflava conſiſtentiæ mediocris, nebulam quandoque albam vel enæreoma circuitu primo exhibens: & tum ultra quartũ paroxyſmum febris non protenditur. *Oritur* à bile, interdum illi ſimili, quæ in folliculo fellis eſt, in primas vias regurgitante, interdum æruginoſa aut viridi, in ventriculo

& venis producta. *Curatio* est *facilior*: septem enim circuitibus ut plurimum judicatur. *Terminatur* vel *sudore*, si in venas per ambitum corporis humor rejicitur; vel *vomitu*, & *alvi dejectione*, si ad ventriculum & intestina: vel *nullo* horum, si magna pars in venis mesaraicis consistet; & tum fiunt, circa præcordia angustiæ, dolores & inflammationes. *Venæ sectio* ante paroxysmum tertium administranda, ne in statum incidatur.

Notha est, quæ *cognoscitur* exinde, quòd *Calor* sit mitior, nec per universum corpus diffusus. quod nec vomitu nec sudore solvatur, sed vapore in declinatione exeant. quod *pulsus* sit initio durus, duritie ad septimum augescente, in progressu cum urinis coctioribus mollior. quod *paroxysmus* sæpe ad horas 18 extendatur, & febris sæpè ad decimum quartum, interdum & ad vigesimum pertingat. *Oritur* à *bile* cum melancholia vel pituita commixta; nec solum æstate, sed vere, autumno, & hyeme generatur. In *Curatione*, venæ sectio post tertium paroxysmum, ubi plus humoris morbifici sanguini in vena cava jam permistum est, administrari debet. In *præparatione* ad diversos humores respiciendum.

III. *Perniciosa*, ex septem causis evadit. 1. Si ab ægro vel Medico *error* committatur. 2. Si *humor* extra vasa emittendus, ob occlusionem illorum in primarium membrum *incumbat*. 3. Si sit nimis *tenuis*, & putridus. Inde enim frequentia animi deliquia, sudor absque alleviamento nimius. 4. Si *pravitatem peculiarem* vel ob ustionem, vel ob alimenta *habeat*. Inflammatis enim humoribus, oriuntur *linguæ* asperitas & sitis inexhausta, *Oculorum* ob spirituum resolutionem excavatio. *Urina* ignea cum biliosis alvi dejectionibus. Totius *corporis* dolor ulcerosus. *Sudoris* propter materiæ crassitiem paucitas. 5. Si *crassus à calore fusus in aliquam partem decum-*

decumbat. Hinc ſequitur, propter difficultatem & facilitatem accenſionis, inæqualis accenſio. Humoris craſſi, & qui paucus in vaſis majoribus eſſe videbatur, ex rarefactione per accenſionem facta, in extremis vaſis, ad quæ à tenui deductus eſt, fuſio & copia. Inde fit, ut calor rigore, & rigor calore interpoletur. Urina ſit aquoſa, multi ſedimenti & craſſi. Pulſus ſit interdum interceptus. In declinatione ab umbilico ad caput ſudetur. Nec augmentum, nec ſtatus, nec declinatio æqualia ſint. 6. Si malignitatem contagioſam ac peſtilentem contrahat. 7. Si calor vel uterum in conſenſum trahat, & humores in eo contentos moveat, vel periculoſum catarrhum, aſthma, vel arthritidem excitet.

ARTICULUS II.

De Quotidiana intermittente.

QVotidiana intermittens, *eſt febris à pituita in venis meſaraicis putredine exorta, ſingulis diebus invadens.*

Signa ſunt. Cauſarum pituitam generantium prægreſſus. *Invaſio* quotidiana, & quidem ſæpius nocturna, unde majus periculum ob incommodum medicationis tempus; & illa cum horrore & refrigeratione. *Calore* lento, halituoſo, nec, ubi ſe per corpus diffudit, valdè urente. Cum præcordiorum difflatione & intumeſcentia. *Vrinis* principio albis, tenuibus & crudis; cum materia concoquitur, craſſis, turbidis & ſæpe rubris. *Pulſus* eſt valdè parvus, rarus, & tardus. *Paroxyſmus* ad horas octodecim, interdum viginti quatuor extenditur. *Vomitus* & *ſudor* ſi ſunt ab initio, proficiſcuntur à valida natura, non craſſo humore.

Cauſa eſt *Pituita* in venis meſaraicis putreſcens, quæ *colligitur* propter imminutum viſcerum calorem, alimentorum humidam & frigidam naturam.

Eorun-

Eorundem copiam & abundantiam. *Putrescit*, propter causas enumeratas.

Curatio est sæpe *lubrica*, tum quod ad dies 40, imò menses tres & ultra duret: tum quòd ventriculo & epate validè læsis, ægros in cachexiam conjiciat. *Peragitur*, I. *Materiæ peccantis præparatione*, per medicamenta convenientia, moderatè calida, quam & clyster & levis vomitus præcedere potest. II. *Ejusdem* jam concoctæ *evacuatione*, Per *vomitum*, ubi extractum *Esulæ*, & Aqua *ex radicibus raphani & nuc. jugland. viridibus* cum aceto destillata, laudantur. Per *Purgationem* Phlegmagogam. *Sudorem*. III. *Ventriculi & epatis roboratione*. IV. *Diæta*.

Differentias pro ratione causarum sortitur.

I. Alia est à *pituita crassa*. Tum *Vrina* est alba & tenuis, sed paulatim postea rubescere incipit, & hypostasis crassior efficitur, ac os continua madescit. Fortiora *remedia* ad sui concoctionem exposcit, eaque repetita; quibus *Tartarea* semper adjici debent. Vomitus, pillul. *Mercurial.* benè cietur. *Purgationi* infusum *Diacarthami* & fol. sennæ cum Zingibere in aqua Centaurii minoris, additis aliquot spiritus Vitrioli guttis, inservit. Singulis *septimanis* semel drach. i. Theriacæ Androm. exhiberi potest.

II. Alia est à *pituita tenui acida*, & Tum frontis & sinistri hypochondrii dolor, alvi obstructio, acidæ eructationes adsunt. *Curanda* scitè, ne in quartanam abeat. *Vena epatica* sinistri lateris secari poterit. Ante paroxysmum specificum aliquod exhibebitur.

III. Alia à *pituita tenui salsa*. Tum salsedo & ariditas in lingua percipitur. Urina rubea & crassa cum caloris & acrimoniæ sensu prodit. Vena epatica dextri brachii incidi poterit.

ARTICULUS III.

De Quartana intermittente.

QVartana intermittens, *est febris ab humore melancholico in venis mesaraicis exorta, quartò quoque die ingruens.*

Signa illius sunt: *Pandiculatio* & oscitatio, sequente *rigore*, qui ab initio exiguus; progressu, iis qui hyberno tempore refrigerantur, similis, non tam pungens, quàm contundens. *Calor* propter materiæ crassitiem paulatim succensus. *Paroxysmorum* quarto die reditus. *Pulsus* rarus ac tardus, sed in vigore paroxysmi velox & frequens. *Vrinæ* in principio tenues & aquosæ, pòst coloratiores & crassiores. *Sudores* primò paucissimi, pòst maximi.

Causa est Humor est melancholicus, in venis mesaraicis circa lienem & vicina viscera, ex causis similibus, inter quas & *Acetum* est, collectus & putrescens.

Curatio est in totum *Gravis*. Diuturna enim est, & ad annos interdum se extendit, si præsertim autumno incipiat. *Gravior* tamen, si ab atra bile proficiscatur. si in senes, quorum calor imbecillior materiam vincere non potest, incidat. si sit duplex. si cum graviore visceris alicujus affectu conjungatur. *Levior*, si sit legitima, & sine visceris alicujus affectu. Alias quartanâ correpti, convulsionibus non admodum corripiuntur; aut si corripiuntur, materia ad hypochondria vergente, nec ampliùs in venis cum sanguine permistâ, à quartana liberantur. *Absolvitur* in *genere* primò *lenioribus*, pòst *fortioribus*. In *specie*, 1. *Venæ* vel basilicæ vel medianæ *sectione*, statim in principio, primis viis evacuatis, si plethora adest; non statim, si abest; administrata. *Copiosiore*, si sanguis niger & crassus prodit; statim *supprimenda*,

ſi tenuis. II. *Materiæ* peccantis *præparatione* & *concoctione*, iterata, per humectantia, ſplenica; ut ſunt *fumaria*, *capillus Veneris*, *ceterach*, Radices *Eryngii*, decoctum *Raporum*, Syrupus de *pomis redolentibus*, &c. III. Ejuſdem *evacuatione*, ſeu per *Vomitum*, poſt quem ante ſequentem paroxyſmum exhiberi poteſt drach.i. *Theriac. Androm*: in vino reſolutæ: ſeu per *Purgationem*, cui inſerviunt, primò, pillulæ *Tartareæ* vel Quercetani, vel Sennerti; mox Exter. *hellebori nigri*; tandem pillulæ de *Sagapeno Camilli de Camillis* in Pharmac. Quercetani: ſeu per *Hæmorrhoides*, applicatis ſanguiſugis: Seu per *ſudores*, quos *Theriaca*, *Antimonium Diaphoreticum*, ſal *armoniac. depuratum* gran. VI. vel X. in aqua Cichorii ante paroxyſmum, &c. benè cient. Feliciter purgatio brevi ante paroxyſmum, viribus ſtantibus & coctione apparente, datur. IV. *Viſcerum*, & lienis inprimis, *roboratione*, per ſua appropriata, nec febrem augentia, tam externa, quàm interna. V. *Symptomatum mitigatione*. Rigoris per *Theriacæ*, vel Aquæ *vitæ* quatuor ante acceſſionem horis exhibitione. *Doloris* dorſi, per ſacculi Hartmanni c. de febri quart. applicationem. VII. *Diæta*, ubi obſerva. die paroxyſmi ab omni cibo abſtinendum eſſe. Vinum maturum & tenue concedi. *Appropriata* ſunt, in hac febre, *Ammoniacum* ſepties ſublimatum. Pulvis *ſerpentum* in convenienti vehiculo pondere ſcrup. j. vel iſs. ante paroxyſmum datus. *Cor leporis*, ut pulmo vulpis præparatum. Oleum *Myrrhæ* à gutt. 4. ad 8. ante paroxyſmum.

Diſtinguitur febris quartana *dupliciter*.

I. Alia eſt à *Melancholia naturali*, in qua humectantibus & moderatè calefacientibus agendum.

Alia ab *Humoribus aduſtis*, quæ *Cognoſcitur* ex appetentiæ proſtratione, ſiti vehemente, capitis dolore, urinæ rubedine. *Oritur* ab illis, quæ humorem

rem adurere possunt. In *Curatione* moderatè refrigerantibus agendum, quibus in progressu morbi incidentia & attenuantia succedere debent. Laudatur *balneum aquæ dulcis*, vel potiùs pedum lotio.

II. Alia est *Ex se, sine morbo præcedente.* & tum, victus primò paulò tenuior convenit; hinc paulò crassior conceditur; tandem versus statum tenuior præbetur.

Alia *alium morbum sequitur.* Tum, Victus primum paulò crassior exhibendus. dein sensim versus statum aliquid de eo detrahendum. in paroxysmo nihil sumendùm.

III. Alia est *Mitior*: de qua in superioribus est actum.

Alia *Periculosa*, quæ ex eo *Cognoscitur*, quòd quarto die paroxysmus cum maxima virium debilitate redeat, Urina sit valdè rubra & turbida. *Oritur* à morbis ardentibus, atrâ bile ex adustione vel Melancholici humoris, vel flavæ bilis & in cinerem conversione generata, &c. *Curatur* difficillimè.

ARTICULUS IV.

De Febribus compositis, & Semitertiana.

F*Ebres compositæ sunt, cùm febris cum febre conjungitur.*

Conjunguntur variè. Nam *interdum* non putrida cum putridâ conjungitur: *interdum* putrida cum putridâ; & quidem vel continua cum continuâ, vel intermittens cum intermittente; vel vice versa.

Signa sunt eadem cum signis simplicium, inprimis frigoris, horroris, rigoris post quietem reditus. post plures rigores unius sudoris successio; vel post rigorem, nullus sudor. *Pulsus* frequentior contractio, ex qua novum materiæ motum, & novum paroxysmum insequi colligitur.

Curatio est *Difficilior*, cùm plus affligunt quàm simplices, & tempus agendi fere desit. *Patet* ex simplicium curatione. *Dividuntur* variè.

I. Alia sunt *Confusæ*, cùm duæ febres eodem tempore incipiunt, ac desinunt, ut vix discerni possint; quòd humores diversi inter se confusi, uno in loco putrescant. Aliæ *Implicitæ*, quando utriusque natura seorsim cognosci potest.

II. Aliæ sunt *Subintrantes*, cum alterius paroxysmus incipit, antequam prioris paroxysmus desinit. Aliæ *Coalternæ*, cùm uno paroxysmo finito, mox post breve intervallum alius incipit. Aliæ *Communicantes*, cùm unius paroxysmus mox post alterius paroxysmum incipit.

III. Aliæ sunt *Intermittentes*, sub quibus continentur, I. *Tertiana* tum *duplex*. qui vel singulis diebus semel, vel uno die bis affligit, & ex bile duobus in locis in venis mesaraicis putrescente oritur; tum *triplex*, quæ duorum dierum spacio ter affligit, uno scilicet semel, altero bis, & ex bile tribus in locis putrescente exsurgit. II. *Quotidiana duplex*, quæ ægrum viginti quatuor horarum spacio bis affligit. III. *Quartana*, tum *Duplex*, quæ unum quidem diem vacuum relinquit, sed sequentibus duobus molesta est: tum *Triplex*, in qua singulis diebus ægri febricitant. Solet utraque plerumque ex intempestivo calidorum medicamentorum sudoriferorum præsertim usu excitari.

IV. *Aliæ* sunt *Continuæ*, qualis est *Semitertiana*. Hæc enim *est febris ex quotidiana continua & tertiana intermittente composita, continuò, sed tertio quoque die cum rigore infestans*. *Cognoscitur* ex utriusque febris signis. *Oritur* etiam ab iisdem causis, sæpissimè tamen ex inflammatione visceris alicujus. *Curatur* difficulter. Nec enim est simplex sed composita. Ventriculum sæpissimè subvertit.

Partes

Partes nervosas, quod solet esse diuturnitatis principium, lædit, & quæ in alto sunt, vehementer commovet. Pro ratione febrium & causarum, inter purgantia *Agaricus* palmam obtinet. *Dividitur* dupliciter. Nam. 1, Alia est *Legitima*, quando par est bilis & pituitæ copia. Alia *Notha*, quando vel bilis excedit pituitam, vel pituita bilem. 2. Alia est *Maligna*, Contagiosa, & Epidemia, quæ signis malignitatis se prodit. Alia est *naturâ suâ intermittens*, sed cum inflammatione visceris alicujus, quæ ubi pars materiæ febrilis cum sanguine ad intestina, ventriculum, epar & vicina loca protruditur, excitatur, conjuncta. *Tum*, continua symptomatica excitatur. Inflammationis signa adsunt. Rigor nunc ordinatè pro febris intermittentis natura, nunc inordinatè, cùm inflammatio novam partem occupat, aut cum pus fit, accidit. *Curatio* ex febris intermittentis, & visceris inflammationis curatione dependet. Vide de illa *Spigelium*.

TITULUS IV.

De Febre Hectica.

H*Ectica esse febris à calore partes corporis ita occupante, ut etsi à nulla causa foveatur, nihilominus subsistat, exorta, continuo affligens.*

Signa illa sunt, *Calor*, qui nullum dolorem infert propter alterationem solidarum partium jam factam. debilis est initio propter vaporum paucitatem; mordax pòst, propter partium soliditatem. in arteriis major propter communicationem à corde. hora una & altera post cibum, propter partium siccarum & solidarum humectationem, augetur, liberè & incompresse, sine horrore & rigore, cum pulsu magno & veloci; distributo cibo cessat. Is etiam omne humidum radicale exsiccat. humores secundarios

absumit, & omnem in corpore pinguedinem colliquat.

Causa illius sunt, Aut *aliæ Febres* seu ardentes, seu diuturnæ. Aut *viscerum internorum* ac potissimum cordis & partium thoracis, renum, ventriculi, diaphragmatis, *morbi.* Aut *causæ externæ evidentes*, vehementiores, quæ plurimum substantiæ in membris solidis absumunt. maximum & diuturnum calorem excitant. nunquam tamen eum partibus solidis inducunt, quin primò spiritibus induxerint.

Curatio perficitur. I. *Humectatione* & *refrigeratione*, *Interna* per flores *violarum borrag. buglossæ*, semina quatuor frigida, lac perlarum, corallorum, & alia mitiora, ne debilis calor obruatur. *Externa*, ut *balnea* aquæ dulcis, lactis, olei olivarum. *Inunctiones* spinæ dorsi, ut ol. violar. amygdalar. dulcium. II. *Diæta conveniente*. Hic locum habent, *Lac* humanum, asininum, nisi febris putrida adsit. *Cibi* ex amygdalis, nucleis pini, pistaciis, &c. *Iuscula* cochlearum. *Aquæ* caponum, Anguillarum, Cancrorum fluviatilium: de quibus vide Ioëlem Tomo 5. 2. Mirabilis Ferdinandi, quæ constat ex *sanguinis porcini juvenis & adulti, & nuper decollati, libris duabus, Terebinthinæ Venetæ librâ unâ, Liquiritiæ rasæ* lb. *ß. passular. minorum manip.* V. *Ficubus pinguibus* L. *Radic. Ireos unc.* III. *Pinear. mundatar. manip.* III. *folior. Tabaci m.* II. *Micæ panis libr. ß. in vase vitreo destillatis.* Aquæ dosis Unc. ij. cum saccharo. Vide eum in *Observationibus* Histor. 21.

Dividitur Hectica *dupliciter.*

I. Alia est *sine tabe*, quando rorida partium humiditas nondum absumta est. Ubi *incipit*; difficulter (nisi forte quis eam ex gracilitate corporis, biliosa ejusdem constitutione, & pectoris angustia colligere velit) cognoscitur. In *progressu*, Ephemerà præ-

præſente, ultra diem calor extenditur & augeſcit. Circa diem tertium calor poſt cibum augetur.

Alia *cum tabe*, eaque duplex. *Vna* μαρασμώδης, *quando rorida humiditas abſumitur, & ſubſtantia carnoſa arripitur. Tum* corpus evadit macilentum. Tempora collabuntur, volæ manuum & plantæ pedum calidiores ſunt, illa (de quibus in ſignis ſuperius) accidunt. Alvi excrementa pinguedine perfunduntur. Eadem cum urina excernitur, non conſertim, ut in benè conſtitutis; nec cum dolore renum, ut in pinguedinis renum ſolutione; ſed lentè & parùm. Furfures in urina non affectâ veſicâ, crurum tumor, fluxus ventris, mortem minantur. *Altera* eſt, *quando ſubſtantia fibroſa & membranoſa violatur.* Hinc ſubſequitur μαρασμὸς, qui interdum præternaturaliter juvenibus & ſenibus accidit: Interdum ex alimenti defectu, & Caloris extinctione, ſeu propter ætatem, ſeu propter ſcirrhoſum tumorem, oritur. Vide de eo *Ioelem*, tomo dicto.

II. Alia eſt *Simplex*, cui ſupra in genere dicta, applicari poſſunt. Alia *Complicata*, & quidem, *Aut* cum putrida intermittente, & *tum* Caloris maxima pars in fieri manet, minima in factum abit. finito paroxyſmo, arteriarum loca calent, reliquæ partes ſunt temperatæ. pulſus frequentiam & celeritatem non amittit, æger cibo ſumto non roboratur. *Aut* cum putrida continua, & *tum* difficulter cognoſcitur. ſicca caliditas poſt finem declinationis vel totius febris, remanet. corpus plus extenuatur. Urina eſt adipoſa & oleaginoſa, &c.

TITULUS V.
De Febribus Malignis.

CAPUT I.

De Febribus malignis in genere.

HActenus febres Benignas habuimus; sequuntur *Malignæ*, quæ vel *in genere*, vel *in specie* considerari debent.

Malignæ in genere consideratæ, sunt febres à causis occulta aliqua, & ad venenositatem accedente qualitate instructis exortæ, symptomata solito graviora inferentes, nec tamen multos, nec subito è medio tollentes.

Signa illarum sunt, *Virium* à principio insignis sine causa manifesta *debilitas*, major quàm pro febris & caloris febrilis natura. *Pulsus* frequens, parvus, debilis: aut si is naturalis videtur, fallere, ex aliorum symptomatum præsentia agnoscitur. *Vrinæ* aliquando primis diebus sanorum similes: aliquando tenues, crudæ, aut sine sedimento, aut cum eodem, sed crasso & excremento potius simili: aliquando crassæ, coloratæ, turbidæ, crassum, rubrum & turbidum sedimentum deponentes. *Calor*, quam pro natura morbi & symptomatum mitior. Symptomatum animalium, vitalium, & naturalium congeries. Tumorum vel macularum eruptiones, &c.

Causæ sunt vel *humorum apparatus*, vel *contagium*.

Curatio est *difficilis*, si majora & constantiora symptomata apparent. Stillicidium sanguinis ab initio magnam humorum ebullitionem, pravam qualitatem, & imbecillitatem significat. *Perficitur* Bezoardicis, & aliis: de quibus in Differentiis.

Differentiæ febrium malignarum sumuntur à causis.

I. Aliæ ſunt ab *Humorum vitioſo apparatu*,ſeu is in ventriculo, ſeu circa præcordia, ſeu in primis viis hæreat. *Cognoſcuntur* ex nauſea, dolore, æſtu, amarore oris, anxietate, & aliis indiciis. *Oriuntur* vel à cibis corruptis, vel aliunde. *Curantur* I. *Venæ-ſectione*, quæ poſt primarum viarum & corporis evacuationem per lenia, ne ebullitio major excitetur, ante quartum diem inſtitui debet. II. *Sudoriferorum*,quæ nec febrim augeant, nec admodum ſint fortia, exhibitione, ut vel corpus ad ſudores diſponatur, vel malignitas expellatur. III. *Humorum alteratione* & præparatione per illa, quæ putredini, ebullitioni, & malignitati reſiſtunt. Laudantur, ſuccus *Citri*, *Granatorum*, *Scorzoneræ* radix, &c. Quin & *Spiritus vitrioli* cum aliis ſyrupis, niſi fortè patientes ſint ſenes & macilenti : niſi pulmonis affectibus ob aliam cauſam quàm pituitam vaſa infarcientem laborent. IV. *Purgatione*, quæ per lenia, & vix ante diem decimum quartum inſtitui debet. V. *Diureticorum* refrigerantium exhibitione, ſi eò materia morbi vergit. VI. *Topicorum* ad pulſus & cor toto morbi tempore applicatione. VII. *Symptomatum* obvenientium vel mitigatione, vel ſublatione. VIII. *Diæta*, in qua à vino niſi Syncope obveniat, abſtinendum. Decoctum. CC. cum ſpiritus vitrioli ea quantitate, quæ gratam aciditatem inducat, cui Julepi Roſarum vel Violarum aliquid admiſceri poteſt, exhibendum. *Dividuntur* bifariam. 1. Interdum omne *Venenum abeſt*, ſed ob cauſæ vehementiam vel aliquam malam qualitatem urget. Interdum occulta & *venenata qualitas* adeſt. 2. Aliquando *putredo & malignitas* æquales ſunt. Aliquando major *putredo, quàm malignitas*. ubi primæ viæ non tantum per Clyſteres, ſed & per Syrupum roſar. ſolutivum, Caſſiam, Tamarindos, &c. evacuari poſſunt. Aliquando *malignitas* putredine major.

Aliæ sunt à *Contagio*, in quibus *Curatio* per Alexipharmaca & sudorifera institui, & natura, si quid expellit, juvari debet.

CAPUT I.

De Febribus malignis in specie.

ARTICULUS I.

De Variolis.

FEbres malignæ in specie spectatæ, continent sub se febres cum *Variolis*, *Morbillis*, & hisce similibus exanthematis, febres *Petechiales*, *Sudorem Anglicum*, Morbum *Hungaricum*, Febrem *cum spasmo*, & Febrem cum *catarrho* & *tussi*.

Varioli sunt pustulæ, in summa cute partibusque cuti proportione respondentibus, cum febre continua, propter peculiarem sanguinis effervescentiam & ebullitionem, à facultate expultrice excitatæ.

Signa præsentium non est quod inquiramus. Visui enim objiciuntur. *Imminentes* indicant, Capitis cum gravedine oculorum, colli & dorsi dolor, narium pruritus, Respirationis imminutio, Tussis siccitas, pedum ægro sese convertente tremor, sternutatio frequens, cordis palpitatio. Urina interdum sanorum similis materiâ vitiosâ ad ambitum corporis protrusâ, interdum ob magnam humorum ebullitionem turbida. Lacrymarum ex oculis spontanea eruptio. Febris ex humorum ebullitione accensio. Macularum proventus, &c.

Causa est *Interna*, materni sanguinis impuritas, quem infans in utero posterioribus mensibus, quia purior non sufficit, attrahit. Hic in totam substantiam carneam attractus, per aliquôt annos insensibiliter occultatur: tandem, dum natura hanc impuritatem

tatem amplius ferre non poteſt, inſtar muſti ebullientis fermentari incipit, per ebullitionem purum ab impuro ſeparatur, impuritas per criſin quandam pellitur, & calor cordi communicatur, ac febris accenditur. *Externa.* vel *Contagium*, cum è corporibus ita morbidis, morbidum effluvium alteri communicatur: Vel *Aër* ob ſiderum influxum, aut alias cauſas, humores ſeu corrumpens, ſeu commovens.

Medicatio duo reſpicit: I. *Præſervationem*, quæ in *adultis* venæ-ſectione, purgatione & fugâ contagii; in *Infantibus* ultimo iſto duntaxat peragitur. II. *Curationem*, quæ eſt *Bonæ ſpei*, ſi citò erumpunt, & eminentes, magnæ, diſparatæ, albæ vel rubræ apparent. ſi calor, erumpentibus remittit. ſi largior narium hæmorrhagia præceſſit. Si nullis gravibus ſymptomatibus afficiunt. *Dubiæ*, ſi vel difficulter apparent, vel iterum occultantur. ſi ſunt violaceæ, virides, lividæ, duræ, contiguæ. ſi febris poſt eruptionem non minuitur. ſi difficilis reſpiratio, deliquia animi, & alia ſymptomata adſunt. *Abſolvitur*, 1. *Ebullitionis mitigatione*, ne nimia ebullitio graviora ſymptomata adferat; quæ peragitur Venæ ſectione & levi purgatione in adultis: Clyſteris ex decocto hordei cum butyro recente & ſacchari communi appoſitione, & ſyrupi citri cum ſyrupo violaceo, vel Morſell. citri exhibitione, in Infantibus. 2. *Naturæ pellentis adjumento*, ubi impedimenta per ſuperiora remedia tolluntur; & malignitati ſimul reſiſtitur. Ad *Expulſionem* facit, *pulvis Ioëlis* Tomo 4.l.9.ſ.5. ex ſemin. *naſturtii*, *aquileg.* ana dr.j. ſcobis *unicornu* ſcr.j. aut *c.c.* ſcobis dr.ſ. *Corallor.* rubr. *Margarit.* præp. ana. ſcr.j. factus & pondere dr.j. vel ſ. exhibitus. *Decoctum ficuum* Mynſichti Armam. ſect. 25. *Terra* ſigillata Sileſiaca. *Semen* raporum alborum. *Decoctum* Lentium decorticat. cum ſemin. fœniculi & gummi tragacanthi, &c. 3. *Partium defenſione.* Ubi *Oculi*

auro

auro puro confricandi; vel aquâ plantag. & Euphraſ. cum pauxillo Camphoræ & Croci illinendi. Si aperiri non poſſunt, vel calido lacte vel decocto hordei fovendi. *Naribus* nodulus ex ſandalo & camphora aceto roſac. intinctus admovendus. Occluſæ ol. amygdal. dulcium illinendæ. *Guttur* vel diamoro illinendum, vel decocto plantaginis, hordei cum melle roſaceo eluendum. *Maturatio* variolorum inunctione ol. Amygdal. dulc. promovenda. Maturi aciculis aureis vel argenteis aperiendi, ne nævos poſt ſe relinquant, aquâ *omnis generis florum* abluendi, & pinguedine humanâ, vel Foreſti unguento, inungendi. 4. *Symptomatum* intercurrentium vel ſubſequentium *ablatione*: ſunt autem illa, *Epilepſia*, *Convulſio*, membranis & nervis à puſtulis obſeſſis; *Paralyſis* iiſdem obſtructis. *Duri tumores*, qui abſque ſuppuratione, emollientibus diſſipandi. *Vlcera* externa, *Dyſenteria*, ubi emollientia vitanda, exſiccantibus & abſque acredine conſtipantibus agendum. Læſio *auditus*, ubi præmiſſa evacuatione, vel veſicatoria vel vapores immiſſi locum habent. Oculorum *inflammatio*, & cætera: de quibus ſuis locis vide.

ARTICULUS II.

De Morbillis, & ſimilibus exanthematibus.

Morbilli ſunt tubercula parva, rubra, in cute erumpentia, cum febre continua, à facultate expultrice, & ſanguinis peculiari ebullitione excitata.

Signa, *Cauſæ*, *Differentiæ*, & *Curatio* non differunt multum à variolis: de quibus ſuperiùs egimus.

Similia morbillis exanthemata ſunt.

I. *Cryſtalli*, puſtulæ lupini ferè magnitudine, in

in corpore erumpentes, & cryſtalli inſtar ſplendentes, è quibus aquoſitas quædam effluit. Germanis Schafs-blattern dicuntur.

II. *Tubercula*, Germanis die Stein-pocken dicta, quæ ſine multâ ſanie ſparſim nec copiosè erumpunt, citra febrem invadunt, & citiſſimè ſanantur.

III. *Rubeolæ* tubercula exigua & rubra, quæ quandoque ſola cum calore & tuſſi invadunt, quandoque variolis vel morbillis interſparguntur, quandoque ſanatis ſuperveniunt.

IV. *Roſſalia* ſeu ἐρυθρήματα, maculæ rubræ & quaſi ignitæ, quæ cum vix effatu digno tumore, per univerſum corpus, quaſi quædam eryſipelata parva, in principio morbi, ſeu die quarto, vel quinto erumpunt; progreſſu morbi totum corpus occupant, ut id quaſi ignitum appareat. Is color in declinatione iterum, ut in principio in maculas mutatur; quæ tandem ſeptimo vel nono die evaneſcunt, epidermide ſquammarum inſtar decidente. *Curatio* horum nihil ſingulare habet.

ARTICULUS III.

De Febre Petechiali.

Febris petechialis eſt febris maligna, in qua maculæ quædam, pulicum morſibus ſimiles, variorum colorum, rubræ tamen inprimis, in cute apparent.

Maculæ illæ dicuntur, *puncticulæ*, *petechiæ*, *peticulæ*. Unde febres etiam puncticulares, peticulares, petechiales, & *lenticulares* nominantur.

Signa ſunt eadem, quæ in malignis. Maculæ ſunt ſine omni pruritu, extuberantia & exulceratione. apparent in dorſo, brachiis, cruribus, pectore, locis nimirum, per quas inſigniores arteriæ & venæ tranſeunt. in facie rarò propter aëris appulſum, qui materiam facilè repellit, nullum puncturæ veſtigium in

in earum medio conſpicitur, ſic à pulicum morſibus diſtinguuntur.

Cauſa eſt Humoris putridi pars tenuior, unde facilè evaneſcunt. *Pellitur* à facultate expultrice, raro Criticè, cùm in principio plerumque, abſque notabili evacuatione, erumpant: ſemper ferè *Symptomaticè*, & quo copioſius erumpunt, eò majorem pravæ materiæ copiam indicant.

Curatio ejus *dubii eventus*, ſi ſint maculæ copioſæ, quia multum materiæ adeſſe ſignificant. ſi paucæ, & ſigna naturæ debilis ſunt præſtò. ſi deliteſcant, quia intrò vergere indicium eſt. ſi tardè erumpant; quia vel humorum craſſitiem, vel cutis denſitatem, ſignificant. *Peragitur* I. *Materiæ ſubductione*, quæ fit per venæ ſectionem inſtituendam, præmiſſis alvum lenientibus, quibus aliquid camphoræ addi poteſt, ante quartum diem; ne, ſi ſeriùs, vires debilitentur. II. *Ejuſdem* per ſudorifera malignitati ſimul reſiſtentia, *expulſione*, præmiſſis (ſi ita videtur) inunctionibus, quæ poros aperiunt. *Ex illis* ſunt Lapis *Bezoar*, Emulſiones ex *ſeminibus napi, citri*) cum aqua cardui benedicti & Syrupo citri. *Oſſa*, *ſanguis*, *cornu* & *cutis* Rhinocerotis, &c. III. *Virium roboratione*, per emulſiones *Coraller. margaritar*. Confectionem *Alkermes*, &c. IV. Interdum & ad exteriora per veſicatoria *revulſione*, ſi externa frigent, dolores capitis, deliria, convulſiones, &c. urgent. ſi alvi fluxus acceſſit, naturæ committendus, niſi nimis excedat.

Differentiæ à quantitate & colore ſumuntur. I. Aliæ ſunt *copioſæ*, aliæ *paucæ*. II. Aliæ *minores*, aliæ *majores*. III. Aliæ ſunt *rubræ*, à ſanguinis temperatioris putredine; aliæ *flavæ* vel *virides*, à bile; aliæ *puniceæ* & *nigræ*, ab humore atro, &c.

AR-

ARTICULUS IV.

De Morbo Hungarico.

M*Orbus Hungaricus est febris continua, maligna & contagiosa, cum magno humorum circa ventriculum & primas vias apparatu, & insigni capitis dolore conjuncta.*

Vocari potest *Castrensis* & *Militaris*, quòd in castris exortus sit. *Signa* ejus sunt cum malignarum febrium eadem. accedunt eis, dolor capitis ingens, ut & circa ventriculum ad locum sub mucronata cartilagine, durities & renitentia; deliria, quæ, materiâ ad aures secedente & surditatem excitante, solvuntur: sæpissimè petechiæ & maculæ apparent, &c.

Causa est *vel* Humorum in vena cava putredo & corruptio: vel *Contagium.*

Curatio est *Bonæ spei*, si materia ad aures tendit. si per alvum evacuatur. *Peragitur* pro ratione Causarum, quas in differentiis vide: & maximam tum febris, tum malignitatis rationem habet.

Dividitur ratione Causarum.

Alia est ab *Humorum* in venâ cava *corruptione*, qui diætæ erroribus cumulantur. Aër namque Hungaricus noctu crassus, interdiu tenuis & fervidus. Milites vapores è terra exhalantes excipiunt. Victus eorum plerumque est pravus, & spontè ad putredinem tendens, &c. *Cognoscitur*, ex victu antecedente, dolore ventriculi. *Curatur* I. *Humorum eductione*, tum per alvum, ubi *agaricus* laudatur; tum per vomitum: tum per venæ in cubito vel talo sectionem, quæ primo vel secundo die instituenda: si aliquot dies præterlapsi, & vel alvus solvitur, vel vomitus supervenit, omittenda. II. *Malignitatis* per sudorifera moderata, aliquoties repetita, *dispulsione*, ubi & *antimonium Diaphoreticum*, & *Theriaca*

in

in frigidis aquis diſſoluta locum habet. III. *Diata* malignis febribus conveniente. A vino qui non abstinent, intereunt.

Alia eſt à *Contagio*, in qua purgationibus & vomitibus omiſſis, ſoli malignitati reſiſtendum.

ARTICULUS V.

De Sudore Anglico, Febre maligna cum ſpaſmo, & febre maligna cum tuſſi & catarrho.

SVdor *Anglicus ſeu febris ſudativa, in Anglia tempore Henrici* VII. *cœpit*, & ægros cum ſummo capitis dolore, inquietudine, cordis pulſatione, perpetuis & copioſis ſudoribus afficiebat. *Cauſa* conjicitur in aëris conſtitutionem, humidam & venenatam, ac ſpiritibus & ſubtiliori humorum parti ac cordi inimicam; accedente peculiari aliquo ſiderum ad hanc corruptionem influxu. *Curabatur* meris ſudoriferis, aquâ nempe acetoſæ, ſcabioſæ, terrâ ſigillatâ, &c. Sudor per XXIV horas continuabatur. Somnus ante finitam ſudationem non permittebatur: nec ægri detegebantur, ſed interim ſucco citri, granatorum, & aliis confortabantur.

Febris maligna cum ſpaſmo anno MDXCVI in Germania exorta, variis ſymptomatibus cum ſpaſmo ægros infeſtabat. Multi ſubitò invadebantur, quidam epilepſiâ, nonnulli Apoplexiâ corripiebantur, in quibuſdam mentis delirium per aliquot dies durabat per contagium, quod ſe intra duos poſt annos exſerebat, ſerpebat, &c. *Orta* putatur à peſtilentibus ichoribus & malignis vaporibus nervis infeſtis. hi ex victu pravo ob annonæ caritatem contracti fuiſſe putantur. In *Curatione* vitioſa & venenata materia tollebatur, & nervi debilitati confirmabantur. Vide de illa facultatis *Medicæ* in Academia *Marpurgenſi*

purgensi scriptum; & *Sennertum* l.4. cap.16. de Febribus.

Febris maligna cum catarrho & tussi epidemiâ, anno M.D.LXXX. exorta, sub Sirii ortum universam penè pervagata est Europam. Invadebat cum calore febrili, dolore capitis, quem excipiebat tussis sicca, dolor pectoris & septi transversi, faucium asperitas, gravis anhelitus, &c. *Orta* creditur ab humida annorum præcedentium constitutione, & diutino austri flatu. Febris *causa* potuit esse materia catarrhalis per venas diffusa, nisi fortè, febre morbo primario exsistente, natura partem humoris, à quo molestabatur, per hanc viam ejicere tentarit. In *Curatione* respiciebatur ad humorem *malignitatis fomitem*, qui extrudebatur ad *malignitatem ipsam*, cui Alexipharmacis resistebatur, & humoris reliquiæ alterabantur. Ad *membrum affectum*, cui appropriatis subveniebatur.

TITULUS VI.

De Febribus pestilentibus.

F*Ebris pestilens est, febris putrida continua, quæ ex aëre potiùs & contagio oritur, maximam illorum quos invasit partem trucidat, putredinem & calorem ex deleteria & venenata seminarii contagiosi vi sortitur, & majoribus quàm in maligna symptomatibus, bubonibus & carbunculis affligit.*

Signa illius, symptomata in pestilentia, pauciora & mitiora paulo, occurrentia, suppeditant: de qua sequenti agemus capite plura in differentiis videantur.

Causæ eædem sunt, quæ pestis gradu duntaxat ratione contagionis, vehementiæ, & magnitudinis differunt.

Curatio est *Difficilior*, vel *facilior*, pro multitudine, paucitate, benignitate vel vehementia sympto-

matum. Ratio in illa habenda tum *peſtilentis veneni*, tum *putredinis & febris*, quæ inter ſe conferenda ſunt. *Peragitur* I. *Sudoriferis* non admodum calidis, præſertim ſi plus malignitas quàm putredo urgeat. Aquæ *deſtillata* ſunt efficaciſſimæ,& ſal volatile *cornu cervi.* II. *Vena-ſectione*, antequam malignitas in totam maſſam ſanguineam ſit diſſeminata, cæteris quæ in generalibus præceptis continentur paribus. III. *Purgatione primarum viarum*, præſertim per clyſteres, ſi præſertim ſit ab apparatu morboſo, ita ut iterum Alexipharmaca ſubſequantur. IV. *Veſicatoriorum applicatione* ad crura, brachia, ſupra cubiti flexuram extra, pro-ut locus (ad quem materia, quam revellere & derivare cupimus, ruit, aut circa quem præcipuè hæret) monſtrat.

Dividitur hæc febris trifariam.

I. Alia eſt *ſine peſte*, alia *cum peſte*.

II. Alia, in qua & *putredo & malignitas ſumma.* Tum vires vehementer dejiciuntur; & ratione putredinis varia Symptomat, aut vigiliæ, dolores capitis, ſitis inexhauſta, &c. inſequuntur. Alia, *in qua putredo eſt ſumma, & malignitas remiſſior.* Tum vires minus dejiciuntur, calor in exterioribus ad ſtatum eſt putredini ἀνάλογ☉· ; circa eum, ſi æger non evadet, exteriora tepeſcere, mox frigeſcere incipiunt. Alia *in qua putredo remiſſa, malignitas vehemens.* Tum febris eſt mitis, & cor valdè læditur. Cum nec ægris nec medicis periculoſus videatur, jugulat.

III. Alia creditur eſſe *Ephemera*, alia *Humoralis*, alia *Hectica.* Sed quia ſpiritus non tantum incaleſcunt, ſed etiam corrumpuntur; quia cor non tantum in temperie afficitur, ſed & in ſubſtantia vitiatur; nullæ peſtilentes vel Ephemeræ, vel hecticæ eſſe poſſunt. Attamen quia inter eas aliqua differentia apparet, & nunc ipſum cor, nunc ſpiritus,

nunc humores magis afficiuntur, propter ſimilitudinem, quam cum aliis propriè dictis habet, ita appellari poteſt.

CAPUT UNICUM.

De Peſtilentia.

PEſtilentia eſt morbus cordis venenoſus, à materia venenata & contagioſa genitus, omnes cordis actiones ſubitò & lethaliter, cum omnis generis Symptomatum congerie lædens.

Morbus eſt, & quidem 1. *Epidemius*, propter cauſam communem, & propter contagium. 2. Cum *putredine conjunctus*, ita ut nec ex ea ſola judicetur, quia phthiſis eſſet magis peſtilens; in febribus putridis non daretur major calor, quàm venenatis; Alexipharmaca non eſſent neceſſaria; nec ſemper febrim inferat, ut ex multis exemplis patet. 3. *Venenoſus*, quia omnes vitales facultates opprimit, & ſubitò occidit.

Signa ſunt vel *Imminentis*, graſſatio ejuſdem in vicinis locis. prægreſſus eorum, quæ aërem inficere poſſunt, ut ſunt tetri è terrâ vapores, frugum infectio. Effecta aëris ad corruptionem tendentis, ut ſunt, fungorum nimia copia, plantarum marcor, inſectorum multitudo, animalium exanimatio, panis aëri nocturno expoſiti mucor, carnis facilis putredo. variolorum & morbillorum frequentia, &c. Vel *Præſentis*, cujus ſuſpicio eſt, ſi plurimi illorum qui corripiuntur, pereunt. ſi ab uno ægro in alium ſerpit. ſi vires ſubitò proſternuntur. ſi bubones & carbunculi infecto alicubi aëre apparent. ſi in mortuis maculæ conſpiciuntur.

Cauſa peſtilentiæ eſt *materia venenata, & contagioſa*. Hæc prodit 1. Ab *Aëre*, qui *interdum* ad peſtilentiam mutatione primarum qualitatum præparatur; *interdum* ſine ulla mutatione corrumpitur; *ſeu*

permiſtione exhalationum variarum ex terra & aquis erumpentium, præſertim quando Saturnus triplicitatis igneæ ſigna Arietis, Capricorni & Sagittarii tranſit, occultè & tota naturâ cordi adverſarum; *ſeu* occulto ſiderum adſpectu & influxu. II. A *pravo victu*, ubi ſe facilius humorum vitium exſerit, ſi ex aëre occaſio aliqua accedit. III. A *Veneficiis* necromanticorum vivorum inficientium, ſagarum mortuarum in ſepulcro non avulſo à cervice capite recumbentium. IV. Ab *imaginatione* & *terrore*, quæ humores in corpore agitant, ſeminarium peſtilentiale excitant, & illud altè cordi inducunt. De *Contagio* libro primo diximus.

Medicatio tria reſpicit; *Præſervationem*, *Curationem*, & *Symptomatum ſublationem*.

Quantum ad *Præſervationem*, I. *Cauſæ*, quæ peſtem inducunt, removeantur. II. *Corpora* ad ſuſcipiendam peſtem minùs apta reddantur. Itaque corpus pillulis *Rufi* ter ſeptimana ſcrup. j. pondere purgetur. *Venæ-ſectione* corpus non debilitetur. *Cibus* optimi ſucci pharmacis alexiteriis conditus ſumatur. *Fontanella* interdum, ut humores ſuos tranſitus habeant, fiat. *Aër* igne & ſuffumigiis purus teneatur. *Nares* aceto, oleo ſcorpionis, &c. inunguntur. *Amuleta* ex hydrargyro nuci incluſo, arſenico, &c. de collo ſuſpendantur, ita, ne arſenico propter virium imminutionem alia immiſceantur, ne motu, propter per poros penetrationem incaleſcant. Inter *Antidota* commendantur *Theriaca*, Electuarium *de Ovo*, Elixir *proprietatis*, Lapis *Bezoar*, Sal *vitium* & *Millefolii*, Extract. *Iuniperinum*, &c. Medicamenta *calida* temperentur, & in aceto primò macerentur.

Curatio abſolvitur I. *Venæ-ſectione*, quæ adminiſtranda poſt ſumtum Alexipharmacum, ſi tanta ſit ſanguinis copia, ut putrida febris metuatur.

in quocunque latere, si non adest dolor; si adest, in quo est, nisi carbunculus ingentem dolorem & inflammationem causetur, intra XII vel XXIV horas. II. *Purgatione*, post sumtum Alexipharmacum, si Cacochymia metum febris injicit. si pestilentia ab internâ humorum corruptione orta est. III. *Sudoriferorum* & *Alexipharmacorum* exhibitione. Laudantur ex simplicibus *Unicornu* Hercynium. *Sanguis* Rhinocerotis gutt.v. in aqua acetosæ. Ejusdem corii frustulum, aquæ incoctum, in qua aurum candens extingui debet. *succus* medullæ fructus Brasiliensis *Muracujao Hasu* dicti. *Coccus* Moluccensis in scobem redactus gran. v. pondere ex aqua rosacea aut acetosæ. *Galega* seu rutæ caprariæ succus unc. iij. pondere, &c. Ex compositis Syrupus, *Melissophylli* Fernelii, ex succo *Galegæ* Septalii. Rob *Sambuci* cum aceto Theriacali. Elixir *pestilentiale* Crollii. *Diascordium* Fracastorii dr. ij. in gravidis & pueris præsertim. Pulvis *ex smaragdi præpar. Lapidis Bezoar.* ana gr. viij. *Hyacinthi* præpar. gr. iij. Vide Sennertum de Febribus, circa finem. In horum *usu observandum.* Theriacalia frigidioribus paullò temperanda. Theriacam, Mithridatium & alia fortiora gravidis & pueris non danda. A *Camphoratis* ventriculo & capite infirmis abstinendum. Intra XXIV horas ter medicamentum præbendum. In principio *medicamenta*, ne natura assuescat, sæpissimè *mutanda.* Aquæ, Spiritus, & quæ facilè penetrant, maximè offerenda. A somno, donec bis sudaverit, abstinendum. Inter *sudandum* æger succo citri, aquis Carduibenedicti, &c. reficiendus. Finito sudore, frigidus aër vitandus, cibo æger refocillandus.

Pestilentiæ Symptomata sunt *Bubo*, *Carbunculus*, *Febris ardens*. *Bubo securior* est, si major & eminentior, si statim in initio, & in inguinibus eru-

pit. *Periculosior*, si lividus & niger. si sub cute delitescit. si circa collum, vel sub alis tertio vel quarto die erupit. *Periculosissimus*, si virium debilitate manente evanuit *Delitescens* foras eliciendus est, aut cucurbitulæ affixione, aut catapl. ex rad. Raphani & scrophulariæ major. cum pauco salis & aceto. *Eminens* ad ignobiliores partes detrahendus est, à collo ad volam manus, ab inguinibus ad plantam pedis. Inservit hic *Cataplasma*, ex radic. *scrophul. glandul. major.* unc. ij. Radic. *Raphani* unc. 1. Contusis, & admista fermenti acerrimi unc. iss. cum aceto vini coctis, formatum, & aut volæ aut plantæ pedis ejusdem lateris impositum, & ter aut quater per noctem renovatum. *Fixus* 1. Cucurbitula cum magna flamma, absque ulla cutis incisione, sæpius attrahatur. 2. Avulsa cucurbitula *cataplasmate* maturante, & attrahente ex radicibus *scrophul. sale, sapone nigro*, *fermento* acri, in aceto coctis, tegatur. 3. Post horas sex, cucurbitula iterum affigatur, & cutis scapello convulneretur. 4. *Cataplasma* maturans & attrahens, vel ex *cæpa magna* excavata, Theriaca repleta, & in cineribus ad mollitiem decocta, vel ex *corticibus med. sambuci* cum flore lactis coctis & cum fermento mistis, iterum per noctem imponatur, & sæpè renovetur. 5. Tumor altero die in inferiori parte vel incidatur, vel rumpatur, sanies exprimatur; & mundificativum emplastrum ex *Terebinth.* aqua *scordii* elota, cum melle rosaceo, apponatur.

De *Carbunculo* & *Febri*, quam etiam quædam symptomata excipiunt, vide suis in locis. vide de Peste *Petrum Salium Diversum*, *Ioelem*. Tom. 5. f. 3. *Septalium* peculiari tractatu, & *Valerium Martini*. Et tantum de febribus.

IDEÆ

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ

LIBER VIII.

De Morbis capitis.

TITULUS I.

De Morbis Cerebri.

CAPUT I.

De Intemperie Cerebri ſine materia.

HActenus erant Morbi Univerſales: ſequuntur *Particulares*; & hi vel *Non venenati*, vel *Venenati*. Ad illos, *capitis*, *medii* & *infimi ventris* morbi pertinent. Morbi capitis ſunt vel *Cerebri*, vel *Oculorum*, vel *Aurium*, vel *Narium*, vel *Linguæ*, vel *Labiorum*, vel *Facies*, vel *Oris*, vel *Dentium*, vel *Gingivarum*, vel *Maxillarum*, vel *Gurgulionis*, vel *Tonſillarum*. Ad *morbos cerebri* referuntur, *Intemperies*, *Meatuum anguſtia*, *Commotio*, *Inflammatio*, *Hydrocephalus*, *Contuſio*, *vulnera & fracturæ*. Intemperies vel eſt *ſine materia*, vel *cum materia*.

Intemperies cerebri ſine materia, eſt ejuſdem à ſua temperie per cauſas externas, declinatio.

Signa & *cauſas* in Differentiis vide.

Curatio abſolvitur *Alteratione* & *Purgatione*, ne, ſi corpus ſit vel plethoricum vel cacochymicum, plus attrahat vaporis.

Dividitur in quatuor ſpecies.

I. Alia eſt *Calida*, quando ad nimium calorem cerebrum deflectit. *Cognoſcitur* ex pulſu tempo-

rum, agitatione intra cranium, somna vel nullo vel brevi, imaginationis mutabilitate. *Oritur* à causis externis calidis, aëre, cibo, potu, affectibus nimiis, &c. *Curatur* I. *Alteratione*, per medicamenta refrigerantia tam interna, quàm externa; Illaque non valida, in pueris præsertim & mulieribus; vim adstringendi mediocrem habentia, ne humores vel attrahantur vel fundantur, non frequenter adhibita, ne stuporem inducant, cum dissolventibus in declinatione mixta. Præcipua sunt, Folia *Lactucæ, portulacæ*, Flores *Rosarum Nymphææ, Papaveris albi & Erratici. Lign. santalin.* & quæ ex iis parantur, ut fomenta, quæ penetrantibus ob tenuitatem substantiæ, ut aceto, corriguntur. Fronti, temporibus, suturis, applicantur. Ubi incaluerint, mutantur; nec crassis, nec multiplicibus linteis involvuntur, Embrochæ, lotiones pedum. Laudantur Fol. *sempervivi, vitis, salicis.* Flor. suprà dicti, *sambuci.* Radix *Rhodiæ.* Cataplasma *ex fol. salicis & capreolis vitis.* II. *Evacuatione* propter superius adductam causam. III. *Diætâ* ad frigidiorem declinante.

II. Alia est *Frigida*, quando ad nimiam frigiditatem cerebrum deflectit. *Cognoscitur* ex oculorum tumore, faciei pallore, capitis gravitate, ad somnum propensione, torpore & pigritiâ. *Oritur* ab externis vel frigidis, vel frigus inducentibus. *Curatur* I. *Evacuatione*, si corpus est Cacochymicum. II. *Alteratione*, per externa & interna calefacientia, illaque post cibum sumta. Præcipua sunt, Radix *pæoniæ* lunâ decrescente collecta, *Aristolochiæ rotundæ, Castoreum.* Flores *stœchadis, primulæ veris, Tiliæ, Tunicis, Liliorum convallium, Rorismarini, Betonicæ, Majoranæ.* Aquæ *Cerasorum nigror. hirundinum, Theriacalis.* Essentia *Rutæ, Rorismarini, Succini.* Condit. *Nucis Indicæ, Moschatæ. Theriaca, Mithridatium, Confectio Anacardina, Alkermes.*

Olea

Olea destillata, ut *Guajaci ligni*, *sassafras*, in aquis vel morsellis. Extra prosunt Folia *Rutæ*, *serpilli*, *verbenæ rectæ*. Balsama, *Lavendulæ*, *Rorismarini*, *Succini*, *Caryophyllorum*, *Nucis moschatæ*, &c. III. *Diætâ* ad calidam vergente, ubi suffumigia locum habent.

III. Alia est *Humida*, quando cerebrum ad nimiam humiditatem deflectit. *Cognoscitur* ex narium & oculorum humiditate, Catarrhis qui insequuntur, propensione ad somnum. *Oritur* ab externis causis non naturalibus, humiditatem inferentibus; ut sunt, pluvia, lunæ radii, &c. *Curatur* I. *Alteratione* per moderatè siccantia frigidis mixta, non multum odorata. Internè per decoctum inprimis *Chinæ Guajaci*, cui aliquid carnis vitulinæ ad temperandam siccitatem, injiciendum. Externè Embrochas, sacculos, ex *milio*, *sale tosto*, *melanthio*, &c. II. *Diæta* conformi illi, quæ decocto Guajaci utentibus præscribitur.

IV. Alia est *Sicca*, quando cerebrum ad nimiam siccitatem recedit. *Cognoscitur* ex oculorum cavitate, somni carentia, faciei squallore, sensuum acredine, causarum antecessu. *Oritur* ab externis, præcipuè nimiis corporis evacuationibus, vigiliis, inediâ, tristitiâ, nimiis studiis. *Curatur* I. *Humectantibus* internis, ut emulsione *seminum frigid. major. flor. violarum.* Externis, *spuma seri lactis.* II. *Diæta* humidiore, ut sunt: juscula carnium pinguia, ova sorbilia, balneum aquæ dulcis. *Sal* vitetur.

V. Alia est *Composita*, cujus ratio ex simplicibus connexis cognosci potest, ita ut non necesse sit plura de illa dicere.

CAPUT II.

De Intemperie cerebri cum materia.

I *Ntemperies cerebri cum materia est ejusdem à sua temperie per causas externas & internas, humores nempe & flatus inducta declinatio.*

Signa sunt, causarum internarum progressus, morbi ad phases Lunæ mutatio.

Causæ sunt Internæ, Humores nempe & flatus, qui vel ab imbecillitate cerebri, vel à partium inferiorum repletione veniunt.

Curatio peragitur, 1. *Evacuatione* tum *generali*, ubi habenda ratio *pilularum*, quæ ratione ingredientium efficacissimæ, & manè offerri debent. totius corporis, quod purgandum. absentiæ & præsentiæ febris, ne incocta attingantur. Clysterum revellentium, qui non omittendi: tum *Speciali*, ubi locum habent 1. *Errhina*, maximè exsiccantia, modò oculi & nares non laborent. 2. *Sternutatoria*, si præsertim caput vaporibus repletum est, & crassos mucos fovet. 3. *Apophlegmatizantia*, si pulmo est ab ulcere liber, nec succi adeò tenues. 4. *Cauteria, setacea, Topica, &c.* II. *Intemperiei* correctione.

Dividitur trifariam.

I. Alia est *per essentiam*, quando materia in cerebro generatur.

Cognoscitur ex eo, quod symptomata affectum excipientia adsint. quod continuò, nisi fortè materia per intervalla in capite generetur, affligant. quod causæ caput afficientes præcesserint. *Oritur* tum à cerebri malè concoquentis vitio: tum ab excrementorum propter expultricis vel meatuum læsionem, retentione. *Curatio* non variat ab illa, de qua superius dictum, & de qua inferius dicetur.

Alia est *per consensum*, quando materia aliunde ad

caput

caput transmittitur. *Cognoſcitur* ex generalibus ſignis, de quibus l. I. Tit. I. *Oritur* etiam ab iiſdem cauſis, de quibus ibidem. In *Curatione* I. à parte mittente *incipiendum*, ſed ſi ſit criſis, nihil adhibendum, niſi vehementer materia moveatur. II. *Revellendum* Venæ ſectione in brachiis vel cruribus, cucurbitulis, clyſteribus frictione, cauteriis. III. *Repellendum* per oxyrrhodyna, niſi vel febris vel Catarrhus, vel nimiæ vigiliæ, vel cranii, cerebri membranarum, propter vulnus detectio adſit. IV. *Intercipiendum*. *Differentiæ* hujus pro varietate partium à quibus materia mittitur, ſunt variæ. I. A *toto*, ut in febribus: & tum magis revulſioni & evacuationi, quàm repulſioni ſtudendum. II. A *Ventriculo*, *Liene*, *Epate*, *Renibus*, *Vtero*, *Diaphragmate*, *Externis partibus*. Tum ex partium mittentium affectibus cognoſcitur, & Curatio ex illis ſumenda eſt.

II. Alia eſt à *Flatu* vel vapore, quæ *Cognoſcitur* ex ſenſu tenſionis, ſive gravitate, ſibilo aurium, pulſatione arteriarum, vertigine. *Oritur* ab iiſdem, de quibus in generalibus dictum eſt; quibus accedunt ex ſpecialibus, odoramenta, res fœtidæ, vapores metallici, fumus carbonum, &c. *Curatur* diverſimodè pro ratione ſpecierum. *Dividitur* bifariam. I. Alia eſt à *Cauſis externis*, ut vaporibus metallicis, quæ *Zedoariâ* pellitur. Carbonum fumo, cui aër liber, aqua cum theriaca, ſternutatoria debentur. Vento vel frigido vel calidiore, cui oppoſita inſerviunt. Alia ab *Internis*, ſeu calidioribus, ſeu frigidioribus. 2. Alia eſt *per eſſentiam*, & tum præceſſit capitis gravitas, partium inferiorum affectus abſunt. Diſcutientibus internis & odore cephalicor. curandum. Alia *per conſenſum*. & Tum venæ in collo tenduntur, Urinæ in ſuperficie bullis repletæ ſunt. flatus aut per partem anteriorem, cum thoracis tenſione & arteriarum in profundo pulſatione; vel per poſteriorem, cum vena-

rum

rum & arteriarum ejuſdem partis tenſione, adſcendunt. *Oriuntur* ab aliis partibus quæ ſubmittunt. In *Curatione* ratio habenda Revulſionis per clyſteres paulo fortiores. Repulſionis per Oxyrrhodina externè, per conſervam roſarum &c. internè. Evacuationis per purgantia carminativis caſtigata.

III. Alia eſt ab *Humoribus*: & hæc eſt vel *Sanguinea, Bilioſa, Pituitoſa.* vel *Seroſa, Melancholica,* & *Atrabilaria.*

I. Sanguinea *cerebri intemperies à ſanguine ſeu tenui ſeu craſſiore procedit. Cognoſcitur*, niſi à cauſa externa proveniat, extenſione & gravitate, flante præſertim auſtro, oculorum rubedine, calore mitiore, partis anterioris ab horâ nonâ noctis ad tertiam diei dolore. *Oritur* à plethora & ejus cauſis. Deducitur in actum ab affectibus nimiis, vini potu & aliis, quæ calorem vel dolorem capiti inferunt. *Curatio* inſtituenda citò, ne inflammatio vel alius affectus oboriatur. *Peragitur* 1. Sanguinis (qui influxit) diverſione, per venæ cephalicæ, vel pedum, ſi menſes vel hæmorrhoides, ſuppreſſi (Arteriotomia propter ἀνδύρισμα non tentanda) ſectionem, quæ evacuat & revellit. Cucurbitular. lumbis, ſcapulis & cervici impoſitionem, Lenem evacuationem. Repulſionem per repellentia poteſtate frigidâ hyeme, actu æſtate, ſi æger juvenis, niſi catarrhus adſit, & per frictiones, inſtitutam. II. *Sanguinis qui influxit eductione ſenſibili*, per nares millefolio attritas, per venæ in frontem excurrentis, ſi poſterior pars afficitur, ſectionem. *Diſcuſſione. Diæta* conveniente.

II. Bilioſa *cerebri intemperies à bile exſuperante procedit. Cognoſcitur*, ex dolore dextræ inprimis partis acri & pungente, calore fervido, actionum cerebri depravatione, aurium excrementis flavioribus & multis, oris amaritudine. *Oritur* à cauſis bilem generantibus. *Dividitur* in illam, quæ eſt per

eſſen-

eſſentiam, in qua Curatio adminiſtratur I. *Venæſe-ctione* dexteri brachii, poſt levem clyſterem, nullâ præmiſſa præparatione, ſi febris abeſt. II. *Præpa-ratione* ſi opus, per refrigerantia & humectantia cephalica, eò fortiora, quo bilis validior. III. *Pur-gatione* per aloëtica & alia cerebro ſpecialia. IV. Re-liquiarum *abſumtione*: ubi Camphora propter vi-gilias vitetur. V. *Digeſtione*, per digerentia medica-menta. VI. *Diæta* oppoſita. Et illam, *quæ per con-ſenſum*; in qua procedendum, ut in ſuperioribus ex-poſitum eſt.

III. *Pituitoſa* cerebri intemperies *Cognoſcitur* ex ſignis in intemperie cerebri frigida allatis. Som-nus eſt profundus vel multus, niſi ſolutâ pituitâ Ca-tarrhus excitetur & tuſſis. Dolor magis in occipite, à tertia hora noctis ad nonam affligens. Faciei pal-lor, niſi diuturnitate à ſanguinis parte eò delata, ru-bedine ſuffundatur. *Oritur* à cauſis pituitam gene-rantibus, cerebro præſertim frigido, epate calido & humido, qui ſanguinem vaporoſum eò mittit. *Cu-ratio* non eſt facilis, hyberno præſertim tempore, & facilè morbus ipſe in apoplexiam & paralyſin abit. *Perficitur* I. *Alteratione* poſt primarum viarum e-vacuationem, per Cephalica calida & ſicca, primò benigniora, mox fortiora, illaque ſæpius repetita: ubi decocto *Chinæ*, *Guajaci*, *Saſſafras* agi poteſt. II. *Purgatione* alterationi interpoſita; ubi pillulæ *Aſ-ſajereth*, *aureæ*, & *Cochiæ*, vel illarum *Extractum*, locum habent. III. *Evacuatione* particulari per Er-rhina, maſticatoria, gargariſmos, collutiones oris, &c. IV. *Topicorum applicatione*, inter quæ fomenta, em-brochæ, ſacculi, quibus inſenſibiliter materia eva-cuatur, locum habent. V. *Cauterii* ad ſuturam coro-nalem, vel ſetacei in cervice, ſi morbus cedere non vult, *appoſitione*. VI. *Corroboratione* per appropriata cephalica. VII. *Diæta* cauſæ & morbo oppoſita. *Di-*

viditur

viditur in eam, quæ eſt à Pituita craſsâ, ubi præparationes locum habent; nec venæſectio benè adhibetur: & eam, quæ à pituitâ tenui & fluidâ oritur, quæ Catarrhum excitat, & in qua ptarmica & Errhina fortiora vitanda ſunt.

IV. *Seroſa* cerebri intemperies. *Cognoſcitur* ex illis ſignis, quæ ſuperius expreſſa ſunt. Derivatur ad caput, ſeu ſenſim cum ipſo ſanguine arterioſo præſertim & ſpiritibus; ſeu confertim, ob cauſas externas validiores, potum vini nimium; iram, exercitationes, &c. *Curatur* I. *Humoris ſeroſi à cerebro evacuatione*, nullis præparantibus præmiſſis. Ea peragitur 1. *Purgatione* humoris per hydragoga. 2. *Venæ ſectione*, ſi febricula & fervor adeſt, quæ ſerum in caput movet, & ſi evacuatio conſueta ſuppreſſa eſt. 3. *Sudoriferorum* non calidorum, ut *Antimonii Diaphoretici*, bezoardici *Lunaris fumariæ*, &c. exhibitione. 4. *Diureticorum*, quæ lieni quoque proſunt, *propinatione*. II. *Intemperiei correctione*, per pulverem oſſium humanorum, lotiones exſiccantes, &c. III. *Diætâ*, de qua vide Practicos.

V. *Melancholica* cerebri intemperies, *Cognoſcitur* ex deliriis cum timore & mœſtitia, dolore ſiniſtræ præcipuè partis, ſomniis & viſis turbulentis, repentina interdum motus amiſſione. *Oritur* à cauſis melancholiam procreantibus. *Curatio* eſt facilis ab initio. *Peragitur* I. Humoris *melancholici* purgatis primis viis, repetita *præparatione*, per calefacientia & humectantia, inter quæ Syrupus *de pomis* præſtat. II. Ejuſdem, per potiones purgantes primò lenes, pòſt fortiores, (*lapis lazuli* laudatur) additis humectantibus evacuatione; quam evacuatio per Errhina & alia inſequi debet. III. *Cerebri* per *Confect. Alkermes* & alias *roboratione*. IV. *Diæta*, in qua acetum, quod melancholiam fermentat, vitandum. *Dividitur* in illam, quæ eſt *per eſſentiam*, in

qua

qua & cephalicæ sinistri brachii sectio copiosa, si niger sit sanguis, paucissima, si purus, habet locum: & illam quæ vel à *mensium* vel *hæmorrhoidum* suppressione oritur; in qua revulsio, & venæ in talo sectio, locum habet.

VI. *Atrabilaris* cerebri intemperies, *Cognoscitur* ex vigiliis & delirio, &c. *Oritur* à causis melancholicum succum suppeditantibus, eundemque exurentibus viscerum fervor hic plurimum potest. *Curatio* est difficilis, quia nimium à cerebri temperie recedit. *Perficitur*, I. *Repetita* per refrigerantia & humectantia, evacuatione primarum viarum præmissâ, *præparatione*. Compositum *Cachunde*, de qua in Melancholia, hic locum habet. II. *Repetitâ* atræ bilis per medicamenta melanagoga humidis permista, item particulariter cerebrum purgantia, *Evacuatione*. III. Per *Topica* & balnea aquæ dulcis *digestione*. Si non cedit, serum lactis cum Antimelancholicis humectantibus propinetur. *Dividitur*, I. In illam quæ est *per Essentiam*: ubi cephalicæ vel basilicæ communis, sectio locum habet. Et illam, quæ à *mensium* vel *hæmorrhoidum* suppressione; de qua superius. II. In illam, quæ est à *Sanguine* adusto, in qua ægri ad risum sunt proclives. Venæ sectione curatur. quæ à *Bile flava*, in qua delirium ferinum & iracundiâ viget. & eam quæ ab *humore melancholico*, in qua mœstitia & taciturnitas, vel hac ruptâ, loquacitas dominatur, &c.

CAPUT III.

De Meatuum cerebri angustia.

M*Eatuum Cerebri angustia est, quando illi à causis suis vel obstruuntur, vel comprimuntur.*

Meatus isti sunt *pori cerebri*, quod fungosum est, ventriculi, venæ, arteriæ, nervi & cranii suturæ.

Signa

Signa ex actionum cerebri imminutione vel abolitione ſumuntur. *Cauſæ* ſunt, vel *Obſtructio* ab humoribus pituitoſis, ſanguine extra vaſa effuſo, vaporib. craſſis: vel *Compreſſio*, vel à cranio propter vim illatam, vel ſanguine vaſa diſtendente, unde illa φλεγμονώδει διαθέσει afficiuntur, vel in ſubſtantiam propter copiam, tenuitatem, vel acredinem illapſo. pituitoſo humore baſin Cerebri occludente. Tumore duro.

Curatio ſecundùm differentias variatur.

Differentiæ deſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt à *Cauſis externis*, nempe, Aut fumis carbonum, cereviſiæ, muſti, &c. ſuffocantibus. Tum ægri libero aëri exponendi. Vapores aqua vitæ cum theriaca diſcutiendi. vomitio vel ſternuatio excitanda. Aut *Cranii compreſſione*, ab ictu. Tum præſentes & æger conſulendi. Cerebrum ut de fractura dicetur, elevandum. Aut *ſuturarum* ſeu *defectu*, qui corrigi non poteſt; ſeu ab humoribus & vaporibus *obſtructione*, qui fomentis diſcutiendi.

II. Alia ab *internis*, nempe I. *Sanguine* aut extra vaſa ſua effuſo, & anfractus ejus obſtruente, aut vaſa ita diſtendente, ut meatus comprimantur. *Tum* plethora plerumque adeſt, ſanguis per os & nares interdum erumpit. niſi hoc fiat, putredine ſua inflammationem &c. accerſit. Per venæ ſectionem & cucurbitulas evacuandum & revellendum. ſecta vel frontis vel linguæ venâ derivandum. II. *Pituita craſſa* vel baſin cerebri comprimente, vel exortum nervorum obſtruente, & ſic Spiritus animales intercludente. *Tum* Cauſæ pituitam generantes, capitis gravitas, oculorum obtenebratio, pituitæ per nares vel fauces ſuppreſſa evacuatio, præceſſere. Niſi tempeſtivè evacuetur, paralyſin &c. infert. *Curatio*, prout in intemperie pituitoſa dictum, inſtituenda. III. *Vaporibus*, qui *vel* à victu pleniore

vel

vel vaporoſo procedunt, à quo abſtinendum: vel ab humoribus in inferioribus hærentibus, qui evacuandi: *vel* in principio febrium, ubi earundem ratio habenda, revellendum, deprimendum. IV. *Tumore*, qui vix vivente homine cognoſcitur, nec eſt curabilis.

CAPUT IV.

De commotione Cerebri.

Commotio cerebri eſt ejuſdem de loco naturali propter externas & violentas cauſas dimotio.

Subjectum eſt cerebrum, præſertim ſecundùm ſuperiores partes. *Signa* ſunt, ægrorum conſternatio, ut quaſi muti & apertis duntaxat oculis immoti evadant.

Cauſa eſt ictus vel caſus validior, bombardarum vel fulgurum fragor, quæ vel ſpiritus tantum conturbant, vel etiam cranii fracturam cauſantur.

Curatio abſolvitur, I. *Sanguinis* & *revulſione*, per venæſectionem, ne affluat. & *repulſione*, vitatis ſiccis & adſtringentibus, ne pori obſtruantur, & tranſpiratio intercipiatur. II. *Sanguinis*, ſi quis effuſus, *evacuatione*, per ſectionem venæ, tum puppis, quæ ſupra lambdoidem eſt; tum illius, quæ ſub lingua. III. *Diſcuſſione*, primò cum repulſione conjuncta, pòſt ſola per calefacientia & humectantia.

Dividitur in *Leviorem*, & *Graviorem*.

Levior eſt, in qua duntaxat virtutis animalis in cerebrum retrahitur, & nulla fit vaſorum ruptio. *Tum* ſopor duntaxat incidit, nec tamen ita profundus.

Gravior, in qua etiam cerebri partes à naturali ſitu dimoventur, meatus concutiuntur, & vaſa rumpuntur. *Tum* ἀφωνία accidit. ſanguis per os & nares effunditur. Vomitus ventriculo conſentiente infe-

 ſtant.

ſtant. Materiâ putreſcente, oritur febris, delirium, cerebri Sphacelus,&c. & detrusâ ad nervos materiâ, alia Symptomata.

CAPUT V.

De Inflammatione Cerebri.

INflammatio Cerebri eſt ejuſdem tumor, à ſanguine è vaſis in ſpatia partis effuſo & putreſcente exortus.

Signa ſunt, febris acuta & continua, quæ de tertio in tertium exacerbatur. Delirium perpetuum, quod ſenſim & paulatim inchoatur. faciei & oculorum rubor & ſqualor,membranis calore adurente exſiccatis, lacrymæ acres, excrementis quaſi ſpontè defluentibus ob partis imbecillitatem, pulſus frequens & velox, &c.

Cauſa eſt ſanguis è vaſis elapſus, & ibidem intercepta tranſpiratione, putreſcens. *Effunditur*, vel propter copiam ſuam: vel propter tenuitatem & acredinem, adjuvantibus illis quæ aut ſanguinem ad caput deferunt, aut eundem violenter commovent, ut ſunt, aëris fervor, dolor, percuſſio, vulnus, ira, &c.

Curationis ſpes ferè *Nulla*, ſi convulſio ſupervenit. ſi urina alba & pullucida eſt, quia bilis ad caput rapitur. ſi præſente jam delirio, ſtridor dentium, ob muſculorum in temporibus & maxillis convulſionem advenit. ſi ad ſuppurationem tendit, quia pus intra cranium & membranam evacuari non poteſt. *Aliqua*, ſi die critico copioſus ſanguis ex naribus fluit. ſi ſudor multus & calidus à capite. ſi per alvum magna bilis copia poſt morbi vigorem evacuatur. *Parva*, ſi plures functiones læduntur. ſi lingua contremiſcit. ſi rigor, albis per alvum excretis infeſtat. ſi nigra ſtilla, eaque ſincera, ex naribus accidit, quia ab exuſtione valida eſt. ſi feſtucas colli-

colligunt. *Perficitur* I. *Humoris*, qui influit I. *Revulsione*, seu per sectionem Cephalicæ, aut si magna adsit copia, medianæ primum, sed non ad animi deliquium: seu per cucurbitulas cum scarificatione profunda, ad partes inferiores & superiores; seu per alia revulsionum genera. 2. *Repulsione*, nisi materia ad capitis cutem vergat, per repellentia; vel tepida, aceto levi temperata, capiti raso apposita, si calor vel internus vel externus non adest; vel frigida, si hoc est. 3. *Interceptione* per fascias collo circumjectas. 4. *Leni purgatione*. II. *Humoris* qui influxit *Evacuatione*, per apertionem venarum capitis, narium, sub lingua, & applicationem hirudinum, cucurbitulæ ad syncipūt. Discussione per medicamenta ex discutientibus confecta, Unguentum Alabastrinum, &c. III. *Diæta*, in qua jejunium vitetur, &c.

Dividitur trifariam.

I. Alia *febrim antecedit*, in qua febre absente purgare licet; majore præsertim Cacochymiâ præsente. Cucurbitulæ summo vertici sunt apponendæ, scarificatione subsequente. Alia *febrim sequitur*, in qua etiam lenioribus purgari potest, si materia turgeat.

II. Alia *magis à sanguine quàm bile* in qua plus sanguinis mittendum. Alia à *bile magis quàm sanguine*, in qua potius purgandum est.

III. Alia est *Membranarum cerebri*, cui signa superius apposita conveniunt. Alia *Cerebri*, in qua primò dolor caput occupat, & per occiput ad collum, & universam nucham penetrat. ægri non delirant, sed sensus externos & internos amittunt. parum aut nihil loquuntur, &c.

Caput VI.

De Hydrocephalo.

Hydrocephalus est tumor capitis, à serosi humoris, in aliqua membrorum caput constituentium parte, collectione exortus.

Signis opus non eſt. Nam ipſo viſu malum cognoſcitur. Corripit magis infantes, quàm adultos.

Cauſa eſt humor aqueus, ſeroſus, interdum fæculentus, imò & cruentus.

Curatio eſt *dubia*; tum quia pars nobilis: tum quia ſubjecta tenera: tum quia apoplexia vel lethargus facilè ingruere poſſunt. *Perficitur* I. *Aquæ eductione* per hydragoga, ſudores, urinam, inſenſibiliter diſcutientia & exſiccantia, ſectionem. II. *Cerebri* ad ſuam temperiem per calida cephalica *reductione.*

Differentia ab humoris ſitu ſumitur. Nam *Alius* eſt ab aqua, inter cutem & pericranium hærente. *Tum* humor eſt mollis, ad candelam pellucidus, doloris expers. facilius medicamentis cedit, & ſectione unica tolli poteſt. *Alius* ab eadem inter pericranium & cranium conſiſtente. *Tum* dolor affligit, ſectio bina eſt adhibenda. *Alius* ab eadem inter cranium & membranas collecta. *Tum* tumor non eſt ita mollis, dolor major, frons extra ferè projecta eſt. Malum etiam ferè incurabile.

Caput VII.

De Contuſione Capitis.

Contuſio capitis eſt ejuſdem, extrinſeco plerumque integro apparente, à re gravi, dura & obtuſa, colliſio.

Signa quæ præceſſere, dabunt. Sanguis ex venis effundi-

effunditur, & tumor mollis, lividus, abſque magno dolore excitatur.

Cauſa eſt in definitione expreſſa. Cute plerumque integra, exiguæ venæ ſub cute aperiuntur.

Curatio ita inſtituenda, ut I. *Humorum affluxus prohibeatur*. idque per venæ ſectionem, ſi contuſio major eſt. per repellentium & adſtringentium admotionem, quæ ſæpius ne incaleſcant removenda. Capillis abraſis, ol. roſac. locus inungendus. per doloris mitigationem. II. *Sanguis, qui ſub cutem effuſus eſt*, *evacuetur*, inſenſibiliter applicato Emplaſtro de *betonica*, Ceroto *Vigonis*, de *Minio*, de *matris ilva*, de *gratia Dei*. III. *Suppuratio*, ſi impediri non poteſt, juvetur *Triapharmaco*, quod componitur ex olei dulcis parte una, aquæ communis partibus duabus, farinæ tritic. q. ſ. quibus ovi vitellum addatur. IV. *Materia* in pus converſa, ſectione in loco decliviore facta, *extrahenda*.

Dividitur tripliciter.

I. Alia eſt *cum cutis vulnere*, de qua ſequenti capite agetur. Alia *ſine eo*, de qua hoc loco dictum eſt.

II. Alia, in qua *muſculi temporales* contunduntur. *Tum* Delirium, paralyſis, convulſio & mors inde ſequitur. ſectio in loco propinquo inſtituenda eſt, ut muſculi caput moventes vitentur. Alia, in qua *contuſi non ſunt*.

III. Alia eſt *Adultorum*, de qua præcedentia accipi debent. Alia *Puerorum*, in qua 1. Abraſo vel forcipe detonſo capite, linteum ovi albumine, aceto, & roſaceo madidum, imponendum, & deligatione factâ, integro die naturali, linteum extrinſecum iiſdem madefaciendum. 2. Sequenti die Cataplaſma *benedictum* apponendum, & uſque ad diem nonum continuandum. 3. Poſt undecimum, Emplaſtrum *diapalma* Galeni, quod tertio quoque die immutandum. 4. Poſt vigeſimum Emplaſtrum *barbarum*.

5. Si ex partu fit, *Diaphænicinum* ex rosaceo confectum discutit.

CAPUT VIII.

De Vulneribus Capitis.

ARTICULUS I.

De Vulnere cutis & pericranii.

Vulnera capitis in triplici sunt differentia. Vel enim *solam cutem*, & pericranium, *cranio intacto*, attingunt. Vel *cránium intactis membranis*, vel etiam *membranas.*

Vulnus cutis illæso cranio est, quando scilicet solum cutis, panniculus carnosus, musculi, vel etiam pericranium vulneratur.

Signa quod attinet, vulnus vel obtutu patet, vel specillo indagari potest.

Causa quia evidens est, non est quod de ea multa dicamus.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Dividitur in Vulnus *cum contusione*, & *sine contusione.*

In *Vulnere cum contusione.* 1. Humectandum & emolliendum ita, ut partis calor naturalis à contusione, aëre externo, medicamentis debilitatus simul foveatur. 2. In principio *oleo rosarum maturo* cum vitello ovi in mollioribus corporibus, in durioribus resinâ lariceâ agendum. 3. *Terebinthina* omnibus vulneribus partium nervosarum præsertim, commoda est. 4. Circa diem septimum pus semelius ostendit. 5. Si fiat à morsu feræ, labia vulneris scarificanda, sanies sanguisugis extrahenda. Ulcus medicamentis abluendum.

In *Vulnere sine contusione.* 1. Interna causa seu δυσκρασία partis calida & dolorifica removenda, per

per inunctionem Unguenti *de Alabastro*, Rosac. 2. Si sola deligatione hiantia vulneris labia conjungi non possunt, sutura cruenta vel sicca ad contactum adducenda; Vulneri verò medicamentum aliquod digestivum imponendum. Nec tamen id facilè faciendum, idque propter pericranium, quod intimè cranio adhæret, & per suturas membranis internis connectitur. 3. Cranio denudato & raso, quod fit ut materia idonea carni generandæ suppeditetur, nec tamen facilè faciendum, non unguenta imponenda, sed medicamenta actu & potentia sicca, cum linimentis siccis, & temperamento ossis simillimis applicanda. Plura vide apud Practicos.

ARTICULUS II.

De Vulnere Cranii seu fractura.

V*Ulnus seu fractura cranii, est continua in cranio solutio à vi exteriore facta, membranas cerebri non attingens.*

Signa sumuntur, *tum* ex Symptomatum insequentium Syndrome, ut bilis vomitu, sanguinis per nares & aures fluxu, casu, stridore fracti ossis &c: *tum* ex conditione ictus, ubi percutiens, capitis ictum recipientis conditio, Instrumenti dispositio spectanda sunt. tum Ex specillo, nec nimis acuto, nec nimis crasso, atramento, rasione, &c.

Causæ sunt evidentes, continuum in cranio solventes.

Curatio est *Nulla*, si post septimum febris obvenit, quia putredinis in cerebro est indicium. si vulnus aridum, siccum, purulentum, nigrum evadit. *Dubia*, si ægri vires statim deficiunt, ipse senex, quia calor illius debilior, & sanguis serosus. si caput destillationibus & Erysipelatibus obnoxium. si Symptomata, quæ statim obvenere quarto vel septimo

die, permanent & augentur. *Operosa*, si obvenit æstate, propter inflammationis imminentis metum. si humidâ regione, quod ab humidis facile offendatur cerebrum. si plenilunio propter humorum abundantiam. si cerebro vulnus vicinum. si in syncipite & bregmate, quia cerebrum hic vicinius magis arcuatur, saniei commodus effluxus non datur. si in temporibus, quia musculi temporales arteriis, venis, & nervis abundant. & maxillæ inferioris motus læditur. si in suturis, tum quia cranium ibi imbecille, tum quia dura mater fibris ibi annectitur. si accidit cum contusione, quia ista multa illaque occulta mala infert. De *illius institutione* hæc observanda. 1. Quia in corporibus plethoricis, quæ levia etiam sunt vulnera, ob humiditatem Symptomata attrahunt, evacuandum; ita ut mitioribus fortiora addantur, & illa, quæ bilem & serum purgant, *evacuentur*: Venæ sectio etiam instituatur, & Clysteres applicentur. 2. Bilem & serosos humores alterantia, motumque calidorum humorum ad caput impedientia summè prosunt. 3. Si cutis sit vulnerata, & non satis pateat, latius aperienda, donec fissura tota in conspectum veniat. Tum verò pericranii sectio tentanda, cum suspicio est læsi cranii. Commodissima est illa, quæ transversis lineis figurâ cruris fit. 4. Musculi temporales propter nervositatem vitandi; suturæ propter fibrarum transitum. 5. In Vulnere frontis cavendum, ne sectio fiat per transversum. Nam si musculus qui palpebram attollit, ita secetur, palpebra decidit. Sectio itaque à parte inferiore sursum versus facienda, &c.

Differentiæ fracturæ cerebri sunt quinque.

I. *Fissura*, à gravi & contundente telo in osse duriore, eaque conspicua, inconspicua, capillaris, brevis, longa, recta, curva, laminæ externæ, internæ, utriusque, &c.

II. *Con-*

II. *Contusio* seu collisio, cujus duæ species. *Una*, cum cranium solum in seipsum cedit ac subsidet. *Altera*, cum cranium solum deprimitur, & foveam in osse molli acquirit.

III. *Depressio*, cum os finditur, & retrocedit.

IV. *Sedes*, cum à telo acuto cranium læditur, ita ut aciei teli impressi vestigium conspicuum sit. Huc pertinet *Dedolatio*.

V. *Contrafissura*, seu ξυμφορά, quæ tres habet modos. 1. *Cum* locus fissus & percussus, sunt in uno eodemque osse. 2. *Cum* ejusdem ossis percussa tabula externa, eaque integra manente, interior dehiscit. 3. *Cum* os percussum ab osse fisso sutura disterminatum est. De quibus vide Practicos, inprimis *Iacobi Berengarii Carpensis* aureum *de fractura cranii* libellum, Lugduni nuper editum.

ARTICULUS III.

De Cranii fractura cum meningum læsione.

CRanii *fractura cum meningum læsione* est *duplex*. Nam,

Vel *Dura meninx* saltem simul læditur: *Tum* sanguis copiosè effluit, cum plurima vasa per eam disseminentur, & dolor in parte membranosâ valdè urgeat. In *Curatione*, non neglectis quæ vulnus cranii spectant, sanguis est sistendus. Dolor oleo rosarum tepido leniendus. si purulenta evadere incipit, melle rosato detergenda. si huic non cedit ad fortiora, ut Unguentum Ægyptiacum accedendum, &c.

Vel *Pia mater*, seu tenuis membrana, simul afficitur. Tum sanguinis profluvium & inflammatio metuenda est. Curationem vide apud Aquapendentem chirurg. l. 2. c. 20.

TITULUS II.

De Symptomatibus Cerebri.

CAPUT I.

De Symptomatibus ſenſuum externorum.

SYmptomata Cerebri infeſtant *vel* ſenſum tactus, *vel* ſenſum communem, *vel* Imaginationem, *vel* Imaginationem & Ratiocinationem ſimul, *vel* plures ſenſus internos, *vel* motum animalem, *vel* ſenſus internos, externos, motum & Ratiocinationem, ſeu plures animalis facultatis actiones ſimul, *vel* excretionem & Retentionem. Ad primum pertinet *Dolor Capitis.*

ARTICULUS UNIDUS.

De Cephalagia ſeu Dolore Capitis.

C*Ephalalgia eſt tactus in partibus capitis membranoſis à ſolutione continui facta, moleſtia & corruptio.*

Subjectum eſt caput ſecundùm partes membranoſas, cute, pericranio, nervis membranis veſtitis, ipſa ſubſtantia cerebri non excluſis.

Signis opus non eſt: ex relatione patientis cognoſcitur.

Cauſa eſt, quicquid quoquo modo violentam unitatis ſolutionem infert, ſive id faciat occultè, ſive manifeſtè: ſive ſit *externum* quid, ut ervum, lactis potus, glandes palmarum & quercuum, ſemen viticis, olivæ nigræ, odor rei gravis, &c. ſive *internum*, de quo differentiæ conſulantur.

Curatio eſt *Bonæ ſpei*, ſi quarto die bona ſigna apparent, ſi pus, vel aqua per nares, aures, vel oculos effluit.

effluit. *Ambigua*, ſi febris acuta adeſt, & urina alba, quia bilis ſurſum fertur, & inflammatio metuenda eſt. ſi æruginoſa vomuntur, & cum ſurditate vigilatur, quia ob collectam bilem vehementer & citò inſaniunt. ſi Catoche, cum intercepta alvo, ferociente iutuitu, facieque impensè rubente detinentur, quia opiſthotono corripiuntur. ſi ſimul ſonitus aurium ſine febre, vertigo, vocis ſurditas, & manuum torpor accidit, quia apoplectici vel Epileptici evadunt. *Nullius* ferè. ſi vehemens cum fuerit, ſubitò deliteſcat, non ſequente alleviatione per criſin. ſi extrema frigeſcant, quia calore retracto phlegmone excitari poteſt. ſi cum febre acuta ſit, & quarto die ſignum aliquod pernicioſum apparuerit. ſi ſanus eo repentè corripiatur, ſtatim obmuteſcat & ſtertat, nec febri valida corripiatur. *Peragitur* I. *Doloris mitigatione*, vel per Anodyna, ex *cancris fluvialibus* cum aceto roſaceo contuſis, aqua *Verbenæ*, radice ipſius contuſa & impoſita, unguento alabaſtrino, quæ ſuturis & temporibus applicari debent: vel per *Narcotica*, quæ fronti duntaxat apponi poſſunt. II. *Cauſarum remotione*, *&* *partis roboratione*: de quibus in Differentiis videbitur.

Differentiæ Cephalalgiæ ſunt variæ.

I. Alia eſt *Symptomatica*, de qua hic agimus. Alia *Critica*, quæ non ab initio, ſed circa tempus criſeos affligere incipit. *Tum* ſpiratio repentè fit difficilior, retractis hypochondriis. Venæ tument, & arteriæ in temporibus pulſant: genæ rubeſcunt. ſpontaneæ lachrymæ fluunt: æger manibus nares ſcalpit, & hæmorrhagia plerumque inſequitur.

II. Alia eſt *Externa*, quæ pericranium obſidet, in ſuperficie percipitur, ad radices palpebrarum pertingit, capillorum manusque preſſu exacerbatur. Alia *Interna*, quæ ad tactum miteſcit, præſertim ſi ſit ſine diſtentione; & ad radices uſque oculorum pertingit.

III. Alia

III. Alia eſt à *Cauſis Externis*, nempe 1. *Ebrietate*, quam cerevifia, cui chamæpeuce incocta eſt, facilè cauſari poteſt. *Tum vomitu, materia in ventriculo* fluctuans ejicienda. Folia vel *braſſicæ* in aqua calida madefacta, vel *Rutæ* cum aceto roſaceo contrita, applicanda. Spiritu vini caput irrorandum, pedes ſale & aceto fricandi. 2. *Contuſione*, percuſſione, vulnere, ubi curatio ex ſuis locis petenda eſt. 3. *Calore* ſolis, balnei, ventorum auſtralium. Tum caput refrigerantibus agendum. 4. *Aliorum uſu*, ut ſunt dactyli, avellanæ, caſtaneæ, nuces juglandes, tubera, ſemen cannabis, coriandri non præparati, Thus, ſtyrax, myrrha nimium ſumta, &c.

Alia ab *Internis* nempe, 1. *Intemperie* abſque materia, quæ ſi *Calida*, dolor eſt vehemens, & caput calet. ſi *Frigida*, dolor eſt diuturnior, caput friget. conveniunt Rotulæ ex Diamoſcho dulci, & ſacculus ex calefacientibus Cephalicis. *ſi Sicca*, dolor eſt moderatus, lentus. præceſſere cauſæ exſiccantes. 2. *Intemperie cum materia*, quæ vel eſt *A ſanguine*; Tum dolor mitior eſt, ſyncipur potiſſimum occupat, & ante cibum increbeſcit. *Curatio* ex ſuis locis petatur. vel *A Bile*; Tum dolor eſt pungens, erodens, dexteram Syncipitis partem plerumque occupat. In *Curatione* proſunt Epithemata ex *laudano Opiato* cum aqua roſarum, Veſicatoria ad collum locata, Aquæ roſarum cum Camphora olfactio, Capitis ex *Agarici decocto* cum floribus chamæmeli lotio, Auricularum ſcarificatio, &c. Vel à *Pituita*; Tum dolor in dextra potius occipitis parte affligit. Valent, *Oxymel ſquillit.* aqua flor. *ſambui*, *cpuleg. rorismar.* cum cryſtallis nitri. *Nuclei perſicorum*, cum aqua verbenæ contuſi. Oleum *Nucis moſchat.* expreſſum, Balſamus *Apoplecticus*, *ſuccini*, ſacculus *Hartmanni*. Vel à *Melancholia*:

Tum

Tum vigiliæ urgent. dolor eſt in ſiniſtra occipitis parte. Curatio ex ſuo loco petatur. 3. A *Flatu.* Tum dolor eſt vagabundus, tenſivus, ſtatis ſæpe diei horis recurrens. *Diſcutitur*, ſi tempora & ſutura coronalis, cum allio contuſo & aceto vini aut urina infantis commixto, inungantur & confricentur.

III. Alia per *eſſentiam* ſeu primaria, quæ interdum etiam à *vermibus* cum roſione quadam & pruritu narium oritur, & quæ omnes ſuperiores differentias ſub ſe complectitur. Alia *per conſenſum* cordis, ut in febribus, hypochondriorum, Ventriculi, uteri, &c. & hæc ut plurimum eſt *Hemicrania*. Vide Tit. 1. hujus libri cap. 2.

IV. Alia eſt *Cephalalgia ſpeciatim dicta*, quæ nihil aliud eſt quàm *dolor recens, levis, & ſine magnâ imbecillitate facilliméque ſolubilis*, ab externis plerumque cauſis obortus, ſæpiſſimè cum febre.

V. Alia *Cephalæa*, ſeu *dolor contumax diuturnus, paroxyſmis maximis, ſed levibus de cauſis ſuſcitatis, totum cerebrum, caput, vel certè maximam ejus partem, potiſſimùm membranas infeſtans.* Alia *Hemicrania* dimidiæ partis capitis, quæ à partibus ſubditis exoritur. In ea quæ eſt *à ventriculo*, proſunt ad evacuationem *pillulæ Fernelii*, ex aloës opt. unc. ſ. pulv. elect. de gemmis, diatrionſantal. roſar. rubrarum ana gr. vj. Cum Syrupo de abſinth. & violar. num. xxx. formatæ, & x. hora ante cœnam deglutitæ. Capiti apponi poteſt Epithema ex *radic. cucumer. agreſt.* viridi cum verbenâ & abſinthio pontico, in hydrelæo decocta.

CAPUT II.

De Symptomatibus sensus communis.

ARTICULUS I.

De Vigiliis nimiis.

SYmptomata sensum communem infestantia sunt, *Vigiliæ*, & *Coma somnolentum*.

Vigiliæ præter naturam sunt sensus communis & externorum præter modum exercitium, propter continuum spirituum in organa influxum, exortum.

Signis opus non est. Relatio ægri sufficiet.

Causa in definitione expressa est. *Spiritus* autem *influunt*, quia sopiri non possunt, seu propter externa, objecta nempe, lucem nimiam, curas, cogitationes; seu interna, intemperiem cerebri calidam, dolorem, &c. *Curatio* est *difficilis*. si inciderint in juvenes & minus assuetos. si delirium, vel convulsionem *vel tussim* inferant. si diu durent. si à causis internis oriantur. *Consistit* I. In *Causarum* vigilias inferentium *remotione*. II. In *somni* seu per cephalica refrigerantia extra applicata vel intus data, seu per Narcotica *conciliatione*. Excellunt, pinguedo *lucii piscis* temporibus illita, Vinum *Hypnoticum* Mynsichti, Soporiferum *Saxoniæ*, Liquor ex *vermiculis spongiarum cynosbati*, postquam maturuerint expressus, *Opium* croco, magisterio corallorum & Spiritu vitrioli correctum. pulmentum ex *semine papaver*. cum *ol. Hyoscyami*, & lacte muliebri, pulsibus applicatum. *Pediluvium* Hartmanni, &c.

Differentia à Causis sumitur.

Aliæ sunt à *Causis externis*, nempe I. Affectibus animi, timore, mœrore, curis, consuetudine. Tum ista removenda, & quia intemperiem capitis causari

solent,

ſolent, humorum proventui occurrendum. 2. Objectis ſenſuum externorum, quæ rejicienda. Laudatur inunctio narium per *Oleum nenupharinum*, & ſuccus lactucæ.

Aliæ ſunt ab *Internis*, nempe 1. *Intemperie calida & ſicca*, ſeu cum febre, ſeu ſine febre, quæ ſpiritus agitat, & vapores diſſipat. Curari ex ſuo loco debet. 2. *Vaporibus calidis*, acribus, ſalſis, qui membranas cerebri vellicando ſpiritus turbant. Hi, *vel* ab apoſtemate capitis aliquo elevantur, *vel* ex toto, *vel* ex partibus; *vel* ſine febre, *vel* cum febre. Signa & Curatio ex ſuis capitibus peti debent. quæ vapores demulcent, poſt cœnam exhibenda ſunt. 3. *Vaporum ſpiritus ſopientium defectu ſeu* quod non generentur, ut in inedia, cruditate. *Tum* in curatione ratio diætæ habenda eſt: *ſeu* quod diſſipentur, ut in intemperie calida. *Tum* ejuſdem ratio eſt habenda. 4. *Dolore*, in quo cum ſenſus communis ſimul afficiatur, eo commoto, omnes reliqui commoventur. *Curatio* ad ipſius mitigationem convertenda. Huc pertinet *Tuſſis*, *Alvi fluxus*, &c. quæ ſomnum homini eripiunt.

ARTICULUS II.

De Comate ſomnolento, ſeu Cataphora.

Coma ſomnolentum eſt ſopor gravis, quod ſenſus communis torpens, nec ſpiritus animales ad ſenſus diffundi ſinat, nec ab iis accepta objecta agnoſcat & dijudicet, exortus.

Signa ex eo ſumuntur, quod æger demiſsâ ferè inferiore maxillâ & hiante ore dormit, excitatus oculos aperit, reſpondet, ſed mox iterum, in ſomnum delabitur. Sic à caro, apoplexia & uteri ſuffocatione diſtinguitur.

Cauſa

Causa est, quicquid spirituum animalium ad sensus organa influxum prohibet, eosque ad actiones animales ineptiores reddit.

Curatio est *dubia*, si virium imbecillitatem magnam, seu ex morbo aliquo acutissimo, seu ex gravi cerebri affectione sequitur. si in continuis febribus accidit. si à causa maligna proficiscitur. *Nulla ferè*, si à morbis calidis & siccis oriatur: quia ita insignem in cerebro refrigerationem esse necesse est. si malum ita ingravescat, ut sensus, motus, & respiratio ipsa tollatur. In quibus consistat, in Differentiis videndum est.

Dividitur pro ratione causarum.

I. Aliud est ab *Humiditate* vel *Frigiditate cerebri*. *Tum* materia in capite evacuanda & discutienda. In illa, irrigatione capitis *acerrimo aceto* cum rosis & *floribus chamæmeli* permixto. in hac, cum oleo anethino calidè inuncto. In utraque Apophlegmatismis, Errhinis, sternutatoriis agendum. Aliud à *Vaporibus narcoticis*, Spiritibus animalibus torporem inducentibus, qui *vel* sunt à nimio potu. *Tum*, eo adhuc in ventriculo hærente, vomitus excitandus. *Vel* cum febribus plerumque conjunguntur. *Tum* 1. Vapores seu per venæ in cruribus sectionem, seu per clysteres, frictiones, cucurbitulas, &c. revellendi. 2. Iidem per Oxyrrhodina actu calida, suturæ coronali applicata, quibus liberalius acetum admisceatur, repellenda; vel quod melius, ruta, castoreo, aceto, &c. discutienda. 3. Ne ea quæ somno depellendo exhibentur, febrem augeant, cavendum. *Vel* sine ipsis affligunt. Tum à ventriculo, utero, vel aliqua parte inferiore elevantur. Iisdem, quibus antecedentes, remediis tolluntur. Narcoticorum vim infringunt, *Ruta* cum *aceto*, balsamum *rutæ*, *Castoreum*, *nigella*, suffitus *sulphuris*, &c. Diætam, vide apud Practicos.

CA-

CAPUT III.

De Symptomatibus Imaginationis.

ARTICULUS UNICUS.

De Vertigine.

SYmptoma imaginationis, quod & ſenſum communem interdum lædit, eſt *Vertigo*, quæ nihil aliud eſt *quàm falſa converſionis & circumgyrationis imaginatio, ab inordinato, & circulari ſpiritus animalis in cerebri parte anteriore, motu exorta.*

Subjectum eſt cerebrum ſecundum anteriorem partem, quatenus eſt pars organica, ſpiritus animales continet, & quibuſdam meatibus, in quibus illi moventur, præditum eſt.

Signis opus non eſt. Aliis omnia in gyrum circumagi videntur; aliis & viſus obſcuratur, nonnullis ſibilus in auribus percipitur, &c.

Cauſa eſt, quicquid vel vapores ex ſe ſuppeditat, ut *radicula*, *allium*, *ſinapi*, *vinum*, &c. vel humores fundere & agitare ſolet, quo & purgatio ſpectat.

Curatio eſt *dubiæ ſpei*, ſi ſenibus accidit: quia cerebrum debile habent. ſi diu durat, quia Epilepſiæ vel apoplexiæ eſt prænuncia. ſi in ea caput vel corpus circumagi videtur. *Peragitur* I. *Diſcuſſione*, Tum foramina narium oleo *majoranæ*, *nucis moſchatæ* inungantur; vel iiſdem aqua roſarum cum aceto admoveatur. Tempora & carpi manuum, aqua aceto roſaceo cum gutta *ol. cinnamomi* mixta, inungantur. vel ſucco betæ nigræ illinantur. Palatum theriaca inungatur. II. *Venæ-ſectione*, ſi nimis eſt fortis. III. *Revulſione*, ſi ab inferioribus partibus procedit. IV. *Diæta*, in qua cibi vaporoſi, cereviſia multo lupulo condita,& alia vitanda. Ad præ-

ſervationem *ſemen carni* in vino maceratum, ſiccatum, & quotidie ſub horam decubitus ſumtum laudatur.

Differentiæ ſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt à *Cauſis evidentibus* ſpiritus agitantibus, ut ſunt, diuturna totius corporis circumgyratio, adſpectus rerum circulariter motarum, proſpectus ex loco altiſſimo in profundum. Sic enim ſpiritus ex adſpectu rei inſuetæ & meticuloſæ diffunduntur, & retrahuntur. *Cognoſcitur* ex relatione ægri. *Curatur* quiete & ſomno. ſi planè non ceſſat, frictionibus. Si *à fame* eſt, Mica panis in ſucco *granatorum*, vel vino auſtero intincta exhiberi debet.

II. Alia eſt à *meatuum cerebri anguſtia*, per quos quidem Spiritus animales moventur, ſed quia impediti ſunt, retrocedunt. *Oritur* ea *vel* ab obſtructione partiali, quam ſi vapores craſſi inferunt, citò ſolvitur: ſi humores ſeroſi & pituitoſi, diu durat, fluctuationis ſenſus adeſt. In Curatione ratio cauſæ haberi debet. *Vel* ex cerebri compreſſione, & cranii fractura, quæ ſuis locis videantur. *Vel* ex arteriarum ab exortu & ingreſſu in calvariam univerſo per cerebrum ductu coaleſcentia, de qua vivente homine vix aliquid certi ſtatui poteſt.

III. Alia eſt *à vapore ſpirituoſo* in Cerebro genito, qui inordinato motu in venas & arterias effuſus, ſpiritus animales ita agitat, ut circulariter in ſe convertantur, & phantaſiæ falſam hanc rerum ſpeciem exhibeant. *Cognoſcitur* ex vehementi capitis dolore & gravitate, aurium diuturno tinnitu, ſenſuum externorum quadam læſione. Malum eſt frequens, ex levi occaſione corripit, & diu durat. *Oritur* à cauſis flatus generantibus, conſuetâ præſertim evacuatione ſuppreſsâ. *Curatur vel* in paroxyſmo, de quo ſuperius: *vel* extra paroxyſmum 1. *Materiæ* vapores ſuppeditantis *evacuatione*, tam

uni-

univerſali, quam particulari. ab Errhinis quidam metuunt. 2. Ejuſdem *Revulſione*, *Derivatione*, & *Diſcuſſione*, per veſicatoria, cauteria, frictiones, lotiones capitis. 3. *Cerebri roboratione*, per externa & interna. Ex *appropriatis* laudantur *ſtercus pavonis* drach. j. pondere in vino maceratum, colatum, & ebibitum. Extract. *Scorzoneræ*, Radices *Doronici* comeſtæ, *Auricula urſi*, pinguedo *damarum* & *colubrorum* temporibus illita, Pulvis *bombycum exſiccatorum* vertici inſperſus. Valent quoque Spiritus *rorismarini*, oleum *ſuccini*, *Theriaca Hippocratis*, Pulvis ex *cinnabar. miner. veræ unc. ſ. Margarit. præpar. corallor. rubr. præp. ana ſcr. ij, Croci ſcr. j. Foliis auri n. x.* factus, & in aqua Liliorum convall. doſi ſcr. j. exhibitus. Electuarium *Saxoniæ*. *Dividitur* in eam, quæ eſt *à ſanguine fervido*. *Tum* rubedo faciei, & pulſatio arteriarum adeſt. In *Curatione* habenda ratio venæ ſectionis, baſilicæ primò, ſi plethora adeſt. Cephalicæ ſtatim, ſi in capite duntaxat abundat. non eſt educendum confertim, ſed pluribus per intervalla detractionibus. Arteriotomia non facilè tentanda. & in eam, *quæ eſt ab humore pituitoſo*. *Tum* loctis de intemperie pituitoſa conſulendus. Evacuatio præmiſſo clyſtere optimè per extract. *pillular. cochiar.* à ſcr. ſ. ad iſ. expediri poterit. Lixivium & Balſamum vide apud Agricol. p. 1. p. 38.

IV. Alia eſt à *vapore ſpirituoſo*, ex aliis partibus elevato. *Cognoſcitur*, quod nulla ſenſuum læſio præceſſit, malum per vices affligit, partis affectæ ſigna adſunt. *Oritur*, Aut *à ventriculo* ſeu picrocholo, ſeu pituitoſo, ſeu ob imbecillitatem cibos corrumpente. Tum *Curatio* ad ventriculum obvertenda. Locum hic habent *granum thuris* unum atque alterum poſt cibum ſumtum, confectio *fœniculi*, *coriandri*, ſaccharum *prunellæ*, roſatum. Electuar. ex

conserva rosar. rubr. antiq. Diacydon. simpl. spirit. vitrioli, & Syrupo Menthæ. Reliqua vide de morbis ventriculi. Aut *ab Epate, Liene, Vtero, toto*; ut in febribus fieri solet. Tum affectarum partium & Symptomatis ratio habeatur.

CAPUT IV.

De Symptomatibus imaginationis & ratiocinationis læsæ.

SYmptomata imaginationem & ratiocinationem lædentia sunt, *Memoriæ læsio, Delirium, Phrenitis, Melancholia, Mania, & Rabies, seu Hydrophobia.*

ARTICULUS I.

De Memoriæ læsione.

MEmoriæ læsio est ejusdem à causis siccitatem cerebri cum moderato calore conjunctam ad memoriam necessariam lædentibus, & sic Spiritus animales vel nimis torpidos, vel nimis mobiles reddentibus, imminutio vel abolitio.

Signis opus non est. Actiones ægri Symptoma detegunt.

Causæ cerebri temperiem ad memoriam necessariam lædentes, vel *calorem nativum obtundunt*, seu *externè*, ut Venenata, Narcotica, cervici vel collo applicata; seu *Internè*, ut Intemperies frigida, humida, quæ aut ob ætatem pueros & senes afficit; aut ob cibum & potum frigidiorem & humidiorem, aërem crassiorem, morbos, & alias (de quibus in intemperie frigidâ actum) causas, alios. Vel *eundem dissolvunt*, ut sunt *Externè*, philtra, vigiliæ, nimiæ cogitationes, medicamenta calida. *Internè*, morbi calidi, cerebri abscessus, bilis abundantia, &c. Vel *eundem exaltant*, ut sunt Intemperies calida & sicca,

quæ

quæ inordinatum ſpirituum animalium motum cauſatur. Vel *ſpirituum animalium motum impediunt*, ut ſunt Conformatio capitis & cerebri minor. Craſſities ejuſdem, &c.

Curatio cauſas ſuas reſpicit, & ex ſupra dictis ſumi poteſt. *Appropriata* memoriæ ſeu conſervandæ ſeu reſtaurandæ putantur. *Tinctura lunæ* in aqua Liliorum convall. ſumta. *Pulvis Trithemii*, de quo in miraculis Mulleri, dictus, *Confectio Anacardina* dr. ſ. pondere cautè exhibita, niſi intemperies calida & ſicca impediat. Intemperiei frigidæ, humidæ reſiſtunt, Aqua *Magnanimitatis* Cunradi. *Lilium convall. Meliſſa*, *Thus* ſcrup. ſ. pondere cum vino ſumtum, nux moſchata, &c. de quibus conſulantur Practici.

ARTICULUS II.

De Delirio.

DElirium *eſt phantaſiæ & ratiocinationis depravatio, à phantaſmatis abſurdi & inconvenientis oblatione exorta.*

Signa, *incipientis*, in taciturno garrulitas, & vice verſa, in mite, ferocia, ſermo obſcenus, oculorum mobilitas, quod cum cerebro, arteriis, venis & nervis ſocientur, pulſus in hypochondriis cum perturbatione. *præſentis*, ſermones & actiones inconſuetæ & inconcinnæ.

Cauſa eſt phantaſma abſurdum, vitio ſpiritus animalis tam fixi quàm mobilis, qui purus, lucidus, temperatus & ordinatè mobilis eſſe debet, exortum. ſi enim ab iſtis requiſitis deſciſcat, phantaſmatibus, circa quæ ratio occupatur, vitium communicatur, & ea intellectui non ita ut debent, offeruntur.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Dividitur delirium in *primarium* & *Sympatheticum*.

I. *Primarium est*, quando cerebrum per se afficitur. & est vel *cum febre*, de quo sequenti capite: vel *sine febre*, continens sub se, *tum* παραφορὰν & λῆρον ab imbecillitate facultatis principis, ob immoderatum sanguinis profluvium, vel diuturnas vigilias exortum: *tum* Stultitiam, in qua facultates principes, non solum imminutæ, sed & depravatæ sunt.

II. *Sympatheticum*, quando causa ab aliis partibus communicatur. *Dispescitur* in illud, quod est *sine Febre*, quæ sub se complectitur *temulentiam*, seu à vino, cerevisia, Spiritibus inducta; seu à cannabi, lolio, hyoscyamo, coculis de Levanthe, corticibus mandragoræ, opio, &c. *Præservant* comæ absinthii & rutæ stomacho jejuno comestæ, brassica, buccella panis haustui supercomesta. *Curant* Vomitus, Acidorum usus, &c. Et in illud, quod est *cum Febre*, quod vel in febribus acutis accidit. *Tum* febris præstò est. si in principio absque signis coctionis adveniat, phrenitidem inducit. somno demulcetur. si cum coctione & aliis signis accedat, decretorium *est*. *Curatur*, 1. *Revulsione* per venarum in pedibus apertionem, & alia. 2. *Fervoris* sanguinei in capite temperatione per Topica. 3. *Hypnoticorum* applicatione. 4. *Materiæ* quæ caput occupavit, tum *Evacuatione*, venâ vel frontis vel linguæ sectâ; tum *Discussione*, per applicationem columbar. dissectar. decocti chamæmel. ad caput, &c. Vel *in inflammatione* partium, Diaphragmatis inprimis. *Tum* respiratio est inæqualis. hypochondria sursum & intrò revelluntur. delirium cum tussi & dolore lateris junctum est. *Curatio* ad partem affectam obverti debet.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Phrenitide.

PHrenitis *est delirium perpetuum & continuum, ab inflammatione membranarum cerebri exortum, cum febre continua affligens.*

Signa sunt, delirium perpetuum, febris continua, vigiliæ perpetuæ, respiratio parva & frequens.

Causa est inflammatio membranarum cerebri: de qua hoc libro superius egimus.

Curatio ad morbum, vigilias, & urinæ suppressionem obvertenda est. *In illo Venæ-sectio* est unicum remedium: sed & pennâ ad radicem instar stellæ effigiata, intra nares immissa, ac fortiter circumducta, copiosum aliquando eduxit sanguinem. plura de Inflammatione cerebri videri possunt. Propter *istas* hypnotica repellentibus admisceri, vel seorsim adhiberi debent. *Laudani opiati* gr. iij. in liquore convenienti, cautè adhibita, ne phrenitis in veternum abeat, laudantur. *Hæc* vel sponte, vel quod ægri reddere negligunt, accidere solet, & fomentis emollientibus tollitur. Habent in isto morbo usum, *Luna potabilis* Hartmanni gutt. VI. pondere. pharmacum *phantasticum* Bartoleti, cujus dosis à drach. j. ad ij. & Spiritus terræ sigillatæ.

ARTICULUS IV.

De Melancholia.

MElancholia *est delirium, à phantasmate melancholico exortum, quâ detentus, uni cogitationi, absque furore & febre, cum tristitia & metu, inhæret.*

Signa sunt, Tristitia & metus absque causa evidenti. Taciturnitas vel sermo incongruus, de unâ re præsertim.

Causa est phantasma melancholicum, quod procedit à spirituum animalium vitio, qui cum lucidi, tenues, subtiles & mobiles esse debeant, obscuri, opaci, tenebricosi & fixi redduntur. Unde omnia objecta ad modum vitiosæ dispositionis spirituum, speciebus imprimuntur. Hanc dispositionem acquirunt, vel *vitio cerebri*, à nitore suo deflectentis, & tales spiritus generantis: vel *materiæ ex qua fiunt*, sanguinis nempe & spiritus vitalis: vel *materiæ impuræ* & melancholicæ, quæ sanguini & Spiritibus permiscetur, sive ea sit humor, sive vapor.

Curatio est *facilis*, si recens: sic enim solo victu & humectatione corporis ac capitis interdum curatur. si corpus augmentum sumit. si imaginatio saltem læditur. si cum risu aliquo est. *Nulla*, si hæreditaria. *Processum* vide de intemperie cerebri melancholica, & infra in differentiis. Nota tamen, 1. Diætæ hic magnam rationem habendam. somnum, ne in maniam abeat, urgendum. *Acetum* nonnisi ut vapores sicci à cerebro avocentur, adhibendum. Aquæ dulcis balneum non negligendum. 2. Ægrum ad contrariam imaginationem ducendum. 3. Medicamentis interdum ad certum tempus abstinendum. Laudantur hic, *Confectio Alkermes*, *Tinctura & Extractum Lazuli*, *Elixir proprietatis*, *Lapis Bezoar*, *Cachunde* medicamentum Indicum; cujus descriptionem vide apud Zacutum Historiæ Medic. l. 1. p. 310.

Dividitur in aliquot species.

I. Alia est *Cerebri*, quando Cerebrum in modo substantiæ à naturali luciditate, & puritate discedit. *Cognoscitur* ex eo, quod delirium est perpetuum & vehemens, melancholiæ in capite abundantis signa adsunt. sanguis si emittatur, non est is crassus nec ater. *Oritur Externè*, à forti imaginatione, metu, & gravibus aliis animi affectibus. *Internè*, ab

humore

humore melancholico in capite cumulato; seu ob intemperiem cerebri frigidam acquisitam; seu ob melancholicam constitutionem, quæ ex affectibus agnoscitur; seu ob materiam frigidam & siccam, post morbos calidos, calore remittente & partibus tenuioribus resolutis, in cerebro relictam. *Curatur*, 1. Materiæ peccantis *alteratione & præparatione*, per fumariam, aquam vel Syrupum pomor. redolent. & Tartar. vitrioli. 2. Ejusdem *evacuatione*, per *extract. hellebori*, viis inferioribus apertis. Errhina, Sternutatoria. 3. Somni inductione per hypnotica. 4. Capitis roboratione, per *Tincturam Chrysolithi*, & alia appropriata.

II. Alia est *Totius*, quando sanguinis melancholicus in toto redundat, & inde ad cerebrum mittitur. *Cognoscitur* ex eo, quòd delirium quidem est continuum, sed cum certis exacerbationibus & remissionibus; quòd melancholiæ in corpore abundantis signa adsint, & causæ præcessere. *Oritur* à suis causis, de quibus in differentiis agetur. *Curatur* 1. *Venæ sectione* sæpius instituta: sed quia paucissimi sunt in melancholicis spiritus, *non copiosa*; vel in sinistro brachio, vel in talo, crurum venæ si amplæ hirudinibus aperiri possunt. 2. *Humoris præparatione*, per Syrupum *pomorum redolent. fumariæ*, cum cremore Tartari, & Tartaro vitriolato, Confectionem *Alkermes*, serum *lactis* cum succo cichorii & fumariæ. 3. *Ejusdem Evacuatione* leni, sæpius repetita, spiritus ac principes partes roborantibus, nec non humectantibus castigata. sed & fortiore, si sanguis est nimis crassus, nisi jam corpus nimis contabuerit. hanc *balnea* humectantia additis emollientibus excipere debent. 4. Potu *acidularum* & *Thermarum* usu. 5. *Capitis* per interna & externa *roboratione*, inter quæ *embrochæ* inprimis laudantur. 6. *Diæta*, in qua à leguminibus abstinere debet. *Dividitur* pro ratione

tione causarum. 1. Alia est à *causis externis*, ut timore, vigiliis, curis, quæ humidum radicale exsiccant, sanguinem in toto corpore mutare possunt, & humorem melancholicum detinent. Tum, venæsectio minimè locum habere creditur. Alia ab *internis*, nempe vel hæreditaria constitutione, quam ne temerè tangas: vel Epatis & lienis seu frigida & sicca, seu calida & sicca dispositione; in qua, causa exurente cessante, calor desinit, & crassiores partes, quæ frigidæ & siccæ sunt, relinquuntur. Tum aut est *cum sanguine*, unde delirium cum risu: aut *cum pituita*, unde pigrities, oblivio; aut cum *bile flava*, unde ira, &c. In *Curatione* causarum quoque ratio est habenda.

III. Alia est *Cordis*, quando Spiritus vitales ob intemperiem frigidam & siccam, frigidi, sicci & impuriores gignuntur. *Curatio* non differt à superiore.

IV. Alia est *Hypochondriaca*, quando humor melancholicus, interdum frigidus & serosus, interdum in venæ portæ ramis adustus, in hypochondriis colligitur, & per vapores atros emissos, spiritus animales inquinat. *Cognoscitur* ex eo, quod per intervalla accedat; & in accessu interdum subitò & ex improvisò incurrat, interdum & sæpissimè, primò ructus & ventriculi tensivum dolorem; mox anxietatem, difficilem respirationem, cordis palpitationem, linguæ immobilitatem; tandem oculorum caliginem, aurium tinnitum, brachii alterutrius vel utriusque stuporem inducat. *Oritur* à vapore fæculento, qui ex humore melancholico ex lienis, epatis & ventriculi ἀντιπεριστάσει in hypochondriis collectus, versus superiora tendens, & in membra irruens, symptomata illa infert, & in cerebrum, seu per orificium ventriculi, seu per venæ cavæ ramos emissus, Spiritus obfuscat. *Curationem* in affectione hypochondriaca vide.

V. Alia est *Vterina*, quæ *Cognoscitur* ex eo, quòd de sinistri lateris dolore, & manifesto in dorso circa diaphragma pulsu, ægri conquerantur. *Oritur* etiam à vapore, seu ex mensium obstructione, seu ex seminis putredine exorto. *Curationem* vide suo loco.

VI. Alia est *Erotica, ab Amore profecta*, quæ vel ex *philtris* contrahitur; & tum danda 1. *Vomitoria* ex radice *Asari* cum bezoardicis, aqua benedicta Rulandi. 2. *Sudorifera*, ut aqua Theriacalis, *Diaphoreticum* in acutis. Appropriatum est *pulvis secundinæ*, de quo vide Hartmann. Vel *ex Veneris appetitu, & seminis abundantia.* Tum Venerem sopientibus & semen extinguentibus agendum. Vide de ea *Ferrandum* in peculiari tractatu.

VI. Alia est *Errabunda*, quæ Februario mense plerumque infestare solet. Ægri ulceribus in cruribus scatent, & ne per horam quidem uno loco quiescere possunt.

ARTICULUS V.

De Mania.

M*Ania est mentis diuturna, cum audacia & ferocia, sine febre, ab igneo spirituum fervore exorta, emotio.*

Pars affecta est & Cerebrum, memoriâ maximâ ex parte servatâ; & Cor, quod ex affectibus nimiis, & diuturna frigoris hyberni patientia, corde calorem copiosè diffundente colligitur.

Signa sunt ferocia, sic à Melancholia; febris Symptomaticæ, quia putredo abest, carentia; sic à phrenitide distinguitur. Accedunt Vigiliæ nimiæ, & alia communia delirii indicia.

Causa est spirituum fervor; cui occultam & potentiorem causam necessariò conjungi, ex Symptomatum

vmatum enormitate & diuturnitate patet. Unde verò iste sit, in differentiis exponetur.

Curatio est *difficilis*, quia affectus est diuturnus, tum ratione causæ, quæ pertinacissima, & fermenti se instar habet; tum ratione ægrorum, qui non obediunt. *Bonæ spei*, si menses & hæmorrhoides fluunt. si alvus laxa. si mitiora Symptomata. si copiosa ex naribus, varicibus, utero, hæmorrhagia. si sudores adsunt. si in taciturnam desipientiam mutatur. *Peragitur* 1. *Diæta* opposita, in qua vinum cavendum, somnus provocandus, ægri Musicâ demulcendi. 2. *Causarum fervorem inducentium remotione*, de quâ in Differentiis. 3. *Symptomatum*, vigiliarum præsertim, *mitigatione*.

Differentiæ à Causis fervorem Spiritibus inferentibus sumuntur.

I. Alia est à *Causis externis*, ut æstu caniculari, excandescentiâ nimiâ, vini potentis haustu, *solano*, *cerebro fellis*, *mustelæ*, *vino fulmine congelato*, philtro, canum vel luporum morsu, varicum, *fistularum* & ulcerum antiquorum curatione, quæ ex relatione ægri & adstantium cognoscuntur.

Alia *ab internis*, de quibus in secunda Differentia.

II. Alia est à *sanguine adusto*, quæ *Cognoscitur* ex plethoræ indiciis, oculorum rubedine & velut lusu, cantu, immodico saltu, &c. *Oritur* interdum ab hepatis intemperie calida, mensium vel hæmorrhoidum suppressione. *Curatio* venæ sectione peragitur, non neglectis morbis, à quibus causatur.

Alia à *Bile atra*, occulta proprietate stipatâ, quæ *Cognoscitur* ex eo, quod perpetua sit, si in venis vel omnibus vel membris principalibus proximis stabulatur, delirium sit cum insania; ægrorum vires continuis vigiliis dissolvantur. rabida mordendi & dilacerandi libido adsit. &c. *Oritur* interdum à liene fervido μελαίναν χόλην præbente. *Curatur* 1. *Sanguinis*

nis missione, tum per venæ brachii sinistri & salvatellæ sectionem, copiosa, si sanguis nigrior; parcâ, si rubicundior; tum per hæmorrhoidum & varicum, si apparent; venæ frontis, si malum pertinacius, apertionem. II. *Humoris peccantis* per refrigerantia & humectantia Cephalica *præparatione*. Laudatur *oleum Camphoræ unc.* j. *ol. Musci dr.* j. *pondere commixta*, & dr. ſ. valore exhibita. *Decoctum Anagallidis flore purpureo*. III. *Ejusdem* per melanogoga, *lapidem* inprimis *lazuli*, & *mel helleboratum*, de quo *Petræus* in Nosologia, *eductione*. IV. *Cordis* & Cerebri per Confect. *Alkermes* & de *hyacintho roboratione*. V. *Topicorum usu*, in quibus locum habent, cauteria suturæ coronali applicata. Cranii cum Trepano apertio. *lixivium ex baccis lauri & radicibus hellebori nigri veri factum*, quo caput tepidè lavari debet, &c. Specifica sunt, *Liquor sanguinis humani* cum extracto lapidis lazuli. *Crystalli saturni* cautissimè exhibendi. *sanguis asini* ex venis post aures captus, de quo Hartman. &c. Vide *Rulandum* in Curationibus.

III. Alia est per *essentiam*, cui ista omnia attribui possunt.

Alia per *Consensum*, *Vteri* inprimis; unde furor uterinus dicitur: de qua suo loco.

ARTICULUS VI.

De Rabie.

R*Abies est delirium, à veneno quodam peculiari in animali genito & homini communicato productum, cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potissimum abominatione.*

Animalia illa sunt lupus, felis, canis; & hic præcipuè,

Signa sunt, *Incipientis*, iracundia, querela de aëre quasi austrino, parvum bibendi desiderium, luminum

num etiam de die accendendorum cupiditas, capitis vertigo. *Confirmatæ*, membrorum diſtentio, ſed non continua, ſpuma, oculorum torvitas, in proximos exſpuitio, more canum latratus, ab aqua propter ſingularem quendam diſſenſum exhorreſcentia, unde hydrophobia dicitur.

Cauſa eſt *venenum*, quod ex peculiari quadam inclinatione in animali gignitur. homini per halitum, oſculum, ſalivam, morſum communicatur. in quibuſdam ex terrore, ſi Donato credendum, generatur. in nonnullis ad corni, vel ſanguinariæ, vel ſorbi contactum excitatur. *Producitur* verò *delirium* in quibuſdam citius, die ad ſummum vigeſimo; in quibuſdam tardius etiam anno duodecimo. Idque vel ob partis demorſæ varietatem; aliæ namque ſunt nobiliores, aliæ ignobiliores: vel ob victus, qui venenum retundere poteſt uſum: vel ob patientium diverſitatem: vel ob regionum & temporum difformitatem.

Curatio eſt *Alicujus ſpei*, ſi vulnus nervum, venam, vel arteriam non attigit. ſi profundum non eſt. *Nullius*, ſi timor aquæ adeſt. ſi ſingultus acceſſit. *Conſiſtit* 1. In *Præſervatione*, ne venenum in corpus penetret. ubi occurrunt 1. *Ligatura* ſupra partem affectam; ſi eam pars non patitur, intercipientium ſeu adſtringentium impoſitio. 2. *Cucurbitulæ* cum magna flamma, cum ſcarificatione ſi vulnus exiguum; ſine, vulnus magnum. 3. *Partis*, ſi vulnus nimis anguſtum, *amplificatio*, ut venenum eò melius effluere poſſit. 4. *Attractio* per medicamenta vehementer attrahentia, vel cauteria actualia. II. In *Curatione propriè ita dicta*, ubi locum habent. 1. *Purgatio* per helleborum. 2. *Sudorifera* appropriata, maximè *mixtura ſimplex*. 3. *Veſicantia* validiſſima. 4. *Antidota* duplici quantitate exhibita, &c.

C A-

CAPUT V.

De Symptomatibus plurium ſenſuum internorum.

ARTICULUS I.

De Comate Vigili.

SYmptomata plures ſenſus internos ſimul infeſtantia, ſunt *Coma Vigil*, & *Lethargus*.

Coma vigil eſt ad ſomnum poopenſio , & ad eundem impotentia , à vaporibus Narcoticis ſomnum inducentibus & mentum turbantibus, exorta.

Signa ſunt Oculorum conniventia , eorundem frequens apertio, delirus ſermo, manuum & crurum inordinatus motus.

Cauſa in vapores narcoticos conjicitur , quibus aliquid quod vigilandi neceſſitatem infert , ut ſunt, phrenitis, febris maligna,&c. adjungitur. Procedit interdum & à nimia virium debilitate, ex vehementi morbo , immaniſſimis doloribus , & immodica evacuatione contracta, & tum ferè lethalis eſt.

Curatio eſt *Difficilis*, quia facilè in lethargum vel phrenitidem mutatur. *Dubiæ ſpei* , ſi ſermo ſit impeditus. ſi ſpirantibus in gutture murmur audiatur. ſi ægri potulenta difficulter deglutiant. ſi humor tenuis è naribus deſtillet. *Peragitur* Revulſione. Materiæ à qua mittitur Evacuatione, &c.

ARTICULUS II.

De Lethargo.

LEthargus eſt inexplebilis in ſomnum propenſio, cum febre lenta , oblivione & torpore, ex pituitoſo ſanguine in poſterioribus cerebri ſinibus putreſcente, exorta.

Pars

Pars affecta ſunt ſinus cerebri poſteriores, quia memoria præcipuè læditur.

Signa ſunt, *ſomnus inexplebilis*, quia cerebrum ob madorem expandi nequit, & ſpiritus animales propter obſtructionem ligantur. *Febris lenta*, quia humor putreſcens non admodum mordax, calor à contrario refringitur; *continua*, cum focus ſit perpetuus; & ſub noctem quotidiè recurrens. *Oblivio*, quia poſterior cerebri pars læditur. *Reſpirationis tarditas*, quia nervi thoracis afficiuntur. *Tuſſis*, ob pituitæ in laryngem defluxum. *Vrina turbida*, quia crudi humores à calore agitantur, nec ſeparantur. *Pulſus magni* ob febrem, *tardi* ob virium imbecillitatem. *Differt* à *Catalepſi* oculorum conniventiâ. A *Caro* febris præſentia. Ab *Apoplexia*, quod non ſubitò invadat, nec omni motu privet. Ab *Hyſterica paſſione*, quòd lethargici reſpondeant & febricitent. A *Comate*, ſomno inexplebili, in quem excitati relabuntur.

Cauſa eſt Pituita, in poſterioribus cerebri *ſinubus* putreſcens. *Vbi nota*. 1. Interdum illam circa cerebrum & meninges diffundi, & tumorem non ita magnum nec durum inferre: interdum iiſdem impingi, & ut inſtar ſpongiæ tumefiat facere. 2. Pituitoſum ſanguinem à Narcoticis ut plurimum in ſenectute cruditatibus *invehi*: ut *putreſcat*, à vaporum diſflandorum retentione fieri.

Curatio eſt *Nulla*, ſi legitimus eſt. ſi indies vires proſternuntur. ſi ſudor frigidus in capite augetur. ſi in ſphacelum deſinit. *Dubiæ ſpei*, ſi juveni æſtivo tempore accidat. ſi urinæ claræ & tenues reddantur. ſi multa & liquida per alvum egerantur, quia à natura reſoluta fit. ſi tremor accedat, quia vel materiæ copiam vel reſolutionem ſignificat. ſi phrenitis ſubſequatur. *Alicujus*, ſi ſeptimus dies ſuperatus. ſi animales actiones non validè læduntur. ſi

expulſa

expulſa ad nervos materia meliùs habent. ſi materia putrefacta per aures vel nares evacuatur. ſi abſceſſus poſt aures fiat. *Inſtituitur* I. *Revulſione*, quæ peragitur, I. *Venæ ſectione*, illaque maturâ, præmiſſo clyſtere; cui, ſi vires non ferunt, ligaturæ, hirudines, cucurbitulæ dorſo & humeris affixæ, ſubſtitui poſſunt. 2. *Purgatione*, inſtituta per *Mitiora* propter febrem, chologoga in principio, phlegmagoga in progreſſu. *Fortiora*, ſi febris remiſſior, & materia urgens. *Caſtoreo*, quod huic morbo proprium, *caſtigato*. Non omiſſis *Clyſteribus acrioribus*, ſi febris eſt major. II. *Repulſione*, quæ adminiſtratur poſt venæ ſectionem, per medicamenta mitiora, ſuturæ coronali applicata, revulſione non neglectâ. *Oxymel Scilliticum* bonum eſt. III. *Præparatione* materiæ, ſi morbus dat inducias, *ſtœchade Arabica* vitata, ſi febris nimia. IV. *Evacuatione cerebri particulari*. Ubi nota, Caſtoreum ſemper admiſceri debere. *Sternuatoria* ab initio uſurpari non debere: nec continuè, quia caput replent, in ipſis perſiſtendum eſſe. *Veſicatoria* poſt aures, vertici aut ſuturæ coronali imponi debere. V. *Capitis roboratione* per appropriata ſua. IV. *Diæta*, in qua in principio debet eſſe victus tenuis, inprimis boni ſucci. ſomnus paucus, &c.

Dividitur dupliciter.

I. Alius eſt *Legitimus*, de quo hactenus diximus. Alius *Nothus*, qui eſt citra febrem, & nihil aliud quàm ſomnus profundus, mediæ quaſi inter caron & coma vigil naturæ.

II. Alius eſt *per eſſentiam*, de quo hæc accipienda ſunt. Alius *per conſenſum*, materia cerebro ob menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſionem, vel alium aliquem morbum communicatâ.

CAPUT VI.

De Symptomatibus motus animalis.

ARTICULUS I.

De Lassitudine.

SYmptomata motum animalem lædentia sunt, *Lassitudo*, *Inquietudo*, *Rigor*, *Tremor*, *Paralysis & convulsio.*

Lassitudo est ad motum animalem, qui per naturam fieri debebat, cum dolore ineptitudo.

Signa relatio ipsius ægri suppeditat.

Causa est, quicquid musculos motus animalis instrumenta onerat & lassat, sive illud externum, sive internum.

Curatio per Remotionem causarum, & Musculorum demulsionem peragitur.

Dividitur in sex Species.

I. Alia est *Non spontanea*, ad quam *Exsiccativa* pertinet. Alia *Spontanea*, quæ, quia redundare in corporibus humores ostendit, morbos præsagit; & si post febrem perseverat, recidivam significat. Ad eam *Gracilitatis Vlcerosa*, *Tensiva*, *Phlegmonodes* & Ὀστοκόπος pertinet.

II. Alia est *Exsiccativa*, quæ à nimio corporis motu progreditur. Nihil periculi in se habet, nisi in corpus cacochymicum inciderit. Curatur I. Quiete somni præsertim, quia tum membra mediâ formâ, musculis relaxatis, locantur. II. Exercitio, si priore levius, quia discutit humores in ambitum corporis motos.

III. Alia est *Gracilitatis*, quæ nullum molestum sensum habet. A carnis & adipis musculorum consumtione oritur. Vel chronicos vel acutos morbos insequitur. *Curatur* Diæta conveniente.

IV. Alia

IV. Alia eſt *Vlceroſa*, quæ *Cognoſcitur* ex indiciis cacochymiæ bilioſæ, ſenſu punctionis per totum corpus, unde nomen ſortita eſt, & rigore ſubſequente. *Oritur* ab acri & mordaci vel humore vel vapore, ſeu à calore fuſo, ſeu ab exercitio liquato. *Curatur Purgatione*, ſi materia profundius hæret. Frictionibus & motu, ſi in ſuperficie.

V. Alia *Tenſiva*, quæ *Cognoſcitur* ex ſenſu tenſionis in muſculorum tendinibus, fibris, & nervis. *Oritur* à plethora. *Curatur* Frictione cum oleo dulci, Balneo aquæ dulcis.

VI. Alia *Phlegmonodes*, quæ *Cognoſcitur* ſenſu contuſionis & contractionis, & quaſi inflammationis muſculorum illorum, præſertim qui ſub cute locum habent. *Oritur* vel à *ſanguinis copiâ* ad muſculos delapſa, aut per exercitationem attracta, & tum venæ ſectione cura perficitur: Vel ab *Humoribus*, pari ratione eò deductis; & tum Purgatione opus erit.

VI. Alia eſt Ὀστοκόπος, quæ *Cognoſcitur* ex nervorum interiorum tendinum oſſibus adhæreſcentium, & membranarum oſſa obvolventium tenſione. *Oritur* à Melancholiâ membranas illas occupante. Concurrit cum ſcorbuto, febribus quartanis, morbo Gallico. *Cura* ad morbos dirigitur primariò.

ARTICULUS II.

De Inquietudine.

INquietudo eſt corporis & membrorum varia jactatio, à materia partes ſentientes moleſtante exorta.

Signis opus non eſt. Affectus oculis eſt expoſitus.

Cauſa eſt materia acris, vel humor, vel vapor calidus.

Curatio ad eandem, ut ex differentiis patet, obverti debet.

Dividitur in *Criticam* & *Symptomaticam*.

Critica eſt in perturbatione illa ſubitanea humorum. Unde nihil periculi. *Symptomatica* accidit in genere, & continet ſub ſe I. *Stomachicam*, quæ *Cognoſcitur* ex nauſea, interdum ſine vomitu, interdum cum illo, dolore ventriculi, &c. *Oritur* vel ab *Humoribus* os ventriculi vellicantibus, & in tunicis imbibitis; ubi purgantia acrimoniam retundentia locum habent: vel à *cibo* intempeſtivè ſumto, ubi vomitu ſubveniendum eſt. II. *Inflammatoriam*, quæ à viſceris inflammatione procedit. III. *Febrilem*, quæ in febribus malignis apparet, & cum virium imbecillitate periculoſa eſt. In *Curatione* ad morbos reſpiciendum.

ARTICULUS III.

De Rigore.

Rigor eſt muſculorum totius corporis vibratio, cum refrigeratione & dolore quodam conjuncta, à re moleſta, partes ſentientes in ambitu corporis ſubitò vellicante, & expultricem irritante exorta.

Pars affecta eſt totum corpus, vel muſculi ejuſdem, ſive compatiantur interius, ſive non.

Signis opus non eſt. Refrigeratio quæ in eo accidit, vel eſt duntaxat cutanea ob dolorem ab acrimonia humoris excitatum: vel muſculorum, ſeu illa ab humoris fit diffuſione, ſeu viſcerum inflammatione.

Cauſa eſt res moleſta, ſive in ipſis muſculis colligatur & contineatur; ſive aliunde transmittatur. Illa verò eſt acris & mordax, multa, quæque velociter movetur. Accidit inprimis in febribus.

Curatio ſublatis cauſis peragitur. Malus eſt, ſi evacuatione ſubſecuta morbus non ceſſat: & ſi cum tabe conjungatur.

Dividitur præcipuè *trifariam*.

I Alius

I. Alius eſt *ab Externis*, ut aëre frigido, calore externo excrementa quæ quieſcebant fundente. adſperſione aquæ frigidæ, ſcintillæ in cutem illapſu, &c. Curatio hic nihil obſervatu dignum habet.

Alius ab *Internis*, humore nempe *bilioſo*, ſalſa pituita, melancholiâ, atra bile, vapore acri. Cura morbos ſpectat. *Mitigandi* interdum ſunt ol. *Rutaceo*, *laurino*, *de caſtoreo*, *de piperibus* cum *Theriaca* & *Mithridatio*.

II. Alius eſt *Vehemens cum febre continua*. Tum, ſi in principio fit, inflammationem viſceris indicat; ſi in fine, vel materiam febrilem è venis moveri, vel inflammationem ad ſuppurationem tendere oſtendit. Alius *Parvus*, qui febrium index, in propriis de illis capitibus videndus eſt.

III. Alius eſt *Periodicus*, qui ſecundùm typos affligit. Et hic optimus, ſi die Critico accedit. ſi corpus ad ipſum excaleſcit; aut aliqua dejectio ſequitur. Alius *Symptomaticus*, quando materia ſine criſi in ambitum corporis protruditur. Et de hoc agimus.

ARTICULUS IV.

De Tremore.

TRemor eſt motus voluntarii depravatio, propter quem membrum elevatum in ſuo ſitu ſervari non poteſt, à debilitate facultatis motricis exorta.*

Signis opus non eſt. *Differt* à *Convulſione*, quia in hac pars contrahitur & ſervatur. à *Paralyſi*, quia in hac non attollitur, vel nimis tardè. à *Palpitatione*, quia in hac non totum membrum, ſed caro & inprimis cutis movetur; & membrum immotum nunc ſubſidet, nunc diſtenditur. à *Rigore*, quia ſine dolore eſt.

Cauſa eſt facultatis motricis debilitas, quæ vel vitio ſpirituum animalium, vel nervorum accidit.

Curatio eſt *Nulla*, ſi ſenes adoritur, ob ſpirituum & cerebri magnam imbecillitatem. ſi in vehementi phrenitide vel melancholia accidit; fit enim vel ob nervorum per febrem exſiccationem, vel ob pravam qualitatem. ſi eſt hæreditarius, vel vitio diætæ in illis qui organa facultatis animalis debilia habent, exoritur. ſi æger ad manum reſilit, in febribus acutis, quia nervi aut exſiccantur, aut à prava materia vellicantur, unde convulſio ſequitur. *Facilior*, ſi à cauſis evidentibus procedit. *Dubia & difficilis*, ſi in parte ſiniſtra accidit, quia calidum innatum ejus partis facilius cadit. ſi in convulſionem mutatur, quia materia peccans deteriorem qualitatem induit. ſi in febre ardente fit, & delirium ſubſequitur. gravis enim morbus ſuccedit, & vires abſumuntur. ſi æger ad manum reſilit, nam nervi humore madeſcunt. *Inſtituitur* pro ratione cauſarum & Differentiarum: de quibus agemus.

Differentiæ ſumuntur à cauſis inducentibus.

I. Alius eſt *à Cauſis externis*, præſertim *malignis* & narcoticis, ut *argento vivo*, venenis, opiatis, *hyoſcyamo*, retentione ſecundinarum, ſanguinis poſt partum ſuppreſſione; quæ omnia removenda ſunt. *Alius ab Internis*, de quibus in ſecunda differentia.

II. Alius eſt *à Spirituum inopiâ*, qui *vel* non generantur in debita ſufficientia, ob intemperiem cerebri frigidam; Tum morbi ipſius in curatione ratio habenda eſt: *vel* diſſipantur & abſumuntur, per calorem nimium, evacuationem nimiam, morbos longos. Hic Diætâ agendum.

Alius à *Nervorum vitiis*, quæ eſſe poſſunt, 1. *Intemperies Cerebri* frigida & humida. Tum affecti cerebri ſigna adſunt. Curatio ad intemperiem obvertenda. Laudantur *Intra*, Eſſentia Meliſſæ, ſtœchas Arabica. *Extra*, Oleum ex floribus Trifolii, vulpinum,

pinum, piperinum, de Castoreo, &c. 2. *Plethora*, quando aliqua evacuatio suppressa est. Tum, Vena aperiatur. 3. *Obstructio* eorundem partialis, seu à crassis humoribus, seu à Crapula & aliis. Vide Curationem Paralyseos.

ARTICULUS V.

De Paralysi.

PAralysis *est motus in partibus voluntaria abolitio, sine rationis læsione, ob defectum Spirituum animalium, vitio nervorum exorta.*

Signus opus non est. Motus plerumque perit, manente sensu. in parte affecta est mollities, frigus, pulsus debilis, &c.

Causa est Spirituum animalium defectus, qui vitio nervorum accidit.

Curatio est *Nulla*, si ex luxatione vertebrarum soluta & valida accidit, quia nervi insigniter contunduntur, ac sequitur inflammatio. si ex nervi grandioris aut spinalis medullæ incisione, quia incisio non coalescit. *Difficilis*, si in senibus, quia caloris imbecillitatem innuit. si membrum extenuatur, & ejus calor vegetus mutatur; præsertim si oculus lateris imminuitur, quia calorem ferè extinctum arguit. si plures nervi & musculi affecti sunt. si Apoplexiam insequitur, quia causa est nimis vehemens. *Facilior*, si crura aut pedes resolvuntur, quia siccior ibidem nervorum natura. si membrum resolutum actu est calidum. si tremor aut febris supervenit. *Instituitur* pro ratione Causarum & Differentiarum.

Differentiæ Paralyseos sunt variæ.

I. Alia est *Vniversalis*, in qua vel totum corpus excepto capite occupatur, vel medietas sive alterutrum latus. Tum, si *facies* afficitur, cerebrum quoque cum spinali medulla affectum est: sin *omnes sub*

facie partes, initium ſpinalis medullæ malè habet ſecundum tranſverſum. *ſin medietas*, alterutrum ſpinalis medullæ latus peccat.

Alia *Particularis* cum certa pars laborat. Tum, Si *brachia* & manus motu deſtituuntur, nervi, qui ex vertebris cervicis prodeunt, peccant. Si *pedes*, qui in vertebris lumborum & oſſis ſacri. ſi *oculi* ſecundum par nervorum afficitur. ſi *linguæ* ſeptimum, ſi *vox* deficiat, nervi recurrentes affecti ſunt.

II. Alia eſt ab *intemperie nervorum*, propter humores pituitoſos & frigidos, *tonum ipſorum laxantes*, à capite plerumque deſcendentes. *Cognoſcuntur* iſti ex capite de Intemperie. Curatio fit 1. *Evacuatione* primarum viarum, ne præparantia humores crudos in ventriculum trahant, (Et *vomitus* vomitorio Cratonis ex *ſucco raphani*, in quo *helleborus niger* defoſſus erat, excitatus, locum habet, ſi ventriculus pituita repletus eſt) *leni*; ſi verò materia in motu eſt, *fortiore*. 2. *Præparatione* materiæ repetita, per medicamenta Cephalica, inter quæ *Iva arthetica*, *flores primulæ veris*, *lilior. convall.* optima. 3. *Purgatione*, per Mechoacannam, vel *pillulas Solenandro & Mathiolo* uſuales. 4. *Sudorum concitatione*, per *hydroticum* Quercetani, *ſudoriferum* ſ. Ambroſii, quibus adjungi debent *Guajacum*, *China*, *Theriaca*, *Bezoardicum Lunare*, cum aliis appropriatis, quos frictiones colli, vel ſpinæ *cæpa lilii*, *radice iridis recenti*, excipere debent. 5. *Evacuatione* cerebri *particulari* per Errhina, Apophlegmatizantia, &c. 6. *Topicorum applicatione*, ubi locum habent Frictiones cum *aqua formicarum*, & ſalviæ cum *foliis Tabaci* in vino Malvatico infuſis, balnea cum *formicetis*. Rubificationes per *Vrticas virides*, & alia. Inunctiones unguento *viperino*, *de piperibus*, *de caſtoreo*, *axungia Catti ſylveſtris*, *humana*, &c. *Thermæ naturales vel*

artifi-

artificiales, de quibus vide *Heurnium* in Methodo. 7. *Diætâ calidâ & ſicca*, de qua conſule Practicos.

Alia à *Nervorum anguſtia*, quam infert 1. *Obſtructio*, facta ab humore pituitoſo, & aliis huc inſervientibus. Tum Curatio cauſæ rationem habet: de qua ſuperius. 2. *Conſtipatio* à tumore in ſubſtantia ſpinalis medullæ vel nervi exorto. 3. *Compreſſio* ſeu ab aliqua externa cauſa, ſeu à tumore, &c.

III. Alia à *Cauſis unitatem nervorum ſolventibus*, inter quas 1. *Contuſio*, caſus, vel ictus. Tum vena ſecanda, ne affluxus fiat. Adſtringentia cum diſcutientibus apponenda, niſi inflammatio adſit. 2. *Diſſectio*, ubi nullum remedium. 3. *Luxatio vertebrarum* dorſi ſubitò facta, de qua l. 2.

Alia à *rebus Narcoticis*, ut contactu marinæ torpedinis, argento vivo, vino Spiritus torpidos reddente. ubi ratio cauſæ in curatione eſt habenda.

IV. Alia eſt *Colica*, cum humor ab inteſtinis non tam ad nervorum principium, quàm muſculos & tendines movetur. In *Cauſa* eſt humor tenuis bilioſus & ſeroſus. In *Curatione* clyſteribus eſt maximè agendum, ut perverſus naturæ motus invertatur. Vena ſecanda, ſi plethora adeſt. Purgandum per Epicraſin mitioribus. Sudorifera ſubſequantur, in aquis primulæ veris, Liliorum convallium. Valet & *Spiritus nitri*.

Alia *Scorbutica*: de qua vide in Scorbuto.

Alia *Hyſterica*, quam ſuo quoque loco videbimus.

ARTICULUS VI.

De Spaſmo, ſeu Convulſione.

Spaſmus eſt muſculorum involuntaria, perpetua, & dolorifica, verſus ſuum initium retractio, ob nervoſarum partium abbreviationem, quam rigor & figuræ depravatio ſequitur, exorta.

Pars affecta est Musculus,& præcipuè Tendo.

Signa per se patent, ita musculi retrahuntur, ut immobiles sint in contrarium.

Causa est vel materia expultricem partium vellicans: vel morbus violenter nervosas partes tendens. Et hæret in genere nervoso, vel in principio nervorum, cerebro nempe, vel spinali medulla, vel in peculiari nervo.

Curatio est *Nulla* ferè, si est ab helleboro. si post phrenitidem exorta. si à vulnere, cerebri præsertim, ob saniem nervos vellicantem. *Difficilior*, si cerebro vicinæ partes laborant. si primario fit nervi consensu, quia ob vehementiam Symptomatum æger durare nequit. si à copioso sanguinis fluxu oritur. si à muliebri profluvio. si febres insequitur. si acutis cum doloribus circa viscera accidit. *Facilior*, si partes à cerebro remotæ & minus nobiles occupantur. si consensu cerebri fiat, nisi affectus, quò cerebrum laborat, pertinax sit. *Instituitur* pro ratione Causarum: de quibus in Differentiis.

Differentiæ spasmi sunt variæ.

I. Alius est *Universalis*, qui totum corpus afficit. Hujus *Causa*, vel *est in Cerebro*, & cum corpore musculi etiam faciei convelluntur; vel *in exortu spinalis medullæ*, unde musculi caput & spinam moventes retrahuntur. Tum, vel trahitur corpus cum cervice & capite ad partem interiorem, unde ἐμπροσθότονος oritur: vel musculis duodecim caput extendentibus affectis, ad partem posteriorem, unde ὀπισθότονος: vel musculis & nervis tam anterioribus quàm posterioribus affectis, totum corpus inflexile permanet. Unde *Tetanos*, quo affecti vel intra quatuor dies moriuntur; vel si hos effugerint, evadunt.

Alius est *Particularis* Oculi, oris, &c. quos suo loco videbimus.

II. Alius est à *Repletione*, quæ nervorum latitu-

dinem dilatat, longitudinem minuit. *Cognoscitur* ex causarum prægressu, invasione subita citra evidentem causam & exhaustum, habitudine phlegmatica. *Oritur* I. Ab *humoris pituitosi*, in nervos secundùm tunicas, & ut sunt partes musculorum componentes, & instrumenta operationis motivæ, *affluxu*. Tum Diæta antecessit talis. Menses, hæmorrhoides vel aliæ evacuationes consuetæ suppressæ sunt. In *Curatione*, 1. Clystere præmisso attenuandum & incidendum. Laudatur *Theriaca Andromachi*, *Aqua vel Spiritus Iuniperi*, *Balsamus Quercetani*. 2. Evacuandum sæpius clementioribus. fortiora materiam fundunt. 3. Revellendum frictionibus, gargarismis, cucurbitis, &c. 4. Discutiendum Oleis *Castorei*, *Euphorbii*, *Terebinthina* destillatâ, *Nucis moschatæ*, *Thermis sulfureis*. 5. In Diæta nullum vinum bibendum. II. Ab *Inflammatione partium nervosarum*. Tum Plethora adest. Casus vel ictus, vel aliquid violentum, dolores longi & acuti in partibus nervosis, iræ vehementes, &c. antecessere. In Causa est affluxus sanguinis fervidioris. Curatio ad inflammationem obvertenda. III. A *Flatibus*. Tum causæ præcessere, citò transit. Ad *discutiendum*, valent *verbena* & *matricaria* collo impositæ. IV. A *Vulnere* vel *punctura nervi* simplici vel venenata, de qua lib. 2. egimus.

Alius ab *Inanitione*, in quo nervi breviores ob exsiccationem nativæ humiditatis redduntur. *Cognoscitur* exinde, quia sensim cum membri diminutione accedit. *Oritur* à causis, vel immodicè evacuantibus, ut sunt, hæmorrhagia narium, sudores, purgationes helleboratæ; vel vehementer calefacientibus & exsiccantibus, ut sunt inflammationes, vigiliæ, labores, vini potus, venus nimia, dolor diuturnus, hectica, cauteria aut vesicatoria nervosis partibus adhibita. *Curatur* 1. *Diæta* humectante. 2. Medicamentis

camentis *analepticis* & humectantibus, ut ſunt unguenta *de anſere & cato aſſatis*, *balnea oleacea*. Aqua *pinguefaciens ex ſanguine ſuillo Ferdinandi*, l. 3. c. de Hecticâ. Morſelli *ex carnibus teſtudinum*. Magiſterium *hyacinthi* ſpecificum eſt.

III. Alius eſt φυσώδης, qui à Spiritu ſeu halitu craſſo, à cruditate excitato, ſpacia muſculorum replente, & cum dolore diſtendente oritur. Durat eo uſque, dum muſculus relaxatur. Frictione tollitur, vel inunctione cum *Theriaca*, aut *aqua Iuniperi*.

Alius *Illegitimus*, qui ob ſtimulationem partium nervoſarum ab affectu dolorifico, ſed ſine perpetuâ tenſione oritur, & plerumque per conſenſum orificii ventriculi, vel uteri accidit. Affectus dolorificus vel eſt ab intemperie, vel à ſolutione continui.

Caput VII.

De Symptomatibus ſenſus internos, ratiocinationem & motum, cum ſenſibus externis ſimul, lædentibus.

Articulus I.

De Incubo & Catalepſi.

SYmptomata ſenſus internos, ratiocinationem & motum, cum ſenſibus externis ſimul lædentia ſunt, *Incubus*, *Catalepſis*, *Epilepſia*, *Carus*, & *Apoplexia*.

Incubus eſt motus, potiſſimum reſpirationis & vocis interceptio, cum falſo rei gravis thoraci incumbentis & ſuffocantis inſomnio, ob impeditam liberam ſpirituum, viis obſtructis, ad nervos penetrationem.

Pars affecta eſt Cerebrum, maximè parte poſteriore, qua meatus ad principium ſpinalis medullæ pertingit. Comprimitur & *Diaphragma*.

Signa

Signa ſunt gravitas & immobilitas corporis, præſertim pectoris, ſenſus torpidus, ſuffocationis, initio præſertim ſomni, homine ſupino decumbente, imaginatio, & quaſi ab aliquo incumbente oppreſſio, ut æger exclamare nequeat, ſed confuſam vocem edat. Sola reſpirationis & vocis interceptio imaginationi offertur; quia ſolus thoracis motus, in ſomno ſummè eſt neceſſarius.

Cauſa eſt Spirituum animalium interceptio, ab *Obſtructione* levi, ventriculorum cerebri, ac potiſſimum principii ſpinalis medullæ, exorta. Hanc cauſatur *Vapor craſſus*, ſæpe frigidus, imò Narcoticus; hinc æger difficulter expergiſcitur. Qui à craſſa pituita aut humore melancholico, in hypochondriis & circa præcordia hærente oritur, is hiſce per crapulam, cruditatem, vel aliis de cauſis turgeſcentibus & motis exhalat, diaphragma & pulmones premit, in principium nervorum irruit, & in imaginationis ſedem irrepens, ſpiritibus ſeſe immiſcet.

Curatio eſt *Minoris ſpei*, ſi à cauſa interna, provectiores ætate adoritur. ſi diuturnus eſt & frequens, & à quo æger ſtupidus permanet. ſi partim dormienti, partim vigilanti accidit, quia Epilepſiæ propinquior eſt. ſi poſt excitationem, ſudor frigidus, tremor cordis, ſpaſmus aut ſyncope ſequuntur. *Reſpicit* I. *Paroxyſmum*, in quo ægri excitandi, vapor frictione diſſipandus. II. *Tempus extra paroxyſmum*, in quo 1. *Diæta* ſervanda, quæ exigit Aëris tenuitatem, Cœnam frugalem, vini & cereviſiæ tenuioris uſum, decubitus ſupini fugam. 2. *Materia* vaporum fomes, ſi altius inſedit, per incidentia & abſtergentia *præparanda*; mox debito modo *evacuanda*. Venæ Cephalicæ vel Epaticæ, in mulierib. menſtrui ſuppreſſione laborantibus, ſaphenæ ſectio, ſi plethora adeſt, probatur. 3. Capite privatim mox purgato, illud roborandum. Internè per ſemen *nigrum*

grum pæoniæ maris, *Theriacam* in qua pæoniæ exhibitam. Externè, per lotiones ex cephalicis compositas. 4. Vapores post cibum prohibendi, *Diacydonio*, *Coriandro præparato*, &c.

Catalepsis seu Catochus est subita sensuum omnium, motus, & mentis præhensio, qua qui corripiuntur, rigidi in eo statu, in quo prehensi fuerunt, apertis ac immotis oculis, permanent. Signis opus non est. De *Causa* dissentiunt eruditi. Verisimile est ita figi à *vapore fixativo*, spiritus & immobiles reddi, quemadmodum à fulmine & spiritibus è terræ cavernis prorumpentibus, homines & bruta rigida reddita legimus. Dantur tamen & in hoc morbo *gradus*. Nam quidam nihil vel vident, vel audiunt. Alii audiunt & vident, sed nihil loquuntur. Nonnulli manus movere visi sunt. Quidam impulsi ambulant. Curationem rarissimi affectus vide apud Practicos. In Topicis abstinendum ab aceto, ne vis congelandi intendatur.

ARTICULUS II.

De Epilepsia.

EPilepsia est actionum animalium & principum cessatio, cum motu totius corporis convulsivo, à materia acri, peculiari vi, cerebro infesta, principium nervorum vellicante, constringente, & ad expulsionem irritante.

Dicitur & morbus *puerilis*, *Herculeus*, *Comitialis*, *Lunaticus*, *Divinus*, *Sonticus*, & *Caducus*.

Signa sunt, vel *Imminentis*, nervorum trepidatio, splendores instar iridis oculis obversantes, odoris fœdi sensus, vertigo, venarum sub lingua flavedo: vel *Præsentis*, subitus lapsus, membrorum non proportionata ad materiam (ut vocant) faciei contorsio, mugitus, stridor vel arcta collisio dentium, digito-

rum ſtricta conſtrictio, urinæ vel fæcum involuntaria emiſſio, Spuma ovi candido ſimilis, &c.

Cauſa eſt Aut *Humor tenuis & ſpumoſus*, aut *vapor*, qui dum peculiari vi cerebrum principiumque nervorum vellicant, & conſtrictionem meatuum inducunt, & ſenſibiles partes ad expulſionem noxii ſtimulant. Inde ſpirituum ſenſificorum occluſio & retractio, ac, defectu eorundem, abolitio vel imminutio ſequitur. Hinc omnes partes motum convulſivum patiuntur. Ad *diſpoſitionem* facit hæreditas, & in Eclipſi Lunari nativitas. *Materiam* ſuppeditat, hepatis & carnis hircinæ, coturnicum veratrum devorantium, columbarum adultarum, anguillarum, paſſerum, lentium, &c frequens uſus. *Movent* eandem Lunæ radii, Olfactus rerum fœtidarum, bituminis, gagatis, cornuum caprarum, cervorum, corii caprilli, myrrhæ, ſulfuris; allii, apii, &c. Timor validus, Titillatio, Dæmon, &c.

Curatio eſt *Difficilior*, ſi omnes functiones abolentur, convulſio vehementior & diuturnior eſt, ac excrementa ſponte fluunt. ſi ante pubertatem accidit. ſi ſenes ac decrepitos infeſtat. ſi mulierem utero gerentem invadit. *Facilior*, ſi eſt recens. ſi breviores habet paroxyſmos, convulſionem non vehementem, & ſi æger liberiùs reſpirat. *Nulla ferè*, ſi eſt hæreditaria. ſi infantes parvos exagitat. ſi ad uſum ſternutatoriorum æger non ſternutat. *Reſpicit* 1. *Paroxyſmum* ipſum Vel *Inſtantem*. Tum aut Eſſentiæ Caſtorei aut ſpiritus ſuccini albi gutta una vel altera, in aqua antepileptica Langii, aut pillula Ladani opiati, cui partibus quatuor una olei Camphoræ admiſta ſit, ſumatur. Vel *Præſentem*, in quo inter cætera, Os diducendum, & ſacculus rutâ, caſtoreo, &c. impletus, dentibus interponendus. Revulſio per frictiones & ligaturas inſtituenda. Alvus glande vel Clyſtere acri, cui & ſcorias reguli Antimonii qui-

dam incoquunt, sollicitanda. Nares balsamo succini, rutæ, inungendæ. Lingua & palatum *Theriaca* in aceto rutaceo dissoluta illinenda. sternutatoria, si æger his non excitatur, adhibenda. vel turtur deplumatus umbilico imponendus. *Intus*, Aqua Cerasorum nigrorum dulcium, hirundin. cum ol. succini, Cranii humani, exhibenda. II. *Tempus extra Paroxysmum*, in quo 1. *Materia* radix mali, imminuto prius sanguine, nisi malum sit inveteratum, præparetur. *Per inferiora*, repetitis vicibus, agarico vel alio conveniente, habitâ humorum qui abundare possunt ratione, *purgetur*. Eadem sudoriferis, exoticis illis inprimis China, Guajaco, cum visco querno tollatur. 2. *Materia* in Cerebro *residua*, per Errhina, Apophlegmatizantia, quin setacea & fonticulos educatur. 3. *Cerebrum* Cephalicis & Antepilepticis *roboretur*. 4. *Diæta* servetur, in qua cibi vaporosi, specialiter morbo faventes, vinum, Venus, &c. vitanda. 5. Omnibus capiti appropriata, & *Epilepsiæ specificè resistentia* admiscenda, ut sunt *Radix pœoniæ maris* in Julio luna decrescente collecta, *Vngula alcis* posterior dextra, *viscus quernus*, Magisterium *Cranii humani*, *solis immaturum*. Aqua *hirund. Cerasorum nigrorum* & *dulcium*, *tiliæ*. Oleum *succini albi*, *Cranii humani*. placenta *ex rore in S. Iohannis Baptistæ nocte collecto facta*. Pulvis *ex Crystallorum præpar. dr.j. Corallor. rubr. scr.ij. Margarit. Orient. scr.j. Smaragd. Orient. præpar. dr.ß.* factus, & in aqua conveniente sua dosi exhibitus. *Extra*, *Corium lupi* ea parte desumtum, quâ spinæ adhæret, duorum digitorum in cinguli formâ, & Amuletum ex *frutice sambuci in salice* inventi Hartmanni. Signum perfectæ curationis est, si æger suffitu rerum fœtidarum naribus admoto, non concidat.

Differentiæ Epilepsiæ sunt variæ.

I. Alia est *Recens*, quæ si in initio neglecta fuerit,

rit, frequenter iis, qui eâ detinentur, commoritur. Alia *Inveterata*, quæ dubiæ plerumque eſt Curationis.

II. Alia eſt *Mitior*, in qua aliquæ duntaxat partes convelluntur: æger ad ſe reverſus, omnium quæ egit ignarus eſt. Alia *Gravior*, in qua totum corpus concutitur.

III. Alia eſt *Periodica*, quæ vel ſingulis annis ſemel aut bis, vel ſingulis menſibus in Novilunio & plenilunio, vel brevioribus intervallis, ſed illis ſtatis invadit. Alia, *quæ periodos non ſervat*, ſed nunc rarius, nunc ſæpius infeſtat.

IV. Alia eſt *per Eſſentiam*, quando diſpoſitio Epileptica eſt in ipſo Cerebro. *Cognoſcitur* ex eo, quod homo ſine ulla paroxyſmi præſenſione concidat, ſibi redditus nihil eorum quæ acta ſunt recordetur. frequenter circa novilunia & plenilunia afficiatur. *Oritur* ab iiſdem (de quibus ſupra) cauſis. *Curatur* quoque eodem modo. Si venæ-ſectione opus, Cephalica in cubito ſecetur. ſetaceum magnum uſum habet. Cauterium in hac ſola ſuturæ coronali applicari poteſt. *Fit* interdum ob *abſceſſum in cerebro*: interdum ob *corruptam meningem*: aliquando ob *cranium carioſum*, *vulnus*, &c. de quibus ſuo loco dictum eſt.

Alia eſt *per conſenſum*, quando cauſa in partibus inferioribus prognata, in caput ſublata, Epilepſiam excitat. *Cognoſcitur* ex eo, quod paroxyſmus ingruens præſciri poteſt, & aurâ veluti à parte inferiore adſcendit, dolor in aliqua parte percipitur; & æger ſibi redditus, paroxyſmi recordatur. *Curatio* ad partem mandantem obvertenda, & materia ſurſum tendens revellenda. *Dividitur* variè: de quibus ſequente Differentia agetur.

V. Alia eſt à *ventriculo*; in qua, ægri in Epilepſiam incidunt, ſi tardius cibum ſumant, indicia ven-

triculi affecti adſunt. In Curatione vomitu agi poteſt, &c.

Alia à *Vermibus*, qui ſuis ſignis deteguntur. Medicamentis ſcolecobroticis Antepileptica admiſceri debent.

Alia ab *Vtero*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod affectus uteri aliquis adeſt, nempe menſium ſuppreſſio, ſeminis vel ſecundinarum retentio, fœtus in utero mortuus, &c. *Curatio* ad affectus eſt obvertenda, in qua Radix Ariſtolochiæ rotundæ laudatur. *Nota*, Aquam hirundinum cum caſtoreo, galbano & aceto deſtillatam convenientiſſimam eſſe. Fœminæ gravidæ utero ſuaveolentia admoveri non debere. imò ſuaveolentia medicamenta, cum caput gravent, bene removeri.

Alia à *partibus Externis*, ſeu vulneratis, ſeu ulcere affectis, ſeu morſu læſis, quæ diligenter eſt examinanda, ne cum ea, quæ ab utero proficiſcitur, confundatur. Curatur pro ratione Cauſarum.

VI. Alia eſt *Adultorum*, cui hactenus dicta conveniunt.

Alia *Infantum*, in cujus *Curatione*, ſi *Lactentes* ſunt, in *Paroxyſmo* ita procedendum ut ſupra, ætatis duntaxat ratione habita; Extra *Paroxyſmum*, partim nutrici medicamenta propinanda, partim infans *Syrupo de tribus* evacuandus, cerebrum ipſius roborandum, & abſceſſus, ſi qui erumpunt, non impediendi. Laudatur à nonnullis inunctio totius corporis cum *butyro illoto, inſulſo, cum ruta in mortario contuſa miſto*. Præſervationis gratia, valet *pulvis præſervativus Hartmanni*, Aqua *vitæ mulierum* prægnanti exhibita. *Oleum amygdal. dulc, cum ſaccharo* recens natis datum. In ea quæ eſt per conſenſum, laudatur Emplaſtrum ex *ſuccini albi, Thuris, maſtiches ana dr. j. ſ. Galbani Opoponacis ana ſc. j. viſci quercini dr. ij. Ambræ gr. vj. Moſchi gr. iij. ſemin. pæon.*

pæon. maris dr. ſ. Ladani dr. j. ſ. ol. Nucis moſchatæ paux. adſperſis pulvere cubebarum, in aluta extenſum, & abdomini impoſitum: quod ſi ex *Lactis concretione* accidat, valet Cataplaſma ex *fol. ulmi part. iij. in urina pueri coctis*, *cum butyri recentis* unc. ij. formatum, & regioni ventriculi applicatum. *Ablactatorum* cura non multum à ſupra dictis variat.

ARTICULUS III.

De Caro.

CArus eſt ſomnus profundus, cum ſenſus & motus, reſpiratione exceptâ, imaginationisque læſione, ab impedito ſpirituum animalium motu, exortus.

Signa ſunt ſomnus, oculis clauſis, tam profundus, ut æger interrogatus non reſpondeat; ſic à Catalepſi & lethargo diſtinguitur: membri ſi pungatur retractio, quod in Apoplexia non fit. libera reſpiratio, niſi cauſæ vehementia ſit maxima.

Cauſa eſt Spirituum animalium in ſenſus & motum prohibitum exercitium, cujus diverſæ cauſæ in Differentiis exponentur.

Curatio eſt *Nulla*, ſi in declinatione febrium continuarum, viribus debilibus, accidat. *Difficilior*, ſi reſpiratio læditur. ſi, cum capitis gravitate conjungitur, quia, humore non nimis craſſo in nervorum ſubſtantiam penetrante & eos extendente, convulſio ſequitur. ſi poſt aliquam magnam evacuationem advenit. *Peragitur* pro ratione Cauſarum.

Dividitur quinquefariam.

I. Alius eſt, *quando ſpiritus animales non generantur*, quod fit, quando vel *arteriæ carotides* ſpiritum vitalem ad cerebrum vehentes *læduntur*: Vel *Muſculi temporales*, inſignem conſenſum cum cerebro per inſignes nervos habentes, *comprimuntur* vel *contunduntur*.

II. Alius eſt, *quando Spiritus animales diſſipantur*, quod fit, vel *ab evacuatione nimia*, Vel à *dolore exquiſito*, ab externa aut interna cauſa profecto: Vel à *cerebri*, propter nimiam agitationem, *defatigatione*; quod in ſomno gravi, qui in fine paroxyſmi Epileptici accidit, evenit.

III. Alius eſt, *quando Spiritus animales ſopiuntur*. Fit id vel *Externè*, idque 1. à *Fumo carbonum* in conclavi accenſorum: de quo etiam ſupra egimus. 2. A *Medicamentis Narcoticis*, Opio, hyoſcyamo, &c. ubi Caſtoreum cum Oxymelite vel Caſſia lignea locum habent. 3. A *Venenis*, ſeu aſſumptis ſeu extra applicatis. ubi Theriaca adhiberi debet. Vel *Internè*, 1. à *vaporibus* in *febribus* emiſſis. 2. Ab iiſdem ex *vermibus elevatis*: de quibus ſui loci ſunt conſulendi. Cura ex ſequenti Differentiæ membro petatur.

IV. Alius eſt, *quando ſpiritus ad membra penetrare nequeunt*. Fit id 1. A *Compreſſione* cranii & Cerebri; de qua ſupra. II. A *meatuum obſtructione*. Tum pituitæ ſigna aderunt. In Curatione, habita totius ratione, Revulſiones, caputpurgia, &c. adhibenda, & quid in Apoplexiæ cura fiat, videndum.

V. Alius eſt, *quando Spiritus perturbantur*; ut in ictu, percuſſione, caſu capitis alio, &c. quæ ſuis locis vide.

ARTICULUS IV.

De Apoplexia.

A*Poplexia eſt repentina omnium functionum animalium abolitio, ſolâ reſtante aliquandiu licet afflictâ reſpiratione, ob anguſtiam & occluſionem meatuum, potiſſimum circa baſin cerebri, per quos ſpiritus animales ad membra derivantur, exorta.*

Pars

Pars affecta eſt Cerebrum, non ſolum ſecundum ventriculos; ſed etiam ſecundum poros, & potiſſimum circa partem inferiorem & poſteriorem, ubi nervorum principium.

Signa ſunt *Imminentis*, aliquando nulla, nonnunquam vertigo, ſcotomia, incubus, tremor totius corporis, ſtridor dentium in ſomno, extremorum perfrigeratio, muci abundantia, capitis gravedo, &c. *Præſentis*, ſenſus & motus ablatio, illaque ſubita & cum ſtertore, ſic à *Caro*; ſine febre & excitatione, ſic à *Lethargo*; cum membrorum laxitate, pulſus plenitudine, & facie colorem retinente, ſic à *Syncope*, & *Vteri ſuffocatione*, diſtinguitur.

Cauſa eſt anguſtia ſinuum & pororum cerebri, præcipuè baſios & retis admirabilis, quatenus ſpirituum interclusionem efficit. Unde autem iſta oriatur, in Differentiis dicemus.

Curatio eſt *Nulla*, ſi à difficili reſpiratione ſudor ſuperveniat. ſi ſtatim obmuteſcentes & ſtertentes, febris acuta, quæ materiam pituitoſam & ſpiritum flatulentum attenuet & diſſolvat, non apprehendat. Terminatur in paralyſin. *Reſpicit* I. *Præſervationem*, quæ antecedentem cauſam præcavet & tollit, ac pro ratione Differentiarum variat. II. *Curationem in ſpecie dictam*, quæ *Incipienda*, cum prognoſtico, Exploratâ vitâ, vel per candelam accenſam, feneſtris clauſis, naribus admotam; vel per ſpeculum terſum ori appoſitum. *Peragenda* 1. Ægri commoda ut facilius aërem attrahat locatione; levi, ne materia in corpore fundatur, concuſſione; & partium extremarum ſale & aceto frictione. 2. Materiæ, per cucurbitulas capiti impoſitas, quod unicum eſt remedium, per fortes clyſteres & glandes; per venæ cephalicæ vel communis, ſine omni mora, per vices, intra tamen paucas horas, ſectionem; per venarum jugularium ſecundùm longitudinem

tudinem apertionem, Revulſione. 3. Aquarum Antapoplecticarum, quibus cerebrum recreatur, materia diſſipatur uſu.

Differentiæ Apoplexiæ ſunt variæ.

I. Alia eſt *Legitima*: de qua in ſequentibus Differentiis.

Alia *Notha*, quæ Aut ab *Obſtructione arteriarum carotidum* & *venarum jugularium* oritur: de qua vide in Caro. Aut à *Narcoticis vaporibus*, Spiritus ſopientibus; ubi locum habet Revulſio, Materiæ foventis Evacuatio, Narcoſeos per caſtoreum cum aceto infractio.

II. Alia eſt ab *Obſtructione* baſios cerebri, quæ fit 1. Aut à *materia pituitoſa*, *&* *craſſa*, vel calore liquata, vel frigore in meatus cerebri expreſſa. *Cognoſcitur* ex indiciis intemperiei frigidæ; *Oritur* ab iiſdem cauſis. *Curatur* 1. *Materiæ peccantis evacuatione*, per *Venæ-ſectionem*, vel illius ſuccedanea. per *Purgationem* validiorem. per *Errhina*, & ſternutatoria, forma pulveris indita, ex quibus *Bartoleti* Naſipurgium laudatur. per linguæ & palati, Theriacâ vel ſinapi ſemine in vino forti cocto, frictiones. per *Cauteria* & fontanellarum excitationem. Vomitoria hic locum non habent. 2. *Cerebri corroboratione*, per Aquas Cephalicas, Spiritus Ceraſorum nigrorum. Eſſentias Roriſmarini, ſalviæ, Balſamos majoranæ, ſuccini, Rutæ, &c. II. Aut à *Vaporibus craſſis*, cum quibus eodem modo procedi debet.

Alia à *Compreſſione*, quæ fit, I. Aut à *cauſis violentis*, ut concuſſione, ictu, vulnere: de quibus ſupra. II. Aut ab *Humoribus frigidis & humidis*, in cerebro accumulatis, continua irrigatione Cerebri molem molliorem laxioremque reddentibus: de quibus in hujus differentiæ ſuperiore membro. III. Aut à *plegmonode diatheſi*, ſeu ſanguine copioſo affatim in

Dd 3 princi-

principium animalis incumbente. *Cognoscitur* ex indiciis plethoræ, aliqua consueta evacuatio supprimitur. *Oritur* ab iisdem causis. *Curatur*, pro-ut illa quæ à pituitæ fit obstructione. Sanguis tamen copiosius mitti potest.

III. Alia est Apoplexia *Levis*, quæ in paralysin alterius lateris ferè desinit, & in qua respiratio aliquem ordinem servat.

Alia est *Vehemens*, in qua respiratio est violenta, inæqualis, inordinata ac intermittens.

Alia est *Fortis*, in qua respiratio est violenta, stertor auditur, & spuma apparet, quæ pauca est, si ab ipsa pulmonum humiditate ob vehementissimam cordis compressionem excitatur; multa, si ex pituitoso humore flatu repleto, oritur.

Alia est *Fortissima*; in qua respiratio ad sensum aboletur.

CAPUT VIII.

De Symptomatibus Excretorum.

ARTICULUS UNICUS.

De Catarrho.

SYmptoma Excretorum est *Catarrhus, qui nihil aliud est, quàm humoris excrementitii, ob læsam cerebri coctionem geniti, è capite in subjectas partes defluxus, ab intemperie, vel nimia repletione expultricem irritante, procedens.*

Signa sunt, *Imminentis*, Capitis gravedo, Oculorum hebetudo, sensuum torpor, sternutatio, &c. *Præsentis*, sensus destillantis humoris, tussis, sternutatio crebra, &c.

Causa est humor *pituitosus*, aliquando *insipidus*; aliquando *acris*, *salsus*, *acidus*, malè coloratus; aliquando *corruptus* & substantiâ peccans; qui 1. *Generatur*, Aut *in cerebro*, ob concoctio-

nem læſam, ſeu vitio ipſius cerebri, ſeu vitio alimenti; Aut *alibi*, & eo mittitur præſertim in iis, qui vel cerebrum habent frigidum, ventriculum & epar calida; vel hæc frigida, cerebrum verò calidum. II. *Movetur*, vel ab *expultrice* irritata: Vel à Cauſis *calefacientibus*, quæ humores attenuant, & vias rarefaciunt: Vel à Cauſis *frigefacientibus*, quæ aut humores in cerebro exprimunt; aut fuliginibus retentis & aucto calore liquant. Vel à Cauſis *concutientibus*, quæ cerebrum validè movent. III. *Defluit*, ratione *Termini à quo*. Aut è *partibus ſub calvariâ* poſitis, cerebri potiſſimum ventriculis; Aut à *partibus capitis extra calvariam*, potiſſimum ſub Cute verticis, quo venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema deſinunt: ratione *Termini ad quem*. Aut ad *partes internas*, pulmones, nares, ventriculum, &c. Aut ad *externas*, non tantùm inter cutem & carnem; ſed etiam per venas & arterias, ac muſculorum, venarum, & nervorum continuitatem.

Curatio eſt *Difficilior*, ſi catarrhi ſunt frequentiores & graviores. ſi cum impetu ruunt. ſi ſenes invadunt. ſi cum dolore capitis junguntur. *Reſpicit* I. *Materiam genitam*, quæ evacuanda. Ne amplius generetur, præcavendum, & partis ſuppeditantis diſpoſitio corrigenda. II. *Materiam fluentem*, quæ revellenda, intercipienda, & pars recipiens roboranda. Plura in Differentiis.

Dividitur Catarrhus *tripliciter* præcipuè.

I. Alius eſt ab *Humore frigido & humido*, eoque 1. Vel *Copioſo*, & cum majore impetu ruente: *Tum* venæ *externæ cubiti* ſectio adhibenda, ne à reliquo corpore affluat. Vel *pauco*, nec cum impetu ruente: *Tum* in ſenili præſertim ætate, venæ-ſectione ſuperſedendum. 2. Vel *Tenui*, & aquoſo. *Tum* præparandum moderatè incraſſantibus, ut decocto *Thuris*,

Thuris, mastiches, Betonicæ, Nucis moschatæ: purgandum, ne materia agitetur, lenioribus, *Manna*, *Mechoacanna*: particulariter evacuandum per Errhina, si materia *ad pectus & ventriculum fluit*; per Gargarismos & Apophlegmatismos, si *ad oculos & nares*; omnia ita disposita, ut impetum catarrhi figant: Catarrhus exsiccandus, & caput roborandum, Rotulis ex *floribus sulfuris*, *succino pulverizato*, sacculo implicato, in Spiritu vini malvatici calefacto, olei succini guttis aliquot asperso, & naribus ac temporibus eodem illitis, vertici applicato. radic. chinæ, sassafras &c. decocto. Vel *Crasso*, Tum præparandum Calefacientibus & attenuantibus, decocto *hyssopi*, *Rutæ*, *Oxymelle simplici, scillitico*. purgandum *Agarico*, Extr. pillularum *Cochiarum*. Evacuandum particulariter, ubi inter Errhina, *semen nigellæ Romanæ* pulverizatum, & cum aqua majoranæ è vola manus in nares attractum. Caput roborandum, ubi optima, *Aqua serpilli* cum vino destillata. Hartman. *Vinum medicatum* ejusdem.

Alius est ab *Humore Calido*, qui 1. *Tollendus* venæ sectione, aut cucurbitulis, ne capite calente plus attrahatur. 2. *Præparandus* refrigerantibus Cephalicis, & modicè adstringentibus. 3. *Evacuandus* Rhabarbaro, &c. 4. Procedendum, ut superius.

II. Alius est *cum impetu ruens*, qui præter diversiones & alia jam exposita, *interceptionem* per medicamenta sistentia & incrassantia, post cœnam, sub ingressu lecti exhibenda, non exspectata concoctione, reposcit. Talia sunt, *Theriaca recens*, Bolus *Armenus* ruber & levis, Ossa *cranii humani* combusta. Laudanum *Opiatum*. Pillulæ *de Cynoglossa*, *Asajereth*, *Arabicæ*, *Wieri*, ex Styracis calam. succi Liquirit. Thuris, Myrrhæ, Opii ana dr. s. Croci scr. j. cum s. q. papav. rhæad. compositæ. Trochisci *de*

papav. Mynſichti. Si humor ſalſus, *ſpica* eſt addenda, & in *Aſthmaticis* ſuffitus vitandi. Per *Vigilias*, quod in pectus influxit, *evacuandum* eſt.

Alius eſt *Suffocativus*, qui magno impetu ad pulmones & cor fluit. Huic ſubitò ſuccurrendum, *Revulſionibus* per clyſteres, frictiones, Emplaſtror. Catarrhum ſuſpendentium raſis capillis applicationes, Narium balſamo ſuccini inunctiones, ſuffumigia, &c. *Vomitu* nihil putatur eſſe præſentius, quia etiam illa quæ pulmonum bronchiis infarcta ſunt, extundit.

III. Alius eſt à *materia in cerebro vitio ejuſdem collecta*.

Alius eſt *materia*, *quæ cerebro*, ſeu à *ventriculo frigidiore*, & *Epate calidiore*, ſeu *ab aliis viſceribus* communicatur. In hujus curatione, reſpiciendæ ſunt partes mandantes, & illis providendum eſt. Qui verò Catarrhis *frequentioribus* ſunt obnoxii, *ſingulis menſibus paulò ante novilunium* corpus leniter *purgare* debent, præſertim ſi iis alvus ſiccior eſt. Vinum Adriani Papæ, quod contra Catarrhos vehementer laudatur, ex *Cort. myrob. omn. cum nucl. prius exſiccat. ana dr. iiſ. Cinnam. dr.* j. *caryophill. galang. cubebar. cardam. gran. parad. muſcat. ana ſcr. ſ. roſat. rubr. ſiccar. dr. iſ. flor. anthos*, *lavend. ana dr. ſ.* contuſ. & ad ſeptem vini menſuras miſtis, componitur.

TITULUS III.

De Oculorum morbis.

CAPUT I.

De Palpebrarum affectibus.

SIc affectus cerebri abſolvimus; Oculorum morbi, vel *partes eum ambientes*, vel *partes conſtituentes*, vel

vel *totum oculi globum* tangunt. Ambiunt Oculum *Palpebræ, Cilia, Caro angularis.*

Palpebrarum vitia sunt.

I. Τράχωμα, seu internæ palpebrarum partis asperitudo. *Cognoscitur* ex rubore, pruritu, & milii granorum veluti eminentia. *Oritur* ab humore adusto, mordace & salso: sæpe à collyriis acrioribus. *Curatur* Corporis evacuatione. Materiæ per repercutientia aversione. Topicorum emollientium primò & acrimoniam temperantium, mox abstergentium, ut *aloës in aqua rosarum, myrrhæ in lacte muliebri*, dissolutarum applicatione; quæ interdum intermitti debent, ne vim suam fortius oculis imprimant. Palpebræ inversæ ad sanguinis proruptionem, saccaro Cando frictione. *Dividitur* dupliciter. 1. In Δασύτητα, in qua palpebræ duntaxat rubent, asperæ sunt & pruriunt. Σύκωσιν, in qua quasi grana ficus eminent. Τύλωσιν, in qua pars exulcerata scissuram & callositatem contrahit. & ψωροφθαλμίαν, scabiem, quæ totam palpebram, præsertim versus oculorum angulos afficit, & universalibus præmissis, linimento rosato, adjecto pauxillo tutiæ præparatæ, curatur. II. In illam quæ A *sanguine*, in qua minor pruritus. A *Bile*, in qua pustulæ parvæ. A *Pituita salsa*, ex qua plus serosi humoris exit. A *Bile atra*, in qua quod effluit lividum est.

II. Εμφύσημα, seu tumor palpebrarum; qui fit Aut à *causis externis*, nempe Aranei, vespæ, apis vel urticæ ictu. Tum apis contrita imponenda. Theriaca, & succus plantaginis illinenda. Aut *Internis*, nempe, *Humore calido*, ubi Ophthalmicum Rhasis locum habet. *Aquoso & seroso*, in febribus diuturnis, vigiliis, cachexia; ubi fomenta ex decocto emolliente & dissipante rectè adhibentur.

III. *Coalitus*, cum palpebræ vel inter se, vel cum alba aut cornea aut utraque oculi tunica coalescunt.

lescunt. *Curatur Difficulter*, si tota coaluit. *Nunquam ferè*, si cum cornea simul concrevit. *Facilius*, si extremitate solum oculo hæreſcit. si annatæ saltem agglutinatur. *Oritur* vel ab *Vlcere* negligenter curato, in quo, sanescendo, quod diduci potuit, agglutinatur. Ubi sectio locum habet. Vel à *Pituitosa & viscida materia* ad palpebras affluente; ubi Revulsio per vesicatoria, & Repulsio.

IV. *Cancer* sive exulceratus, sive non: de quo libro secundo.

V. *Inversio*, quæ, Vel ἐκτρόπιον inferioris nimirum palpebræ, *Ortum* 1. A *Resolutione*, seu paralysi: de qua alibi vide. 2. *A carnis* in parte interna *incremento*: quod vel medicamentis absumendum, vel sectione tollendum. 3. A *vulneris* aut *ulceris mala curatione*: ubi etiam incisio locum habet. Vel λαγόφθαλμον, palpebræ nempe superioris. *Ortum*, A *mala conformatione*, quæ curæ non subjacet. 2. A *consuetudine* puerorum in cunis sursum versus respicientium; quæ pannis nigris cunis circa caput obvolutis præcavetur. 3. A *convulsione* & contractione, quæ emollientia ophthalmica exigit. 4. A *vulnere* vel *ulcere malè curato*, ubi vel cicatrix emolienda, vel manuum opera adhibenda.

VI. Ὑδατὶς seu *Aquula*, seu substantiæ unctuosæ in palpebra superiore incrementum, humorem antelucanis præsertim horis perpetuò fundens. *Oritur* præcipuè in pueris, ex seroso humore, intra palpebrarum membranas, in quarum medio unctuosa substantia, illapso. Vel est *Recens*, & jejunâ salivâ interdum tollitur. Vel *Diuturna* ac peculiari membrana inclusa, & manus operam requirit.

CAPUT II.

De Ciliorum vitiis.

CIliorum vitia ſunt:

I. *Hordeolum*, ſeu tuberculum, quod ſuppuraſcens ſimile eſt grano hordei. *Oritur* ab humore pituitoſo, craſſo, cum ſanguine miſto. *Tollitur* hordeo jejuno ventriculo maſticato, applicato, vel corpore muſcæ capite abjecto, ſi eo fricetur. ſi ſuppurari non poteſt, *ſecetur*.

II. *Grando* ſeu tuberculum rotundum, translucidum, huc atque illuc mobile. *Oritur* à materia dura & lapideſcente. *Emolliendum* eſt *ammoniaco* in aceto diſſoluta, cum adipe gallinæ, vel terebinthina & cera mixto.

III. Μαδάρωσις, ſeu *pilorum defluvium*, quod plerumque poſt febres malignas infeſtat. Vide l. 2. Si ſimul adeſt craſſities, calloſitas, & rubor, palpebræque turgent, & lucidæ fiunt, vocatur πτίλωσις.

IV. Τριχίασις, cum pili præternaturales ſub pilis naturalibus exorti, & intrò nuentes, tunicas oculorum pungunt. *Oritur* ab humoribus ad palpebrarum extremitates fluentibus, ſeu ob tumorem diuturnum, ſeu ob deligationem. *Curatur* 1. *Evulſione* totali, quam inunctio ſanguinis viridium ranarum excipiat. 2. *Corroſione*, per medicamenta corroſiva cautè inuncta. 3. *Sectione*: de qua Practici.

V. Φαλάγγωσις, cum palpebris intrò vergentibus, pili non apparent, niſi attollantur. *Oritur* vel ab *humoribus* pituitoſis palpebram degravantibus: vel à *Cartilaginis exſiccatione*, & hanc ſequente cutis verſus cilia depreſſione. *Curatio* apud Authores.

VI. *Phtiriaſis*, ſeu pediculorum proventus, in iis qui lotionibus non utuntur, & victu pravo gaudent, à ſordibus exortus; interdum per contagium exſiſtens.

ſtens. *Curanda* tempeſtivè, ne acres fluxiones concitet. Ablutio palpebrarum decocto betæ & ſtaphiſagriæ laudatur.

Caput III.

De Carnis angularis vitiis.

Carnis angularis affectus ſunt.

I. *Rhyas*, ſeu carunculæ ſecundùm majorem oculi angulum, imminutio, ex quo lacrymæ involuntariæ effluunt. *Oritur*, vel ab *alimenti defectu*: Vel à *Corroſione*, ſeu à medicamentis corroſivis, ſeu ab humoris acris affluxu, ut fit poſt epiphoram, variolos, ulcera profunda: vel ab *Inciſione*, quæ non poteſt curari.

II. *Encanthis*, ſeu carunculæ ſecundùm majorem oculi angulum incrementum. *Oritur*, vel ex mala *pterygiorum* curatione; vel ex nimio *alimenti* affluxu. ſi magnum & antiquum malum eſt, nonniſi chirurgiâ curatur.

III. *Ægilops* eſt tuberculum, inter majorem oculi canthum, & naſi radicem ortum. *Oritur* à materia certa ad oculi angulum depulſa. *Dividitur* variè. 1. In *Anchilopa*, qui eſt tumor nondum ruptus, & ſine inflammatione. provenit ab humore lento, melleo pultaceo, folliculo ſuo plerumque concluſo, & ſine ſoluta unitatę afficiente, ſectione tollitur. Et *Ægilopa* propriè ſic dictum, qui eſt tumor ruptus, cum inflammatione. *Cognoſcitur* ex dolore, colore mutato, & tumeris immobilitate. *Oritur* à ſanguine è temporum, frontis vel faciei venis effuſo, externa inprimis cauſa accedente. *Curatur* 1. *Difficulter*, inprimis, ſi partes profundas occupet. ſi ruptus ſit ad interna, quia ſubjecta oſſa facilè corrumpit. ſi ad cancri naturam accedat. 2. *Ad modum aliarum inflammationum.* Excipit eum ple-

rumque

rumque *Fiſtula lacrymalis*, quæ tum propter continuum affluxum, tum propter motum oculi perpetuum, chronicon eſt plerumque malum. In ejus *curatione*, antequam conſolidetur, videndum, utrùm callum contraxerit,& utrùm os corruptum ſit; quod aſperitas oſſis aut ſonitus deteget.

CAPUT IV.

De Tunicæ annatæ morbis.

ARTICULUS I.

De Ophthalmia.

PArtes Oculum conſtituentes, vel ſunt Tunicæ, *Adnata*, *Cornea*, *Vvea*, & *Aranea*, vel Humores. Adnatæ morbi ſunt *Ophthalmia*; *Pterygium*, *Panniculus*, & *Hypoſphagma*: quorum hoc cum cornea commune, illa cum palpebris.

Ophthalmia eſt annatæ tunicæ inflammatio, à ſanguine acri venulas ipſius diſtendente, exorta.

Signa ſunt Oculorum rubedo, lacrymarum effluxus, dolor, &c.

Cauſa eſt *Sanguis*, qui ſeu ſolus, ſeu ab humoribus aliis caſtigatus, vel per affluxum, vel per congeſtionem, allapſus, per venas diſpergitur, & eas diſtendit.

Curatio eſt *Difficilis*, ſi in regionibus & temporibus frigidis oboritur, quia membra ſtringuntur. ſi pueros infeſtat, quia ab imbecilli capite continuò affluit. ſi dolor diu perſeverat, quia materiam, aut erodentem, aut vehementer diſtendentem, aut ſuppurantem arguit. ſi fit per conſenſum à membranis cerebri, & partibus intra cranium contentis. ſi grana ſordium parva in oculo apparent, quia maturationis tarditatem ſignificant. *Facilius*, ſi eſt per conſenſum ab externis. ſi lacrymæ ſunt copioſiores & mordaciores, quia citius ad finem pervenit. ſi alvus eſt cita,

quia

quia alvi profluvium ab eâ liberat. *Peragitur*, secundùm methodum aliarum inflammationum. *Notandum in ea.* 1. Venæsectione interdum intra horæ spacium maximas ophthalmias sublatas. 2. Vesicatoria post aures applicata benè revellere. Laudatur *farina Erucæ* in sacculo interpassato, apud Hartman. 3. Errhina, si æger per nares excrementa Capitis evacuare consuevit, & quidem mediocria, exhibenda. 4. Topica, non nisi exactis tribus diebus, & quidem actu tepida, mordacitatis expertia, benè mundata, à proprietate juvantibus castigata, repellentibus; quæ, nec nimis frigida, nec nimis adstringentia, nec nimis sicca, fronti & collo statim apponi possunt, & Anodynis, quæ si affluxus major metuitur, oculo benè ab initio applicantur, exceptis, applicanda. 2. Lac muliebre singulis horis mutandum, ne diutina mora à calore oculi, acrimoniam contrahat. 3. Opium & Opiata non nisi necessitate urgente adhibenda. 4. Ne suppuratio intus *fiat*, diligenter cavendum. 5. In Diæta vinum & *balneæ in* declinatione permittantur. Cataplasma ex *medulla panis triticei*, *& pomi assati*, *cum lacte muliebri*, *pauxillo croci & sacchari Saturni*, vehementer laudatur. Sic & Aqua ex *succi Cancror. destill.* lb. ii. *Aquæ Rosarum* lb. i. *& Croci metallor. unc. ß.* simul infusis: Nec non *Aquar. Euphras. Fœniculi ana unc.* v. *cum croci metallor. dr.* j. *quibus aliquid aquæ Rosarum* addi potest. Inter Discutientia etiam locum obtinent *Sarcocolla* lota, & *Tuthia vera Arabum*, quæ sine morsu siccat.

Differentia Ophthalmiæ est triplex.

I. Alia est Τάραξις, seu perturbatio, quæ ex eo *Cognoscitur*, quod oculi duntaxat calidiores cum rubore, absque lacrymis copiosis apparent. *Oritur* à Causis externis, nempe 1. *Calore solis*, *vel igne.* Tum Cataplasma superius opponi potest. 2. *Dolore*

capitis

capitis ex ſolis æſtu contracto. Tum idem locum habet, niſi univerſalia omnino præcedere debeant. 3. *Vento*, *fumo*, *pulvere*. Tum lacte tepido oculi abluendi, & ſomnus capiendus. 4. *Ictu* vel *Caſu*. Tum, ſanguis ſtatim mittendus. 5. *Apis*, *veſpæ*, *Crabronum* ictu. Tum, repellentia ex albumine ovi, lacte muliebri, &c. imponantur.

Alia eſt *Ophthalmia vera*, quæ vel à calidis, vel à frigidis cauſis provenit; cui ſuperiùs dicta præcipuè conveniunt.

Alia eſt Χήμωσις, quando palpebræ quaſi invertuntur, nec claudi poſſunt, albumque ſupra oculi nigrum intumeſcit. Hæc validiora remedia exigit.

II. Alia eſt *Periodica*, quæ intervalla ſervat, capitibus calidis & humidis familiaris eſt, & oculos tandem in tabem conjicit. Alia eſt, quæ *Periodos non ſervat*. Alia *Contagioſa*.

III. Alia eſt *Humida*: de qua nunc maximè egimus.

Alia *ſicca*, in qua exiguus eſt lacrymarum fluxus, & noctu palpebræ indurantur. *Oritur* ab humore pauco, ſalſo, & nitroſo. Vel eſt *cum pruritu*, quæ, ſi leviter fluunt lacrymæ, vocatur ψωροφθαλμία; ſi omninò non, & oculi duntaxat ſunt rubri, ſine tumore, dicitur ξηροφθαλμία. Vel *ſine pruritu*, & cum duritie palpebræ, nuncupatur σκληροφθαλμία. Curatio Methodum ſuperioris ſequitur.

ARTICULUS II.

De Ungue oculi, Panno, & Hypoſphagmate.

I. U*Nguis, ſeu πτερύγιον, & Sagitta, eſt membranula nervoſa, fibroſa & albicans, quæ ab angulis oculorum, majore inprimis, prodit, adnata validè adhæreſcit: interdum uſque ad corneam producitur; ſæpe ſi nimium increſcat, pupillam tegit.*

Signis affectus non eget, cum oculis ſit expoſitus. Albedine à carne lacrymali diſcernitur.

Cauſa eſt ſanguis, humoribus craſſis & lentis permiſtus, ex partibus inter cranium & cutem contentis defluens, & ſcabritiem quandam inferens, quam dum vis nutriens æqualem reddere nititur, incrementum membranæ præter naturam producit.

Curatio repoſcit I. *Vniverſalium præmiſſionem.* II. *Vnguis*, poſt decocti vel aquæ diſtillatæ temperatæ fotum, *exterſionem.* Inter Medicamenta valent, pulvis ex *ovorum* teſtis paratus, & oculis inſperſus Lapis *medicamentoſus Crollii* in aqua roſacea, & Euphraſiæ. Specificum *Lucii piſcis* Hartmanni. Aqua *albuminis ovorum* ejuſdem, & aliâ: quæ ſi acria ſunt, *tragacanthâ* & hujuſcemodi caſtigari debent, & ne cornea tangatur, caveri. III. *Chirurgiam*: de qua apud Authores. IV. *Diætam*, in qua à vino & cibis vaporoſis abſtinendum.

Dividitur multifariam.

I. Alius eſt *Albicans*, Alius ad *nigredinem vergens*, qui remediis tolli non poteſt. II. Alius *Recens*, qui facilè diſcuti poteſt. Alius *Inveteratus*, cui ſi craſſitudo acceſſerit, excidi debet: interdum tamen tam pertinaciter annatæ adhæret, ut neque per Chirurgiam abſque oculi jactura auferri poſſit. III. Alius eſt, *qui ad Corneam duntaxat producitur.* Alius, qui ad *pupillam uſque protenditur*, & ſi tollatur, oculum quidem à fluxionibus liberat; ſed cicatrice relictâ, viſum impedit. IV. Alius eſt *Cancroſus* & *putridus*, qui curationem non admittit. Alius *Non.*

II. *Pannus eſt quiddam inſtar panniculi rubeum, à ſanguinis exuberantia, in venis oculi exterioribus, exortum.*

Signis opus non eſt. Apparet tanquam tela carnoſa in ſuperficie præcipuè annatæ, cum pruritu, dolore,

re, oculorum à lumine offenſione, viſione obſcura vel ablata.

Cauſa eſt ſanguis ad oculos derivatus, vel ſolus vel mixtus, vel per viam fluxionis vel congeſtionis: vel per vaſa externa, & tum frons nonnihil tumet; vel per interna, tum dolor ad radices oculorum tendit.

Curatio perficitur I. *Vniverſalium uſu.* II. *Abſterſione* per ſupradicta. III. *Chirurgia*: de qua vide Authores.

III. *Hypoſphagma, ſeu Sugillatio, eſt macula rubra ſeu livida, à ſanguine ex venis apertis effuſo, exorta, corneæ communis.*

Signis opus non eſt, quia malum viſu deprehenditur.

Cauſa eſt, quicquid venas aperire poteſt, ſive id externum, ſive internum: ut in Differentiis videbitur.

Curatio eſt *Facilis* in principio. *Peragitur*, præmiſſis Univerſalibus, ſi major eſt affluxus, per *Diſcutientia*, leniora primùm, & adſtringentibus caſtigata; poſt validiora, & acrimoniæ, ne plus ſanguinis alliciatur, expertia.

Dividitur trifariam.

I. Aliud eſt à *Cauſis externis*, ictu, clamore, tubarum inflatione: in qua ad *Topica* ſtatim confugiendum, nempe Decoctum *flor. meliloti*, *roſar. cum ſem. fœnigræci*, Collyrium ex *ſanguinis columbar. ex alis detracti* dr. ii. *Lactis mulieris temper.* unc. ſ. *Thuris* ſcrup. j. compoſitum. Aliud à *Cauſis internis*, nempe, vel *Sanguinis copiâ*, ubi venæſectio non omittenda: vel *ejuſdem fervore*, Tum macula ad Citrinum vergit. Inflammationi occurrendum per *albumen ovor. concuſſum*, Si pus adeſt, idem collyrio ex *mucag. fœnigr. cum aqua fœniculi & melle roſaceo*, extenuandum.

II. Aliud eſt *Recens*, in quo macula eſt rubri coloris. Præter ſuperiora topica, *ſummitates hyſſopi* in aqua ſimplici coctæ, & in nodulo applicatæ, ad diſcutiendum valent. Aliud *Inveteratum*, in quo macula eſt livida. Convenit collyrium ex *ſucc. Chalidoniæ major. & Cardui bened. ana. unc. ſ. pingued. quæſtulæ avis liquef. dr.* ii. *myrrhæ ſcr ſ.* confectum; nec non *Radix ſigilli Salomonis* conquaſſata, &c.

III. Aliud eſt, *quando ſanguis vel in annatam, vel in corneam ejicitur.* Aliud, *quando in utramque. Tum objecta omnia* colorem ad rubrum vergentem præ ſe ferunt.

CAPUT V.

De Morbis Corneæ.

ARTICULUS I.

De Craſſitie, Nebula, & Albugine.

MOrbi Corneæ ſunt, *Craſſities*, *Nebula*, *Albugo*, *Puſtulæ*, *Vlcera*, *Vulnera*, *&* Dolor.

I. *Craſſities eſt ſubſtantiæ ejus exſiccatio &* corrugatio. *Cognoſcitur* exinde, quod nebula quaſi in ſuperficie appareat, & ægri quaſi per fumum videant. *Oritur* vel à *frigidorum* incauta *applicatione*, poſt Ophthalmiam præſertim. Vel ab *humoribus craſſis* ſeſe inſinuantibus. In *Curatione* laudatur, *Chelidoniæ ſuccus* expreſſus, & oculis guttatim inſtillatus.

II. *Nebula eſt color corneæ, ab humore ſubtili illapſo mutatus.* Valet in ea pulvis *Margaritarum præparat.* in aqua roſar. & fœniculi. *Cataplaſma* Plateri apud. l. 2. Obſ. 19.

III. *Albugo, ſeu Leucoma, eſt macula alba, corneam ita denſam reddens, ut ſpeciebus viſibilibus tranſitus denegetur. Oritur* Vel à *Cicatrice*, poſt vulnus

vulnus vel ulcus, Tum *Curatio* eſt *Difficilis* in ſenibus, *facilior* in pueris. *Peragitur* 1. Emollientium applicatione. 2. Abſterſione, ubi locum habet Aqua *flor. Roriſmarini* oculis inſtillata. Pinguedo *muſtelæ piſcis*. Vel à *pituita inter ejus laminas collecta*. Tum faciliùs curatur. Valet Collyrium, quod ex *lapid. calam. ter uſti ac bis in vini aceto extincti ſcr.* j. *Myrrhæ, plumbi uſti ac loti ana ſcr. ſ. Croci Oriental. gr.* v. *Opii gr.* vvi. *Æris uſti ſcr.* iv. *Decocti fœno-gr. Vnc.* j. ſupra porphyritem contritis, paratur.

ARTICULUS II.

De Puſtulis & Ulceribus Corneæ.

I. P*Vſtulæ ſunt tubercula, annatæ & corneæ tunicæ communia. Cognoſcuntur* ipſo viſu, magnitudine granum milii æquant. nigredine, exacta rotunditate, & quod in fundo circulum album non exhibeant, à procidentia uveæ diſtinguuntur. *Oriuntur* ab humore acri & ſeroſo, tunicas attollente. *Curantur facilius*, ſi ſunt in annata: *difficilius*, ſi ſunt juxta *pupillam* : *nulla ratione*, ſi cornea in partem internam rumpitur. *Ad modum Ophthalmiæ Dividuntur* dupliciter. 1. *Aliæ* ſunt cum inflammatione, quæ prout aliæ inflammationes curantur. ſaccharum ſaturni cum aqua Euphraſ. optimum eſt. *Aliæ* ab Humore aquoſo, quæ exſiccantia, ut *Tuthiam*, *Lapidem calaminarem*, &c. expoſcunt. II. *Aliæ* ſunt ſuperficiariæ, ἐπιχαύματα dictæ, quæ nigriores apparent. *Aliæ* profundiores ſub ſecunda vel tertia lamina, ἐγκαύματα vocatæ, quæ propter corneæ albedinem, albæ magis videntur, & cum totam corneam erodere poſſint, periculoſæ ſunt.

II. *Vlcera corneæ interdum ab externis, interdum ab internis ſeu affluentibus, ſeu congeſtis oriun-*

tur; & variis nominibus pro varietate circumſtantiarum inſigniuntur. βόθριον dicitur, quod cavum anguſtum & durum eſt. κοίλωμα, quod latius, ſed minus profundum. Ἄργεμον, quod in iridis externo circulo exortum, circa externam iridis partem rubicundum, circa internam candidum, ambientia etiam comprehendit. Circa *curationem* obſervandum, medicamenta fronti etiam & temporibus, ut influxus impediatur, imponi, & lenia ac temperata eſſe debere. Laudatur *Aqua Ophthalmica Mynſichti.*

ARTICULUS III.

De Vulneribus Corneæ, & Dolore Oculorum.

I. V*Ulnera corneæ* in genere, exigunt 1. E*vacuationem*, per venæſectionem præſertim. 2. *Repulſionem*, ut inflammatio prohibeatur, & dolor leniatur, per Cataplaſmata ſuper palpebram duntaxat impoſita, ut oculus & palpebræ aperiri poſſint. 3. *Conſolidationem.* Laudatur vehementer pars albuminis ovi, Germanis das Küchen / Italis *Galatura* dicta, conquaſſata; nec non Oleum *rubrum Saturni. Differentias* ſi ſpectes, 1. *Aliquando* ſola cornea vulneratur. *Aliquando* cum ea & palpebræ: ubi cavendum, ne cum oculo agglutinentur. 2. *Aliquando* vulnera non tam altè penetrant. *Aliquando* cornea rumpitur, & humor aqueus effluit, quod & in ulceribus accidit. Tum, ſi vulnus ſit anguſtum, minus periculi habet; ſi uvea procedit, incurabile eſt. *Curatio* eadem, quæ vulneris & ulceris oculorum.

II. *Dolor oculorum*, oculis præcipuè ob tunicas externas convenit. *Cognoſcitur* ex relatione ægri. *Oritur* à cauſis continui ſolutionem excitantibus. *Curatur* cauſis ſublatis. *Mitigatur* albumine ovo-

rum,

rum. pulpa pomi aſſi cum ſaccharo, Camphora, Croco, aquâ roſarum, & lacte muliebri. Ab *Opiatis* cavendum.

CAPUT VI.

De Vveæ morbis.

ARTICULUS I.

De Uveæ procidentia, Pupillæ dilatatione, & anguſtia.

Uveæ in oculo tunicæ morbi ſunt, *Vveæ procidentia*, *Pupillæ dilatatio*, *Ejuſdem anguſtia*, & *ſuffuſio*.

I. *Vvea procidit, quando corneæ unitas ſolvitur* ſive per vulnera, ſive per ulcera. *Cognoſcitur* & à puſtulis. *Diſcernitur* exinde, quod pars, quæ procidit, aut nigra aut cœrulea eſt, & in fundo circulum album, qui à labiis corneæ eroſis eſt, exhibeat, & pupilla parte ſui quadam divulſa appareat. *Curatur* medicamentis ſine aſperitate adſtringentibus; & ſi his non cedit, ferro. *Differentias* vide apud Æginetam.

II. *Pupillæ dilatatio*, μυδρίασις, & πλατυκορία *dicta*, *eſt quando pupilla præter naturam verſus Iridis circulum ampliatur*. *Cognoſcitur* ex eo, quod ægri ſeu ob nimiæ externi luminis copiæ in oculos incurſum, ſeu obliquorum radiorum, qui perpendicularibus debiliores caſum minus acutè videant. cum aliquid intueri volunt, oculos nonnihil comprimant. & oculo uno clauſo, alterius pupilla dilatari non poſſit. *Oritur* à tenſione Uveæ, cujus illa foramen eſt, ſeu ob externas ſeu ob internas cauſas. *Curatio* in Differentiis videnda. *Dividitur* trifariam. I. *Alia* eſt Nativa, & à primo ortu contracta. *Alia* Adventitia. II. *Alia* à Cauſis externis, ut percuſſione, caſu ab alto, &c. quæ ſi ſit abſque inflammatione,

 facilè

facilè curatur; ſi cum ruptura Uveæ, non item. *Alia* à Cauſis internis, quæ inſequente differentia exprimuntur. III. *Alia* à ſiccitate uveam tendente, ut in coriis perforatis fit, quæ difficulter curatur. Optimum eſt lac caprinum, ſi ei oculus immergatur. *Alia* ab Humiditate, cujus curatio facilior, niſi poſt capitis dolorem vehementem acciderit. Perficitur præmiſſis Univerſalibus, miſſione ſanguinis ex venis temporum & venis in angulis oculorum, cucurbitularum in occipitio, & hirudinem poſt aures applicatione. Reſolventium, (aqua ſalita laudatur) & leviter adſtringentium uſu. *Alia* à Flatibus, quod tubicinibus accidit, qui diſcutiendi ſunt.

III. *Pupillæ anguſtia ſeu μύωσις eſt, quando illa anguſtior, quàm naturaliter fieri debebat, redditur. Cognoſcitur* ex eo, quod omnia majora intuenti ægro videantur. quod ſpecies viſibiles per foramen anguſtius illapſæ, in ampliore ſpacio verſus cryſtallinum dilatentur. *Oritur* à Contractione Uveæ. *Curatur* pro ratione Differentiarum. *Dividitur* pro diverſitate cauſarum. *Alia* eſt à nimia humiditate, uveam ab ambitu verſus centrum contrahente, cui ſiccantia, ut Ruta, Chelidonia, remedio. *Alia* ab humoris aquei defectu. Tum æger melius videbit in obſcuro, quod ſpecies viſibiles promtius cryſtallino occurrant. lacte & aqua dulci, Capiti admotis, alimentum attrahendum. *Alia* à pauciore Spiritus viſivi ad pupillam affluxu.

ARTICULUS II.

De Suffuſione.

S*Vffuſio ſeu ὑπόχυμα eſt pupillæ ab humore ea parte in oculo conſiſtente, viſionem impediens, obſtructio.*

Signa pro ratione principii, augmenti & perfectionis,

nis, diverſa ſunt, & ſeparatim in differentiis exponentur.

Cauſa, humor, ſeu ſincerus, ſeu miſtus; ſeu ibidem collectus, ſeu per venas tunicarum, uveam tunicam, vel nervos tranſmiſſus. *Colligitur* inprimis, in magnis & prominentibus oculis: quia in magno ſpacio virtus diffuſa infirmior eſt, & viarum laxitas facilem aditum præbet.

Curatio eſt *Difficilis*, ſi præſertim ex febre, aut vehementi capitis dolore accidit. ſi in pueros vel ſenes incidit. *Nulla*, ſi ſuffuſio eſt nigra. ſi æger lumen non cernit. *Perficitur* I. *Materiæ obſtruentis eductione* per purgantia phlegmagoga, *hieram* præſertim & *electuarium diacarthamum*, quibus præmitti præparantia poſſunt. II. *Ejuſdem* per cucurbitas; veſicatoria, &c. *revulſione*. III. *Ejuſdem* per Topica emollientibus permiſta *Diſcuſſione*, & Oculorum exterſione. Laudatur *Aqua Ioëlis*; Remedium Bovii *ex fellis galli unc. ſ. ſanguinis muris dr. iij. ſ. cum lacte muliebri, collyrii inſtar, compoſitum.* Vel *Aqua ſtercoris humani elambicata, cum felle muſtelæ & leporis, ſaccharo candi roſato, & margaritis præparatis.* IV. *Chirurgia*: de qua authores videri debent.

Differentiæ ſuffuſionis ſunt variæ.

I. *Ratione ſitus*. 1. *Alia* eſt in centro pupillæ, quæ feneſtris quaſi pertuſas res objectas exhibet, & acu, ne tota pupilla impleatur, tentanda non eſt. 2. *Alia* reſidet inter Uveam & Corneam, & *tum* pupilla intenſius obtenebrata conſpicitur, & pupilla ob humorem diſtendentem neceſſariò dilatatur. 3. *Alia* inter Uveam & Cryſtallinum, & *tum* oppoſita apparent. 4. *Alia* in profundiore loco ſita eſt; & tum pupilla anguſta eſt. *Alia* minùs profundo; & tum amplior eſt.

II. *Ratione graduum*, *Alia* eſt Incipiens, &

tum culices aut caliginosa quædam obversantur. *Alia* Aucta; & tum pupillæ color marinus apparet, vel est similis aëri nebulis repleto. *Alia* Perfecta; in qua æger non cernit, pupillæque albus color apparet.

III. *Ratione causæ.* 1. *Alia* est à materia tenui, & fluxa, qualis in principio esse solet, & tum, plethora præsente, venæ-sectio institui potest. *Alia* crassa lenta & tenax; & tum à Venæ-sectione abstinendum. 2. *Alia* est specie aëris puri, argenti, gypsi, margaritarum, quæ spem aliquam curationis relinquit. *Alia* Nigra, quæ ne acu quidem curari potest. *Alia* Viridis, quæ etiam insanabilis est.

IV. Alia est *Vera*, de qua hactenus dicta sumi debent, quæ alterum duntaxat oculorum occupat; aut si utrumque, non simul, nec similiter, & cujus Symptomata sunt continua. Alia *Notha*, quæ se contrario modo habet, à vapore ex inferioribus adscendente oritur. Remoto affectu tollitur.

CAPUT VII.

De Humorum in oculis vitiis.

HUmores Oculos cum tunicis constituentes sunt tres, *Aqueus* nempe, *Crystallinus*, & *Vitreus*.

I. *Aquei vitia* sunt præcipuè quatuor. I. *Imminutio*, ob calorem, siccitatem, nimiam evacuationem, quæ quia cum totius corporis siccitate conjungitur, difficulter curatur. II. *Effusio*, quod in ruptura Corneæ fit, & tum vulnus vel ulcus præcessit. Cornea tunica subsidet. Regignitur interdum hic humor sponte. III. *Crassities* ab humorum vel vaporum crassorum admistione exorta; & tum humor non tam clarus, ut solet, apparet, imagines oculis obversantur, &c. IV. *Obscuratio*, & *alienus*

lienus color, ob humores admiſtos. viſu ipſo hæc cognoſcuntur.

II. *Humoris Cryſtallini* vitia ſunt præcipuè iſta. I. *Glaucoma*, quando iſte in glaucum colorem mutatur. *Cognoſcitur* ex eo, quod circa pupillam inſignis & profunda apparet albedo, & omnia tanquam per fumum & nebulam videntur. *Oritur* ab Exſiccatione, quæ fit vel ob ætatem, vel ob aliam cauſam. II. *Soliditas & obſcuritas*, quæ majore illuminatione indiget, Unde νυκταλωπία, nocturna cæcitas, qua laborantes interdiu ſatis vident, occidente ſole obscurius, noctu nihil. III. *Situs mutatus*, qui multipliciter accidere ſolet: 1. *Surſum aut deorſum*, unde diſſolvitur incruciatio opticorum, vel axes pyramidum in duplici plano figuntur, & omnia duplicia apparent. 2. *Ad latera*, & tum res videntur magis dextræ aut ſiniſtræ, quàm ſunt. 3. *Verſus medium & Centrum*. Unde propinqua rectè, remotiora non ſatis diſtinctè videntur. 4. *Vltra medium & centrum* verſus opticum; & tum, quæ cernere cupiunt, oculis neceſſariò adhibent. 5. *Verſus pupillam*; & tum, res ab oculis remotas rectiùs diſcernunt.

III. *Humoris vitrei* vitia ſunt, I. *Augmentum*, quo non ſolum pupilla dilatatur magis, ſed etiam Cryſtallinus obumbratur, & ſpiritus obtunduntur. II. *Diminutio*, unde tunicæ corrugantur, pupilla contrahitur, & ſupra cryſtallinum decidens, ſpaciumque inter ipſum & tunicas, in qua ſplendores externi occurrunt, brevius reddens, perſimilem gignit affectum eorum, qui nictando ſolem intuentur. III. *Craſſities*, quæ vel ab humoris, vel ab alienæ ſubſtantiæ permiſtione venit.

CA-

Caput VIII.

De morbis oculi globum infestantibus.

Oculi globum infestantes morbi sunt, *Atrophia, Procidentia*, *Strabismus*; quibus addi potest ex Symptomatibus, *Visus debilitas, & Cæcitas.*

I. *Atrophia* est, quando oculi partes contabescunt. *Oritur* præcipuè ab evacuatione & exsiccatione nimiâ. *Curatur* medicamentis humectantibus, lacte inprimis muliebri imposito.

II. *Procidentia*, quando oculus vel ex sua orbita præter modum eminet; vel etiam ita, ut à palpebris tegi nequeat, excidit. *Oritur* à Causis tam externis, ictu, tubarum inflatione, strangulatione, partu laborioso, &c. quàm internis, Musculorum aut nervorum resolutione, Tumore oculum extrudente, &c. *Curatio* respicit 1. Oculi in suam sedem *repositionem*: si fieri non potest, totalem ablationem. 2. *Ejusdem* in sua sede *detentionem*, per fomenta exadstringentibus, rosis nempe, balaustiis, & acacia, composita. Nec tamen Venæ-sectionis oblivìscendum, & inflammatio repellenda. Si resolutio est in causa, Apophlegmatismi prosunt.

III. *Strabismus* est, quando pupilla à medio declinat, ita ut in una oculi parte plus appareat, quàm in alia. *Oritur*, vel à *mala* in primo ortu *conformatione*; & tum curari nequit. Vel à *consuetudine*, quod in infantibus videre est: & tum, larva faciei applicanda, foraminibus ad locum oculorum perforata, ut per ea radii visivi emittantur. Vel à *musculorum convulsione, aut resolutione*; & tum morbus præcessit.

IV. *Visus debilitas*, & *Cæcitas*, causarum magnitudine saltem differunt. *Oritur* vitio *Aut Cerebri*, spiritus animales non suppeditantis, unde reliqui sensus plerum-

plerumque afficiuntur: Aut *Spirituum animalium*, qui lucidi, tenues, multi, esse debent: & Oxydorcicis, inter quæ sunt, Aqua *Rorismarini* cum sale gemmæ, destillationis *Iuniperorum*, *Nux moschata*, *Myrobalani, chebulæ*, &c. roborantur: *Aut nervorum opticorum*, qui aut sunt *angusti*, unde *gutta serena*, Germanis der schwartze stahr / in qua nullum planè oculorum vitium animadvertitur, nisi quòd pupilla nigrior & amplior appareat; aut *rumpuntur*, aut *contorquentur*. Aut *humorum & tunicarum*: de quibus in superioribus sufficienter actum est.

TITULUS IV.

De Aurium morbis.

HActenus Oculorum morbi fuere: Aurium morbi sunt, *Inflammatio*, *Vlcus*, *Vermes*.

I. *Inflammatio*, seu tumor, *Cognoscitur* ex dolore pulsatili vehementissimo, rubore ad malas & tempora sese extendente: accedunt febris, deliria, motus interdum convulsivi. *Oritur* à sanguine tenui & bilioso, è venulis cerebri in membranas auris elapso. *Curatio* est *Dubia*, propter Symptomatum magnitudinem, inprimis in juvenibus, qui tamen, si septimum diem superarunt, evadere solent: sed & pueris, qui ob sensus acrimoniam minùs dolorem sustinere possunt. *Peragitur*, ut in aliis inflammationibus. hæc modò observentur: 1. *Venam Cephalicam* ad revulsionem secari debere. 2. *Repellentibus* non facilè utendum; si adhibentur, dolorem lenientibus (ut lacti muliebri & aliis) immiscenda. 3. In suppuratione promovenda, ἐυπόρισον, ex *ficubus* in lacte coctis, & cum *axungia porci* tritis, componi. 4. Ad *ruptionem*, succum *ranunculi* cum quadruplo *lactis muliebris* facere. *Hirudines* retro aures felicissimè

ſimè apponi. *Dividitur* in *Profundam*, in qua, propter majorum arteriarum compreſſionem, major eſt pulſatio; & dolor, ob vicinitatem cerebri vehementior, quæque quod nervus auditorius affectus ſit, periculoſiſſima eſt; & *Minùs profundam*, quæ oppoſito modo ſe habet.

II. *Vlcus*, quod *Cognoſcitur* ex ſanie & ſanguine egrediente. *Oritur* à rebus vel pus fundentibus, vel acrimoniâ ſuâ erodentibus. *Curatur*, quemadmodum alia ulcera. *Eluitur* vino calente, in quo roſæ & folia hederæ decocta. *Detergitur* vel vino, in quo betonica efferbuit; vel aqua mellis in qua radix hellebori albi prius ebulliit. *Dividitur* multifariam: I. *Aliud* eſt abſceſſu rupto poſt inflammationem. *Aliud* à mordacibus humoribus acrimoniâ ſuâ aurem exulcerantibus. *Aliud* à ſordibus aurium diutius coercitis. *Aliud* ab acri liquore forinſecus in aurem illapſo, & mordendo ulcus efficiente, in quorum curatione ad ſuas cauſas reſpiciendum eſt. II. *Aliud* eſt Recens, in quo, ceſſantibus ad ſaniei effluxum capitis dolore, & ſenſuum perturbatione, ſpes curationis affulget. *Aliud* inveteratum, quod & in fiſtulam facilè degenerat, & cruſtam contrahit. III. *Aliud* eſt Fiſtuloſum, quod ex ulceris antiquitate, ſaniei virulentia, & carnis calloſitate cognoſcitur, cui vinum in quo thus vel helleborus albus decocta prodeſt. *Aliud* non item. IV. *Aliquando* ſanies ex auribus, ab apoſtemate in cerebro rupto, effluit, & tum, magna primò copia exit, dein paulatim emittitur; donec omnis abſumatur; ſigna inflammationis Cerebri præceſſerunt, & cura ad hanc obvertenda. *Aliquando* abſque apoſtemate, in ejus venis genita ſanies emittitur; & tum, ſemel exhauſta iterum coacervatur, proſunt purgationes capitis. *Vrina aſini vel pueri*, in qua raſura ligni Guajacini maduit, benè immittitur. V. *Aliquando* ſanie ceſſante dolor omnis

evane-

evanescit. *Aliquando*, dolor sanie aut grumo sanguinis in profundo auris relicto, permanet, & tum *mundificandum* mulso cum felle tauri, oleo amygdalarum amararum, aceto tepefacto cum melle optimo, in sanguinis inprimis grumo, &c.

III. *Vermes*, qui se dolore corrosivo, inquietudine, & aliis conjecturis produnt. Quomodo *extrahi* debeant, vide Practicos. *Necantur*, Unguento ex *axungia capi, & oleo coryli cum gr. ij. Mercurii dulcis* misto, & in orificio aurium cum bombace imposito. Decocto *Cannabis* instillato.

IV. *Aqua* auri illapsa oleo infuso educitur.

TITULUS V.

De Aurium symptomatibus.

CAPUT I.

De Dolore, & Surditate.

SYmptomata Aurium sunt, *Dolor*, *Surditas*, *Tinnitus*, & *Obauditio*.

Dolor signis non indiget: in infantibus, si pars tangatur, ploratu exploratur. *Oritur* à causis membranas, auris cavitatem vestientes, & sensu exquisito præditas, distendentibus. *Curatio* ejus est *Dubiæ spei*, si juvenes infestat. si in senibus recidivas patitur. si in profundo hæreat. *Perficitur* Anodynis, & si ingens est, stupefacientibus. Inter hæc sunt *folia Tabaci* viridia, aut saltem aqua propria vel rutæ humectata & applicata, *Laudani opiati* gr. iij. Quæ extra applicantur, lenia esse debent, ne dolor exacerbetur.

Differentiæ à causis præcipuè sumuntur.

I. *Alius* est ab Externis, ut re illapsa, vulnere, &c. quæ ex ægri relatione colliguntur. *Alius* ab Internis,

nis, nempe. *Intemperie* vel sine, vel cum materia, vel frigida, in qua *succus caparum* cum liquore aliquo valet; vel calida, in qua *lac muliebre* cum succis herbarum refrigerantium prodest. *Flatu*, ad quem ea sequuntur, quæ de sonitu dicemus. *Inflammatione*, de qua in superioribus. *Vlcere* & *sanie*, de quibus ibidem.

Surditas est auditus abolitio, magnitudine duntaxat causæ à βαρυηκοΐα seu ὑποκωφώσει, qua homo sonos ex justa distantia difficulter percipit, differens. *Oritur*, illorum, quæ ad auditum perficiendum concurrunt, vitio. I. *Cerebri*, quod Spiritus animales *vel* non gignit, *vel* non transmittit, ob peculiarem aliquem morbum. II. *Nervi auditorii*, qui eos non defert, *seu* ob vitium conformationis; hinc plerumque surdi muti sunt, & talis surdities non curatur: *seu* propter obstructionem, densitatem, &c. III. *Spiritus animalis*, qui *vel* non generatur, propter ingentem cerebri intemperiem; *vel* aboletur, propter omnimodam angustiam: *vel* non permeat, ob nervi vitium: *vel* paucus crassus, & impurus est, propter ambientem aërem, seu aliquam aliam causam. IV. *Aëris congeniti*, qui *vel* deficit, ob vulnus nempe, ulcus, &c. egressus; ex sono, capitis contusione, vehementi cerebri affectu dissipatus; propter alimenti defectum, non restitutus: *vel* impurus est, ab aliqua materia, seu à cerebro seu aliunde missa. V. *Meatus auditorii*, qui *vel* malè conformatus est. *Vel* obturatus, *seu* ex parte hinc auditus duntaxat imminuitur; *seu* ex toto, hinc externus sonus non percipitur, ab aëre verò relicto alius excitatur: *seu* à rebus externis illapsis, immissis; *seu* internis humoribus, sordibus, ulceribus, &c. *Vel* constipatus, ex inflammatione, tuberculo: *vel* compressus, ex fractura ossium. VI. *Tympani*, qui rumpi, laxari, crassius vel siccius reddi, tendi, inflammatione circa eum obortâ,

oborta, infeſtari poteſt. VII. *Oſſiculorum trium*, quæ aut non rectè formata ſunt, aut loco ſuo moventur. *Frequentiſſimè* tamen ab humore *pituitoſo* vel *bilioſo*, quod in febribus acutis accidit, & interdum materiam ad exteriora ferri indicat. In ejus *Curatione* videndum, ut medicamenta *calidè* applicentur. Ne nova, niſi *ſordibus deterſis*, apponantur, ne plus *tribus guttis* immittatur. Ut à *viſcoſis* & nimis *unctuoſis* caveatur. ut æger ſuper *aure ſana* jaceat. ut *capitis* ratio habeatur. Laudantur, Aqua *Cardui benedicti* bis infuſis foliis in vitro deſtillata. ſuccus Cæpæ ſpiritu vini imbutæ, & ſub cineribus coctæ, ſuccus ex *ovis formicarum* expreſſus, vel aqua ex *iiſdem* deſtillata. *fel leporinum* cum pari portione mellis virginei, & cætera: quæ vide in *Petræo* & *Hartmanno*.

CAPUT II.

De Aurium tinnitu, & Obauditione.

Tinnitus eſt ſonitus in auribus præternaturalis, in inſtrumento auditus, ſeu cavitate oſſis petroſi factus & perceptus, à vaporibus intercluſis & motis exortus.

Signis in iſto affectu opus non eſt.

Cauſa in πνεῦμα φυσῶδες conjicitur, quatenus aërem innatum præter naturam commovet. *Exſurgit* verò hoc, 1. *Vel* per ſe, *vel* per aliarum partium nempe, lienis, Epatis, uteri, ventriculi, &c. conſenſum, & tum affectarum partium ſigna adſunt. 2. *Vel* à *cauſis externis*, vapores excitantibus, aëris nempe nimio frigore vel calefactione, nimiâ cibi repletione, crapula à vino, unde cruditas in capite cumulatur; vento boreali poſt auſtrinum flante, qui facile removetur: frequenti in caput vel tempora percuſſione; qui, quod, humoribus præ dolore ad organa auditus confluentibus, in ſurditatem verti ſo-

leat, difficulter curatur. *Vel* ab *internis*, idem emittentibus, & quidem 1. *Spiritu fervidiore*, arteriolam quæ aurem ſubit, implente; & *tum* morbus diurnus eſt. Refrigerantibus & humectantibus decoctis & ſuccis agendum. *Opium*, ſed cautè, etiam adhiberi poteſt. 2. *Humore pituitoſo* & frigido; & *tum* malum paulatim cœpit. per intervalla recurrit. ſonitus eſt clarior. cauſæ præceſſere ejuſdem. In *Curatione*, Univerſalibus præmiſſis, attenuantibus & diſcutientibus, quæ manè & ante cœnam apponi debent, Ut vapore *aceti* cum *felle bubulo*; ſecreto, quod ex *vermiculis intra lignum quercinum & corticem* ſtabulantibus, & ol. rutac. coſtin. (vide *Petræum*) componitur, *felle* lucii piſcis præparato, *fumo Mercurialis*, agendum. 3. *Humore bilioſo*; & tum in febribus accidit. vel ſymptomaticè vel criticè urget. ſpontè interdum, interdum bilioſo alvi fluxu ſolvitur. 4. *Sordibus*, quæ Urina *aſini vel pueri*, in qua maduit, lignum Guajacum, portio caſtorei, mentaſtri faſciculus deſtillata, elui debent. 5. *Apoſtemate*, qui ſe ſuis ſignis prodit.

Obauditio ſeu παράκουσις eſt, *quando auditus confuſa percipit*. *Fit id vel* ab ulcere non probè terſo & conſolidato, quando ſpiritus per arterias impulſus auditum impetu ſuo offendit. *Vel* in febribus, vaporibus ad caput elatis, & in aures effuſis. *Vel* ſine febri, calidâ evaporatione è viſceribus impuris continenter in caput elata.

TITULUS VI.

De Narium morbis & ſymptomatibus.

CAPUT PRIMUM.

De Ulceribus narium, Ozæna, & Polypo.

NArium affectus ſunt, *Ulcera*, *Ozæna*, *Polypus*, *Hæmorrhagia*, *Olfactus læſio*, *gravedo*, & *ſternutatio*.

I. *Ulcera*

I. *Vlcera narium* interdum ab ictu, contusione, casu, vulnere, & aliis evidentibus accidunt; interdum ab eorum, quæ præterlabuntur, ut pituitæ salsæ acrimonia. *Cognoscuntur*, dividuntur, & curantur perinde ac alia: pro-ut in primo libro dictum est, Præcipua *differentia* est illa, quâ in *Recentia* & *Vetusta* dividuntur. *Recentia* hinc noscuntur, quod sanguinis nonnihil frequenter eructent, maximè cum attinguntur aut irritantur: quodque nares hoc sæpè madeant; atque si sinuntur, crustulâ siccâ eâque nigrâ obducuntur, quæ emunctionis impetu nonnunquam procidit.

II. *Vetustum* ac jam putridum ulcus *Ozæna* dicitur. *Cognoscitur* exinde, quod ex eo crustula sordidior, atque etiam graveolens mucus excidat. laborans ipse tum sibi graveolet, tum vicinis tetri Spiritus contagione molestus est. si malum diuturnum est, narium alæ, vel earum interstitium, vel alia ejus loci tenella ossa exeduntur & putrefiunt, exesumque palatum sæpè perforatur; idque maximè, si carcinomatis speciem habet, vel è lue venerea contractum est. *Oritur* aut *ab externis*, suffumigiis nempe è mercurio & Cinabrio incautè adhibitis: aut *ab internis*, humoribus nimirum acribus, & quod in lue venerea accidit, malignis. *Curatur* I. *Vniversalium administratione*, ut à capite novi affluxus avertantur. II. *Capitis* per gargarismos masticatoria, &c. *evacuatione*: & per Cephalica externa & interna *roboratione*. III. Ulceris 1. *Detersione*, & mundificatione, seu per succos, *millefolii marrubii*, *veronicæ* cum *melle rosato*; seu per *aquam aluminis*: seu per *aquam viridem* Hartmanni, cui crustæ per vapores herbarum emollientium, emollitio præmitti debet. 2. *Exsiccatione*, per vaporem *scoriæ ferri*, candentis, vino rubeo conspersæ; per suffumigium *auripigmenti*, *cinnabaris*, *benzoi*,

styracis, *calamitæ*, *caryophylli* inter se permistorum; obstructis ad radices naribus, ne cerebrum feriatur. 3. *Consolidatione*, per trochiscos Rondeletii, &c.

III. *Polypus est carnosa in naribus excrescentia, ex radicibus quibusdam tenuibus pendens, & nunc è naribus propendens, nunc etiam in palatum descendens.* Cognoscitur *ex eo*, quod caro illa sit laxa, rara, mollis, colore varia; quod in plenilunio vehementer excrescat, circa novilunium flaccescat, &c. *Oritur* ab humoribus viscidis, pituita inprimis sanguini permista, quæ è cerebro ad nares exulceratas defluens, ulceribus inhæret. *Curatio* festinanda, ne in Cancrum abeat. Peragitur, vel *Chirurgia* seu præcisione; de qua vide Practicos: vel *Pharmacia*, ubi præmissis universalibus adhibenda circa novilunium, vel *Oleum vitrioli* non correctum, lana, postquam caro scarificata fuerit, exceptum & applicatum; Vel turundæ *radicis gentianæ*, ex præscripto Hartmanni; vel *linimenta* Ioëlis. *Dividitur* dupliciter. I. Alius est *Mollis* & *albus*, qui doloris expers, facilius curatur. Alius *Subrubeus*, qui difficilius. Alius *Lividus*, qui curationem respuit, & in cancrum degenerat. Laudantur in eo *vitella* ovorum, in mortario plumbeo ad nigredinem usque agitata, & in unguenti formam cum scrup. j. *Camphoræ* redacta. Alius *Durus*, in quo emollientia fotus forma præmitti debent. II. Alius est *Profundus*, qui quia cerebro est propinquior, periculosior simul est. Alius, qui *oculis cernitur*, & foris nonnihil exsistit.

CAPUT II.

De Hæmorrhagia narium.

H*Æmorrhagia est immodica, totoque genere præter naturam, sanguinis per venas nasi, divisas, rarefactas, vel apertas, excretio.*

De

De Hæmorrhagia *Symptomatica*, non *Critica* res est, quæ fit à natura robusta in febribus, cum prægressis signis coctionis & criseos in die judicatorio; quæque morbum solvit.

Signa affectus per se sunt manifesta. *Præcognoscitur* ex humorum ad superiora ἀναῤῥοπία, quam capitis & colli dolor, temporum gravitas, oculorum caligo, hypochondrii tensio, lacrymæ involuntariæ, difficilis respiratio, &c. significant.

Causæ sunt, quæcunque venas nasi aperire, dividere, vel rarefacere possunt, quorum in differentiis mentionem faciemus.

Curatio est *Difficilis*, si est ita immodica, ut in corporibus biliosis, bile sanguinem adurente, facies citrina; in pituitosis, pituita multiplicata, plumbea; in melancholicis, fusca, evadat, & ad IV libras extendatur. si in pituitosos & melancholicos, quia isti magis refrigerantur, incidit. si prærubro colore præditos, cum capitis dolore afficit. si morbum cui supervenit non sedat, & rigor illum excipit; quia corpus exhaustum spiritibus, infrigidatur, & hoc modo morbos diuturnos parit. *Non tentanda* in iis, quibus in febre ardenti capitis dolores, cum cervicis labore, & totius corporis, cum tremore imbecillitas, adsunt, quia morbum solvit. in iis quib. menses deficiunt. in iis quos vel surditas, vel spinæ distorsio & spirandi difficultas, vel dolor in infernis partibus fortis, parib. cæteris, affligunt. *Dubiæ spei*, si in affectibus epatis è nare sinistra, in lienis, è nare dextra, cum thoracis præsertim aut capitis sudore, fluit. si febricitantibus accidit, & inde alvus convalescentibus humectatur, quia calore nativo debilitato, hydrops oboritur. si cum sudoribus exiguis & perfrigeratione contingit, quia nimia virium exsolutio indicatur. si in morbo acuto, oculorum motum velocem, somnum turbulentum, & vigilias conjunctas habet. si in acutis & arden-

tibus, quarto die, craſſus & niger cum aliis Symptomatibus guttatim prodit, quia imbecillitatem naturæ indicat. ſi in morbis longis, talis accidit. *Peragitur* I. *Revulſione*, per venæ medianæ ſectionem moderatam & iteratam ejus partis, ex cujus nare fluit; cucurbitulas hypochondriis applicatas, ſi ſanguis malus non eſt, frictiones, &c. II. *Medicamentis fluxum ſiſtentibus*, ſeu *refrigerantibus*, ſeu *adſtringentibus*, ſeu *glutinantibus*, ſeu *qualitate occulta agentibus*; extra adhibitis, vel intra propinatis. Præcipua eſſe creduntur, ex *Internis*, *ſperniolæ compoſitum* Crollii 3. vel 4 granis in aqua burſæ paſtoris exhibitum. *Crocus Martis* cum ſucco Cydoniorum & aliquot laudani opiati granis, *Syrupus de Corallis* Quercetani in aqua chalybeata. *Extract. Croci Martis* gr. iij. cum aqua plantaginis. *Sperma ranarum* vere collectum, ſiccatum, & cum vino propinatum. Ex *externis*, Unguentum *Quercetani* ex Croci Martis ſubtiliſſ. reverberati, croci veneris ana unc. ij, oleo *viſci* pomor. ſimplic. excepti compoſitum. Aqua *Spermatis ranarum* cum pauxillo camphoræ & ſaccari ſaturni collo circumpoſita. *Argilla furnacea* cum aceto forti inſtar pultis commiſta, & eodem modo applicata. *Stercus aſininum* aut *ſuillum*, aceto roſaceo diſſolutum, & in nares immiſſum. *Fungi betulini* ramenta, *Radix Cichorii albi*, circa feſtum Jacobi in meridie collecta, & dentibus attrita. *Magneticam curationem* per vitriolum vide apud *Beckerum* in *Medico Microcoſmo*, cap. de ſanguine, &c.

Dividitur hæmorrhagia tripliciter, à Cauſis, ſanguine, & locis.

I. *Alia* eſt ab ἀναστομώσεως, quæ *vel* fit *à ſanguinis copia*, & *tum* rubet facies, venæ tenduntur, victus liberalior præceſſit. Venæ-ſectio locum habet. Caput aqua frigida non perfundendum, ne ſanguine detento aliquid deterius ſequatur. Nec linteum

frigidâ

frigidâ madidum inter initia collo injiciendum, ne viæ inter cerebrum & cor præcludantur. *Vel* ab *acrimonia*, *&* *tenuitate*; tum ſigna cacochymiæ adſunt. Incraſſantibus, ut bolo armeno, ſanguine draconis & aliis, agendum. *Vel* à *facultatis irritatione*, & tum eadem præſtò ſunt. *Vel* ab *ejuſdem imbecillitate*; & tum ſanguis per intervalla exit, nec multus; morbus hepar debilitans præceſſit. Curatio ad illum etiam obvertenda.

Alia à διαιρέσει: ab *humore acri* & aliis, & tum ſanguis majore copiâ fluit, vel cauſa aliqua violenta præceſſit, vel ſigna bilioſæ Cacochymiæ adſunt.

Alia à διαπηδήσει: & tum ſanguis paucus eſt, &c. vide l. 1.

II. Alia eſt *ſanguinis arterioſi*, qui calidus, rubens, ſubtilis, cum ſpuma & impetu exſiliens. Alia *venoſi*, craſſior & nigrior.

III. Alia eſt *ſanguinis ex venis cerebri* prodeuntis; & tum capitis dolor præceſſit. fluxus non facilè ſiſtitur. Alia ejuſdem ex *venis narium* proſilientis; & tum contrarium accidit.

CAPUT III.

De Olfactus læſione, Gravedine, & Sternutatione.

I. OLfactus præcipua *læſio* eſt ejus *Abolitio* aut *Diminutio*, quæ gradibus & magnitudine cauſarum duntaxat differunt. *Fit* hæc 1. *Aut ab intemperie cerebri*, quæ *vel* ipſius *partem anteriorem* obſidet; & *tum*, guſtatus quoque, ob tertii nervorum cerebri paris propagines, linguam efformantes, aboletur. vox eſt ſonora & inculpata. Curatio intemperiei rationem habebit: *vel* proceſſum *illor. nervorum*, qui olfactus organum ſtatuuntur; & *tum* nulla in cerebro vel cæteris ſenſibus læſio conſpicitur.

tur. *Aut* ab *Angustia*, & quidem vel *Cerebri*: & tum gravitas adest. Errhinis nec tamen nimiis agendum: Sed & sternutatoria vehementer juvant: *vel processuum cerebri*, aut *nasi interni*, & *ossis ἠθμοειδοῦς*; & tum, vox & respiratio vitiantur, excrementa solita cohibentur. Olfactus interdum *totaliter aboletur*, si pituita ad foramina illius ossis calore induratur, quod iis qui coryza laborantes balneum in cautè ingrediuntur, accidit. Laudantur in hisce, Radix *gentianæ* naribus convenienter inserta. *Castoreum* aceto immersum & odoratum. *Oleum* nigellæ, *Errhinum Zacuti* l. 7. c. 15. p. 517. &c. de quibus in capite de Catarrhis.

II. *Gravedo* seu *κορύζα* est *cerebri excrementorum instar aquæ crudorum ac tenuium ad nares defluxio, quam frequens sternutatio comitatur. Cognoscitur* ipsa per se. *Oritur*, ab intemperie cerebri seu calida seu frigida: de quibus superius.

III. *Sternutatio est flatuosorum spirituum, acriumque vaporum, cerebrum offendentium, violenta & involuntaria per nares expulsio.* Fit cum *strepitu*, tum quia spiritus confertim, tum quia per angusta narium foramina erumpit. *Oritur vel* à *Caussis externis*, & tum oleo rosaceo vel lacte nares demulcendæ. *Vel* ab *internis* humoribus & vaporibus eò delatis, de quibus suis capitibus: solet autem ut plurimum à Medicis negligi, nisi in corpore plethorico, in principio morbi, cum destillatione accidat. *Venulæ* in majori oculorum angulo naribus proximo, *fortius compressæ*, crebram statim sedant.

Titulus VII.

De Linguæ morbis & symptomatibus.

Linguarum affectus sunt, *Tumor*, *Ranula*, *Nigrities*, *Paralysis*, *Balbuties*, *Aphonia*, *Gustus læsio*.

I. Tumor

I. *Tumor* oritur, vel à *causis externis*, ut inunctione hydrargyri, esu fungorum venenatorum, &c. Tum, vitanda sunt purgantia. Lingua decocto Scabiosæ, Plantaginis, cum pauxillo Theriacæ & mellis rosacei abluenda. Vel à *Causis internis*, nempe affluxu, *Materiæ calidioris*, sanguinis nempe aut bilis; & tum, Inflammatio plerumque excitatur. *Frigidioris*; & tum lingua albicat, multum pituitæ effluit. *Venenatæ*, ut in lue venera, cujus signa aderunt. *Corruptæ* & *cancrosæ*, & tum malum ferè est incurabile, & putredine ad radicem linguæ vel sanguinis fluxu in linguis erosis accedente, tandem ægri moriuntur. Ad quoscunque conducit *oleum vitrioli* cum melle rosaceo inunctum, & venarum sub lingua sectio:

II. *Ranula est tumor ranæ formam referens, quæ sub lingua ex molli carne, cui lingua incumbit, cuique quasi vinculo alligata est, nonnunquam exoritur.* *Cognoscitur* ipso visu. *Oritur* à sanguine viscido & pituitoso eòdem confluente, & mollem ac laxum tumorem, qui apertus, mucum ovi candido, persimilem de se dat, excitante. *Curatur* aut Topicis remediis, inter quæ *oleum vitrioli* cum melle rosaceo prævalet: aut *Chirurgica operatione*, quam linimenta ex tragacantho torrefacto cum radice hermodactyli & albumine ovi, vel gargarismata, excipere debent.

III. *Nigrities cum scabritie & scissura aliquando* oritur ab igneis vaporibus & exhalationibus, in febribus, præsertim ardentibus. Ablui debet *lacte caprino aut canino.* foveri *mucilag. semin. psillii & cydoniorum* collui aquis refrigerantibus, cum *lapide prunellæ.*

IV. *Paralysis* contingit linguæ, vel *Toti*, & tum ii nervi prorsus impediuntur, qui à septima cerebri conjugatione propè spinalis medullæ initium derivantur,

vantur, gravis etiam Apoplexiæ metus impendet. Vel *ejus parti* sive dextræ sive sinistræ, seu vitio nervorum seu spirituum. In ejus *Curatione* præmissis Universalibus, laudantur *salis margarit.* gr. x. in vino malvatico. *ol. Rorismarini* cum rotulis diambræ vel diacastorei. *Aqua vel spiritus ceras. nigrorum* frictio linguæ cum *fol. Tabaci, semine Erucæ, & Theriaca.* Vide & *Electuarum Solenandri* in consiliis.

V. *Balbuties*, & *blæsitas* infestant, Aut *ex ebrietate*; aut linguæ *mala conformatione, brevitate, nimia crassitie*: aut ejusdem *immodica siccitate*; aut *nimia humiditate*. Difficulter tollitur.

VI. *Aphonia* oritur, vel à naturæ *conformantis* vitio: vel à *Consummata paralysi.* Curatur ut paralysis. Valet Aqua *Lilior. Convall. Lavendulæ*, Cum *sanguine Turtur. oleo Anisi*, & *spiritu vitrioli.*

VII. *Gustus læsio* fit, I *Eo imminuto vel abolito*, seu nervis mollioribus, à tertia cerebri conjugatione exeuntibus perfrigeratis; seu eâ cerebri parte, unde exeunt, affectâ. Prodest sectio venæ sub lingua; nec non ea, quorum in Aphonia & Paralysi facta est mentio. II. *Eo depravato*, ut alienus sapor percipiatur, quod fit, cum *vel* linguæ corpus, *vel* quæ ipsum vestit membrana, tetro humore imbuitur, qui vel solus, vel liquore eorum quæ eduntur vel bibuntur dilutus, in linguæ corpus mollesque nervos penetrat; tumque vel salsus, vel amarus, vel acidus, pro ratione exhalationis & humoris sapor, gustu percipitur. Laudatur *Rasura linguæ* cum *radice Zedoariæ* vel *gentianæ*, *Raphanus sale conditus* ante Cœnam masticatus, eluto postea ore vino, &c.

TITU-

TITULUS VIII.

De Morbis & Symptomatibus labiorum.

L*Abiorum* affectus ſunt, *Fiſſuræ*, *Vlcera*, *Tremor*, & *Perverſio*.

I. *Fiſſura eſt continuitatis labiorum à nimia ſiccitate & tenſione ſolutio. Cognoſcitur* ipſo aſpectu. *Oritur* à ſiccitate nimia & tenſione; ut in definitione dictum. *Curatur*, ſiccitatis per humectantia correctione, & ſolutæ unitatis unione. Valet *pinguedo*, qua *ex Cochlearibus* ligneis in culina ad coquendum uſitatis, ſi igni admoveantur, ediſtillat. *Dividuntur* variè. I. Aliæ ſunt à *Nativitate*, quæ difficulter curantur. Aliæ *Adventitiæ*, quæ facilius, niſi ad cancroſam materiam degenerent. II. Aliæ ſunt à *Cauſis externis*, frigore, calore, vento boreali, &c. & tum relatio ægri ſufficiet. In Curatione ut omnia removeri debent, ſic uniuscujuſque ratio haberi. A frigore *pomatum album* valet. Aliæ *ab internis*; nempe I. *Humoribus calidis*, qui ex capite ſæpe devolvuntur, pruritum & profunditatem inferunt. In Curatione, evacuata materiâ, lintea tenera *ſucco ſempervivi* madida imponi; & ſi profundiores fiſſuræ ſunt, *adipe anſerino* & *caponis* illiniri debent. II. *Vaporibus*, qui calidi, ſicci, ſalſi & acres ſunt. Ex inferioribus partibus per œſophagum vel aſperam arteriam aſcendunt. Mulieres ſalaciores, ex uteri ſiccitate, propter communem tunicam infeſtant, & fiſſuras ſine ardore, pruritu, multâ duritie, nec profundas, nec frequenter inducunt. In *Curatione* partium mittentium ratio habenda eſt. In omnibus labium introvertendum, & præmiſſâ maſticis maſticatione, linguâ humectandum eſt.

II. Circa *Vlcera labiorum* hæc notanda ſun-

1. Omnia ab humoribus acribus, bilioſis & ſeroſis, ſive ex aduſtione & putredine, ſive ex admiſtione, *oriri.* II. Interdum cruſtoſa, interdum manantia eſſe. III. Interdum *Criticè* in febribus malignis & aliis protrudi, quæ per ſe facilè curantur, febris finem deſignant. ſi cum viribus diminutis ſint, mortem minantur: Interdum *Symptomaticè*, idque vel propter contuſionem labii; vel propter venena; vel propter humores, ut in morbo Gallico. In *curatione*, Medicamenta ſomni tempore optimè adhibentur. Acres cibi vitari debent.

III. *Tremor labiorum* provenit, vel ab *externa cauſa*, nimirum. 1. Frigore, cum dentium ſtridore. 2. Ira, vel metu, diſſipatis aut ad interiora remiſſis ſpiritibus. Vel ab *interna*, ut in cerebri magno affectu, ex nervorum debilitatione: in nauſea, ex humore acri vellicante, vel ventriculi per conſenſum membranarum agitatione: In vermibus. Curatio ad cauſas obvertenda erit.

IV. *Perverſio labiorum*, fit ab affectu *nervorum tertii paris*, convulſis muſculis; idque vel *per ſe*, à ſiccitate: vel *ex eventu*, ſeu cum cognati & congeneres, qui ſimul membrorum aliquod attollunt vel deprimunt, vel convelluntur; vel antagoniſtæ muſculi reſolvuntur. *Lethalis* eſt, viribus debilibus, in febribus continuis, peculiari organorum defectu. *Periculo vacans*, ſi vires ſunt validæ, actiones ſibi conſtant & criticæ materiæ ad caput metaſtaſis peragitur.

TITULUS IX.

De Faciei morbis & ſymptomatibus.

CAPUT I.

De Oris apertione, hiatu, & oſcitatione.

AD *Faciei* affectus pertinent *Oris apertio*, *Hiatus*, *Oſcitatio*, *Tortura*, & *Ptyaliſmus*.

I. *Oris*

I. *Oris apertio eſt, quando os, quod per naturam claudi debebat, non clauditur.* Fit id, I. Quando *maxillo inferior* capiti adnaſcitur, quod rarius contingit. II. Quando tumores *circa juncturam* maxillarum, in inflammationibus maxillæ & tonſillarum exoriuntur. III. Quando *oris cardo*, in quo gena vertitur, *obrigeſcit*, & os ſtrictius, quo minus in rictu queat expandi, ſquallido humore in juncturam illam & vincula altius imbibito, connivet. III. Quando *cervix ex vulnere nervorum*, quia maxillæ veluti oſſa rigeſcunt, diſtenditur.

II. *Oris hiatus eſt, quando os, quod per naturam uno labio alteri ſuperinſedente claudi debebat, hiat. Oritur* 1. A *mala conſuetudine.* 2. *Maxillæ* inferioris *luxatione.* 3. *Narium*, ut copioſior aër attrahatur, *obſtructione.* 4. *Vaporum* calidiſſimorum in febribus *aſcenſu*; & tum, ſi ſint faucium ſine tumore dolores & puſilli & ſtrangulantes, emotio mentis portenditur. 5. *Læsâ* in lethargo memoriâ.

III. *Oſcitatio eſt, vehemens oris ab halituoſis & in ſpaciis muſculorum maxillæ inferioris, & buccarum collectis, & excretricem ad excernendum ſtimulantibus vaporibus, diſtentio.* De *Signis* laborandum non eſt. quia verò auris meatus aërem tum ſatis non admittit, & nervus comprimitur, obauditionem conjunctam habet. *Cauſa* in definitione expoſita eſt. *Curatio* eſt *Nulla* ferè, ſi in nixu accidat. *Dubia*, ſi maxillam inferiorem luxet. Aliàs citra occaſionem frequentiorem, morbos, ſi diducto ore affatim aër hauritur, mox cum ſono excluditur, præſagit; & febrium propter vaporum ex materia in inferioribus jam collecta & putreſcente aſcenſum, præludium eſt. *Peragitur*, I. Materiæ, quæ vapores ſuppeditat, excluſione. II. Vaporum diſcuſſione vel revulſione.

Caput II.

De Oris tortura.

ORis tortura est ejusdem ex affectis vel faciei musculis, vel tertiæ & quintæ conjugationis nervis, seu iis qui à primis cervicis vertebris descendunt, procedens distentio.

Signa sunt, quòd oculus alter ritè claudi non possit, æger exspuere jussus, alterâ tantum parte id faciat; quod si nulla signa appareant, ridere aut literam O pronunciare jussus, alteram oris partem movere nequeat.

Causa in definitione exposita est.

Curatio est *Facilior*, si nulli corporis parti turpitudo illa consentit. *Difficilior*, si ultra sex menses producitur. Quomodo *peragatur*, in Differentiis videbitur.

Dividitur autem dupliciter, pro ratione *causarum*.

I. Alia est à *Resolutione*, quæ *Cognoscitur* ex eo, quod pars affecta sit laxa, mollis ad sanam trahatur, sensus in parte sit obtusus, palpebræ oculi ex parte decidant, facies sine rugis extendatur, & continuò ad inferiora inclinet. *Oritur* ab iisdem causis, à quibus Paralysin aut Apoplexiam portendit. *Curatur* ad modum Paralyseos 1. *Per universalia*, ubi nota. 1. Ad fortiora ante quartum vel septimum diem, nisi metus sit à morbis memoratis, non accedendum. 2. Venam secandam prius cubiti; pòst sub lingua. 3. Cucurbitulas cum scarificatione potius scapulis quàm primis vertebris imponendas, ne, si cervici sæpius imponantur, tremorem inferant. II. Per *Particularia*, & tum Errhina & Apophlegmatizantia sint in usu. Gargarismi ante Errhina, ne materia ad faciem ducatur, non adhibeantur. Extra, inunctiones ex *Castoreo* fiant. Per ligaturam os ad natu-

naturalem ſtatum redigatur. Æger in loco obſcuro, ne lucis præſentiâ humores fuſi, ad nervos concurrant, ponatur. Speculum ipſi opponatur.

Alia à *Convulſione*. quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod pars affecta ſit dura, & plerumque doleat. ſana ad tenſam trahatur. Cutis in una parte ſit rugoſa, in altera tenſa. ſalivæ & ſputi paucitas adſit. *Oritur* ab iiſdem cauſis, à quibus Convulſio. *Curatur* quoque *Difficulter*, vel *Nullo modo*, ſi utrumque latus occupat (ſpaſmus Cynicus dicitur) & fortis eſt. nam interdum intra quatuor dies, interdum intra duodecim, materia ad Cerebrum translata, interficit. ſi in febribus ardentibus, pernicioſa phrenitide, &c. accidit.

II. Alia eſt, *quando muſculi* afficiuntur; & tum vitioſa figura ſolam partem faciei, quam ille muſculus regit, occupat. Alia, *quando nervi*; & tum, *Principio* ipſorum *affecto*, cerebrum etiam dimidiâ parte afficitur, & dimidium faciei cum toto corpore patitur: *Progreſſu laborante*, diſtortio dimidium faciei ſecundùm omnes partes occupat. *Tertio pari*, quia aliqua ſui parte cum motoriis oculorum nervis, per eadem foramina prominet, magis oculus laborat. *Quinto*, levis fit noxa buccarum. *Primis cervicis vertebris*, inſignis fit iiſdem noxa; Oculus verò, niſi ſimul muſculus temporalis afficiatur, in quem quinta conjugatio ramulum mittit, eſt liberior.

CAPUT III.

De Ptyaliſmo.

Ptyaliſmus *eſt crebra & involuntaria ſine tuſſi & ſcreatu exſpuitio, à nimia ſalivæ copia proveniens.*

Res eſt de *Symptomatico*, non *Critico*, qui à morbo liberat.

Signis opus non eſt. *Involuntaria* dicitur, ut ab illa quæ conſuetudine ſive inter perorandum, ſive non,

non, accerſitur, diſtinguatur. *Sine tuſſi* eſt & *ſcreatu*, quia ſputum id eſt, quod exſcreatione ex thorace plerumque ejicitur; ſaliva, quæ ſine illa.

Cauſa eſt nimia ſalivæ copia. Nam ſi naturaliter in ſua mediocritate conſideretur, cibum in ore ad primam coctionem miſturâ ſuâ dum maſticatur præparat, locutionem promovet, & ſaporum eſt vehiculum.

Curatio generalis, quia in glandulis linguæ utrinque aſſiſtentibus, quas Tonſillas vocant, concurrente linguæ & partium in ore calore gignitur, ad tonſillarum roborationem convertenda eſt. Id fit decocto ex fol. *Myrti*, *Plantaginis*, *Alumine*, &c. quæ detinenda ſunt tantum in ore, non gargarizanda, ne plus pituitæ attrahatur.

Dividitur ſecundùm cauſas.

Alia eſt à *Cauſis externis* ſalivam augentibus, ut hydrargyri inunctione moleſta. Cibis copioſis & humidis, potu nimio: & hæc poſt cibum *exſurgit*.

Alia à *Cauſis internis*, humore *nimirum aquoſo* & pituitoſo, qui 1. Intetdum *à Cerebro* ad fauces defluens, ſe ipſi commiſcet; & tum in Columellæ laxatione, inflammatione, & ulceribus oris idem fit. Curatio ad Catarrhum dirigenda eſt. 2. Interdum *in toto corpore* cumulatus, quod infantibus accidere ſolet, eò mittitur. 3. Interdum ex *Ventriculo* humidiore & jejuno, poſt morbos præſertim Chronicos exſudat; & tum, ratio ventriculi per *aloëtica* purgantia; *Thus* & *Maſtichen* cum vino ſumta, cibos ſinapi admixtos, & *Diagalangam* habenda. 4. Interdum ex *inteſtinis*, ut in vermibus. ex *Liene*, ut in ſcorbuticis, ex *pectore* & *pulmonibus*, &c. provenit.

TITULUS X.

De Oris affectibus.

CAPUT I.

De Aphthis.

ORis ita propriè dicti affectus sunt *Aphthæ* & *Fœtor.*

Aphthæ sunt quædam in summa oris superficie exulcerationes igneæ quidpiam caliditatis habentes.

Signis opus non est, visu ipso dignoscuntur.

Causæ tam externæ, quàm internæ, in Differentiis exponentur.

Curatio Repulsione, in principio cum adstrictione, in progressu cum discussione. *Discussione* sola, & *Maturatione*, si ad suppurationem tendant, ubi *lactis* vel *passularum* decoctum prodest, perficitur.

Dividuntur multifariam.

I. Aliæ sunt *à Causa externa*, hydrargyri nempe inunctione, cibis acribus in ventriculo corruptis, esu fungorum, mensium retentione, &c.

Aliæ ab *Internis*, nempe 1. *Humoribus pravis* vel ibidem genitis, vel aliunde missis; Tum, Colores humorum imitantur. A pituita minùs ferventes sentiuntur. A bile plerumque inflammatæ sunt. In pueris nigræ, & veluti crustæ, lethales evadunt. Universalia postulant. 2. *Vaporibus*, qui vel à toto vel à parte, calido præsertim jecore emittuntur. summas oris partes facilè ob mollitiem & teneritudinem acrimoniâ suâ lædunt. in febribus frequenter talem morbum inducunt.

II. Aliæ sunt *Recentes*, quæ faciliùs sanantur. Aliæ *Inveteratæ*, quæ difficilius: idque tum propter partis sensibilitatem, quæ ab acribus medicamentis irritatur; tum propter medicamentorum à saliva elutio-

nem; tum denique propter mali in loco calido & humido ad putredinem properationem.

III. Aliæ ſunt *ſordidæ*, quæ *aqua ſaccharata*, cum Oleo vitrioli permiſta, ablui poſſunt. Aliæ *Vlcera ſordida* poſt ſe relinquentes, & tum *Aqua viridis* Plateri rectè adhibetur, quam ablutio oris per aquam plantaginis ſequi debet.

IV. Aliæ *ſummam duntaxat Cutem ſtringunt*, & in gingivas, palatum, linguæ latera & radicem ſerpunt. Aliæ *profundius penetrant*, & palatum carnemque linguæ exedunt: in infantibus præcipuè, quia molliora corpora habent. Laudantur decocta *Satureiæ* & *Veronicæ* in vino, ſi in iis os colluatur. Aqua *nucum* cum aceto exſtillata, ſi Spongia adhibeatur.

V. Aliæ ſunt *Puerorum*, quæ plerumque à lacte acri & ſalſo proveniunt, *diamoro* cum melle roſato aut Oxymelite curantur. Aliæ *Adultorum*, quæ Univerſalia expoſcunt.

CAPUT II.

De Fœtore Oris.

FOEtor oris *eſt anhelitus gravitas à vapore fœtido ex ore egreſſo producta.*

Signis opus non eſt.

Cauſa proxima eſt *Vapor*, qui progreditur I. A *Cibis* vel ex ſeipſis fœtidis, ut allio, cæpa; & tum fœtor brevi ſpontè evaneſcit: vel in ventriculo, aut interſtitiis dentium corruptis. II. Ab *inteſtinorum excrementis*, cum orificium ventriculi inferius, quo in inteſtina ſe aperit, non arctè clauditur, quod ebrioſis accidit. & tum *Caryophylli*, *Nux moſchata*, *Zedoaria*, *Radices Imperatoriæ*, *Ireos*, *Cortices citri*, &c. in ore detinenda. III. Ab *humoribus fœtidis*; ſeu in ventriculo; & tum aloëticis optimè evacuantur: ſeu in oſſe colatorii, ſi quando corrumpitur; ſeu

ſeu in ulcere, & vulnere, pulmonis, gingivar. inteſtinorum. IV. A *vermibus* in inteſtinis ſtabulantibus, &c.

TITULUS XI.

De morbis & ſymptomatibus Dentium.

CAPUT I.

De Morbis Dentium.

ARTICULUS I.

De Dentium corroſione.

MOrbi *Dentium* ſunt *Corroſio & Mobilitas.*

Dentium corroſio eſt magnitudinis eorumdem à cauſis erodentibus, ut frangantur & fruſtillatim excidant, diminutio, fiſtulas interdum inducens.

Signa & tactu & viſu facilè deprehenduntur, & ut plurimum, qui tales dentes habent, jejuni tetrum halitum exſpirant.

Cauſæ eroſionis ſunt, vel *Externæ*, fuci mulierum ex hydrargyro, dulcia, præſertim ſaccharum, ut experientia oſtendit, calida aſſumta, nimium frigida poſt calida levi intervallo injecta. vel *Internæ*, nempe I. *Humores acres*, qui ex capite plerumque decurrunt; & tum, In *Curatione* ita procedendum, ut primò fluxus ſiſtatur. 2. Humiditas putrida; decocto *radic. Cappar. Menthæ*, *baccarum lauri*, *gallia moſchata* cum maſtiche denti indita tollatur. 3. Corruptio mundatione præcaveatur, per ſcalpellum à cibis, & oris collutione per vinum. Laudantur, *Odontalgici Crollii* gr. j. denti impoſitum cum goſſypio, Tralliani globuli ex *opii Thebaici ſcr.* j. *Myrrhæ. Styrac. calam. ana dr.* ſ. *Piperis albi*, *Croci*, *Galbani ana ſcr.* j. cum melle ſcillitico conformati, & denti inſerti. II. *Vermes*, qui globulis ex ſemine *hyoſcyami*, *capa* & *porro* cum ſ. q. ſebi capri-

ni, conformatis, & dentium cavitati impositis, eliciuntur.

De *Fistulis* dentium hæc duo sunt notanda.

I. Eos humorem *corruptum* & *saniem* sensim stillare, qui *interdum* in os cum fœtore influit; *interdum* per dentium radices & maxillæ foramina, per quæ vasa in eas subeunt, sensim extra derivatur, & tubercula in mala vel mento excitat; *interdum* apertum semper ulcus manet.

II. Vix *nisi dens evellatur*, quod tubercula illorum etsi rumpantur, noviter succrescant, & ulcera claudi nequeant, *curari posse*. Ut autem dens benè extrahi possit, vel *ranarum viridium* in arboribus degentium *pinguedine* affricetur; vel ex *tithymalli succo* & *ammoniaco* formati globuli ipsi indantur: vel unguento ex *gummi ammoniaco* dissoluto, & *semine hyoscyami* inungatur. Sed observa, 1. Vicinos dentes benè muniri debere, ne à medicamento tangantur. 2. Os apertum servari, ut saliva effluat. 3. Nihil deglutiendum esse.

ARTICULUS II.
De Dentium mobilitate.

DEntium *mobilitas*, *est eorundem à causis suis profecta vacillatio, quam casus interdum insequitur.*

Dentes *subjectum* sunt, sed præsertim *Incisorii*, quì unâ saltem radice nituntur.

Signum attactus ipse suppeditabit.

Causæ sunt, vel *Externæ*, vel *Internæ*.

Externæ, ictus nempe vel Casus, & tum medicamentis adstringentibus agendum; inprimis remedio ex *gland. dr.* j. *alumin. usti*, *gallarum*, *succi acaciæ ana dr.* ſ. *folior. rosar. rubr. m.* ſ. cum vini rubri lib. II. ad casum unius pollicis decoctis & colatis, composito, quo quotidie dentes elui debent.

Internæ

Internæ ſunt, I. *ſuccus pravus*, gingivas vel dentium radices *erodens*; & tum, deſtillationes acres præceſſere, & dentes dolent. pulvis ex corallo rubro præparato & maſtiche prodeſt. ſi in lue venerea id fiat, morbus ille videatur. II. *Nimia humiditas* radices dentium *laxans*; & tum, Os ſaliva abundat, & gingivæ ſunt molles. In *Curatione* adſtringentibus ex decocto *filicis maris*, *Capparum*, *foliorum myrti*, *cum oleo ſulfuris* utendum. Cortices *granatorum*, *balauſtia*, *vitriolum*, quia dentes denigrant, vitanda. ſi ſit à ſcorbuto, ad ipſum reſpiciendum. III. *Defectus alimenti*, quod fit in ſenibus & convaleſcentibus, Unde alveoli fiunt ampliores. Non poteſt curari: modicè tamen adſtringentibus agendum eſt.

Caſum interdum ſequi dixi, circa quem obſerva. I. In *infantibus* modò radices remaneant, in quibus regenerandi ſpes reſidet, *ſpontè iterum renaſci*. II. *Molarium appendicem*, quia ita cum dentibus committitur, ut ipſorum pars oſſea videatur, raro *decidere*. III. *Geminos*, ſi exciderunt, *nunquam* ferè redire. IV. Dentibus ex *ebore* arte factis & inſertis adimpleri poſſe, modò caveatur, ne ex compreſſione, gingivarum vel nervorum inflammatio ſequatur.

CAPUT II.

De Dentium ſymptomatibus.

ARTICULUS I.

De Odontalgia.

S*ymptomata* Dentium ſunt, *Odontalgia*, *Stupor*, *Stridor & Nigredo*.

Odontalgia eſt triſtis dentium ſenſus, ab ipſorum continui per humores ſolutione procedens.

Triſtem ſenſum dico. Dentes enim & mollium

cerebri nervorum, ex quinta & ſexta propagine participes ſunt: & nervulum ad radicem dentis implantatum habent, membranulæ cavitatem intus ſuccingentes.

Subjectum ſunt dentes maximè molares. Iſte tamen dolor, à dolore *puerorum dentientium*, qui, cum canini erumpunt, maximus eſt, quique à duritie & denſitate gingivarum oritur, & ſi pinguedine gallinæ vel lacte canino inungatur, evaneſcit, alius eſt.

Signis opus non eſt: diligenter tamen à *gingivarum* dolore, quæ interdum inflammantur, tumeſcunt, putreſcunt, quique exemto dente non ſedatur, diſcernendus eſt.

Cauſa eſt humor continuitatem ſolvens: de quo in Differentiis.

Curatio eſt *Bonæ ſpei*, ſi ſe pus in aure colligat. ſi tumore in gingivis vel malis exorto, prius non apparente, materia ab interioribus ad exteriora tranſponatur. *Exigua*, ſi febris ardens & inſuetus dentium ſtridor accidat; quia is, cum ob convulſos temporum muſculos invadat, & cerebrum tactum eſſe indicio ſit, delirium primò; mox, quia mali confirmati ſignum eſt, mortem minatur. *Peragitur* I. *Doloris*, ſi nimis urgeat per Narcotica *mitigatione*. Proſunt *Opii grana duo cum croci* æquali parte in bombace indita. Oris cum *aceto* & *Opio* collutio; pillulæ ex *Opio* & *Theriaca* Andromachi formatæ. *Transplantatio* in nucem avellanam: de qua vide Beckerum, in Medico Microcoſmo. Dolore ſopito, os illico decocto Salviæ & Rorismarini eluatur. II. *Humoris* peccantis *evacuatione*, per ſanguinis miſſionem, quæ fit propter *Revulſionem*, ex majore venâ; propter derivationem, ex auriculis, vel ſub lingua, ubi nec veſicatorium poſt aures negligendum. III. Ejuſdem *Repulſione* & *Interceptione*, ubi locum habet Emplaſtrum de *maſtiche*, *gummi Elemi*, & *Tacamahaca*

mahaca benè calefactum temporibus appositum. IV. *Discussione* per Emplastrum de *Meliloto*, & alia. V. *Proprietate agentium applicatione*, ex quibus præcipua, Canis mortui *dens* in fornace ustus, cum posca mistus & impositus. Radix *lapathi acuti* ante germinationem vere collecta, exsiccata, & denti dolenti applicata. *Senecta Serpentis* in vino vel aceto cocta. gummi hederæ dentibus insertum. VI. *Extractione*, quæ si dens aquâ ex sale armoniaco destillata tangatur, facilitabitur. Nota istud in quacunque causa R. *Radic. Filicis*, *Pentaphylli ana dr.* iii. *Bistortæ dr.* ii. *Foliorum Rutæ*, *Salviæ*, *Beton. Flor. rosar. ana m. ß.* Coque in vini rubri adstringentis, & aquæ commun. q. s. ad consumtionem tertiæ partis pro collutione oris.

Differentiæ sumuntur ab *Ortu*, *Loco* & *Qualitatibus humorum*.

I. *Ortu*. Interdum à *Capitis vertice* confluunt; & tum, per venam Cephalicam revellendum est. ea quæ de repellentibus supra innui, observanda. Interdum ab *inferioribus* oriuntur, & tum per basilicam revellendum.

II. *Loco*. Interdum in *dente* hærent; & tum, Dolor non est ita profundus. secundùm latitudinem dentis extenditur. plerumque vermem intus continet. ad cujus motum dolor exasperatur. Interdum in *nervulo*, in radices dentis, & membranam hujus nerveam, tendente, & tum Dolor vehementior est. Secundùm gingivas in latitudine se extendit, & ad aurem pertingit. dente exemto, quòd ob viam patefactam dolor melius diffletur, levatur. Interdum in *maxillas ipsas* decumbit, & tum, In superiorem per oculum anguli majorem, in inferiorem per venas temporum confluit. Repellentibus, quia materia ad fauces delata suffocat, periculosè tentatur.

III. *Qualitatibus*. Alii sunt *Calidi*, serosi,

ſalſi & acres, qui acerrimum, ſed ob ſubitas mutationes citò deſinentem dolorem excitant. rarò malæ tumorem conjunctum habent. Repellentibus, inter quæ Radices *Oxylapathi* in vino auſtero decoctæ, & cum vino in ore detentæ: radices *prunorum Sylveſtrium* ablato cortice exteriore, quod præcipuum, cæteris paribus, tolluntur. Alii *Frigidi & pituitoſi*, à quibus remiſſior & diuturnior eſt dolor. malæ tumorem plerumque inferunt. Præmiſſis Univerſalibus. *Camphoræ ſcr. ſ. Spirit. vini* unc. ij. vel *Gummi Iuniperini* unc. ſ. cum vini Rhenani unc. viij. decoctis, & in ore retentis; vel denique *Ol. deſtill. Caryophyllor.* gutt. ii. cum Camphoræ pauxillo, denti cum goſſypio impoſitis, tollitur.

ARTICULUS II.

De Stupore, Stridore, & Nigredine dentium.

I. S*Tupor dentium* fit, I. Interdum ab *acore* ſive ciborum, ſive humorum, ſive vaporum, quod hypochondriacis accidit. II. Interdum ab *imaginatione* ad limarum ſtrepitum, vel acerborum ab alio maſticationem. Si acutus valdè ſit ſonus & ſtridulus, applicatio vim patitur quaſi in anguſto facta: tum & membrana auditus quaſi icta offenditur, unde contrahitur repente, ac cum ea ſimul & nervuli quidam uſque ad radicem dentium, in quem locum ſubitò incidens novus aer, horrorem quendam circa dentes facit. Tollitur maſticatione *Ceræ, panis* calidi, *panni*, &c.

II. *Stridor* procedit I. Ab imbecillitate *muſculorum* maxillæ à frigore inducta. II. A *vermibus*, cerebro per conſenſum affecto. II. A *vaporum* multitudine, ut in paroxyſmorum principiis, Solet Apoplexiam,

& in febribus apud insuetos delirium, si hoc non præcessit, minari.

III. *Nigredo* à variis causis procedit, tam *Externis*, quàm *Internis*. Illæ sunt, Detergendi incuria. Dulcium & calidorum usus. Hydrargyri illitus. Istæ 1. Exspiratio *cruditatis* & crapulæ. 2. *Humorum* vitium, propter viscerum maximéque lienis impuritatem à quartana relictam. Tollitur dentifricio ex *radic. althea, iridis Illyrica*, in aqua, cum salis gemmæ & aluminis ana q. s. coctis, pòst in fornace exsiccatis, in minutissimum pulverem contritis, ac cum aliquot moschi granis mixtis, compositum. Dentifricia componuntur, ex *maxillis lucii piscis* ustis, *corall. alb. ossib. dactylorum* ustis, *sepiæ piscis*, *testis ovorum* ustis, *cornu cervi* adusto, &c.

TITULUS XII.

De Gingivarum affectibus.

GIngivarum præcipui affectus sunt *Excrescentia*, & *Parulis*.

I. *Excrescentia* interdum tanta est, ob spongiosam gingivarum raritatem, & uberiorem sanguinis affluxum, ut dentes, præsertim molares obtegantur. Caro excrescens interdum est laxa, sordida & flaccescens; cruorem etiam, si paulatim attingatur, de se fundit: Nonnunquam putredine corripitur; aliquando ejus est expers. In *Curatione* adstringentibus, *alumine usto*, *sale ammoniaco*, *mastiche*, *thure* in pollinem redactis, si nulla putredo adest, utendum: si adest, *Aqua viridis* Plateri, Hartmanni, nec non *Vnguentum de Aquilegia* commendantur. Hoc multo usu comprobatum est. R. Pulv. *folior. Aquileg. salviæ*, *menthæ crispæ*, *Nucis moschatæ*, ana unc. s. *Aluminis usti* unc. j. *Mellis purissimi* unc. iv. Mel bene igne despumetur, calenti & despumato pulveres in-

ſpergantur. F. Linimentum, pro inungendis dentibus.

III. *Parulis eſt inflammatio gingivarum, ad dentium radicem intus & foras adeò prominens, ut etiam vicinæ partes diſtendantur, caleant, & rubeant.* Procumbit in maxillam ſuperiorem, ex oculorum cantho majore; in inferiorem, per tempora è venis eò deſinentibus. *Abſceſſus* hinc ſequitur, cujus pus non ad faciei cutem, ſed ad dentium radices exili velamento tectas irrumpit. *Vlcus* ſi malè curatum eſt, caruncula exſtat, & prominet, *Epulis* nuncupata. Curandi ratio eadem, quæ in inflammationibus cæteris. Poteſt vena ſub lingua aperiri. júvant & cucurbitulæ collo admotæ. Obſerva in *Topicis*, Medicamentis aſperis & mordacibus ſuperſedendum eſſe. Ab *aceto* abſtinendum, cum gingivas ſua natura molles & raras erodat. In Epulide, *vitriolum* adſperſum valet.

TITULUS XIII.

De Maxillarum affectibus.

M*Axillarum* præcipui affectus ſunt, *Immobilitas & Luxatio.*

I. *Immobilitas* inferiori maxillæ accidit, *vel* propter luxationem, fracturam, maxillæ cum capite coalitum: *vel* propter deſtillationem è vertice capitis derivatam, quæ in ejus articulum ad radicem auriculæ influit, inſequente dolore & tumore duro ac conſpicuo. Huc & *Scorbutica* maxillarum rigiditas pertinet.

II. *Maxillæ luxatio eſt ejuſdem vel altera tantum parte, vel utraque ad priorem partem, rara ſed periculoſa depulſio. Cognoſcitur* exinde, quod os in ea claudi nequeat, locutio depravetur, maſticatio tollatur; & ſi luxatur proceſſus roſtro ſimilis, qui ſub

ſub jugali oſſe inſeritur, ipſo oſſe jugali humilior fit, & extra ipſum fertur. De *Curatione* notandum. 1. Citò ſumendam, ne muſculi affecti propter ramos nervorum, qui à ſecundo & quinto cerebri pari orti, in muſculos maxillam moventes inſeruntur, cerebrum in conſenſum trahant. 2. Si non reſtituitur, periculum mortis circa diem decimum, cum febre continua, & dormiendi inexpugnabili neceſſitate, minari. *Dividitur* in eam, *in qua alterâ tantum parte maxilla depellitur*; & tum, à parte illa in anteriorem magis prominet. in adverſum ipſa & mentum inclinatur. os diſtorquetur, & ordo dentium inferior & ſuperior ita ſibi non reſpondet, ut ſub inciſoriis ſint canini. *Curatio* videatur apud Practicos. Et *in eam, in qua utraque depellitur*; & tum, Ordo dentium ſibi reſpondet. Os magis hiat, & balbuties inſequitur. Maxilla inferior cum ſuperiore non poteſt committi, ſed illa magis prominet. Propter quatuor muſculorum maxillam ſurſum trahentium, & nervorum ipſis inſertorum affectum, unde dolor, inflammatio, febris acuta, ventriculi dolores, periculo non caret. *Curationem* vide ibidem.

TITULUS XIV.

De Gurgulionis affectibus.

G*Vrgulionis* affectus præcipui ſunt *Laxatio* & *Inflammatio*.

I. *Laxatio eſt, quando is præter naturam citra inflammationem intumeſcens, ab humore plerumque pituitoſo, à cerebro transmiſſo, in longum extenditur.* Tum dicitur κίονις χαλαστμένη. σταφυλὴ autem, ſive uva, quando ima parte in rotunditatem craſſeſcens, ſupro qua dependet, gracilior efficitur, ut uvæ à pediculo ſuo pendentis ſpeciem præ ſe ferat. Tum verò radici linguæ & faucibus incumbit, titillatione moleſta;

lesta; quâ qui afficitur, hanc perpetuò vorare frustra contendit, metuitque ne ejus impetu strangulетur. Columella ipsa mollis est, albicans, concolor palato, sine dolore & calore. Humor è Cerebro demittitur, quod præcipuè fit in Catarrhis. *Curatur* iste affectus, ut inflammatio. Si columella est erosa, contemperandus est acris humor. hinc extergendum. Prosunt *Ovum recens* ad duritiem coctum, per medium scissum, & vertici per aliquot horas impositum. In infantibus, *Charta munda* quadruplicata, lactis materni & aquæ rosaceæ æ. p. imbuta, vertici imposita. Pulvis ex *piperis longi scr. j. succi acaciæ, rad. tormentillæ ana scr. ij. compositus*, & post adstringentis gargarismi usum insufflatus.

II. *Gurgulionis inflammatio*, est ejusdem à sanguine bilioso in eum delapso, cum rubore, ardore, dolore, suffocationis periculo, interdum febre, intumescentia. Res se in ea habet, ut in aliis Inflammationibus.

TITULUS XV.

De Tonsillarum affectibus.

T*onsillarum* præcipui affectus sunt *Inflammatio* & *Vlcus*.

I. *Tonsillarum inflammatio est earum ex affluxu humorum genita intumescentia. Cognoscitur* intus sub maxilla tactu visuque, ubi ceu frustulum quoddam faucibus inhærescens, mole sua premit, obstatque ne cibus, potus, aut saliva facilè transeant. Adest quoque dolor, ardor, rubor, & sitis; & facilius in tonsillas quàm gurgulionem ob mollitiem & laxitatem, substantiæ, ac temperamenti proprii & loci caliditatem & humiditatem cadit. *Oritur Externè* in *pueris*, ob ἀδδηφαγίαν, cui tenera corporis textura accedit,

accedit : in *lactentibus* , ob lactis vitium & pravitatem : in *puellis* , ob menstruorum insufficientem purgationem : *adultis*, ob nimiam meri potationem, multam & avidiorem ciborum maximè acrium & asperorum devorationem. *Internè* ab humorum calidorum & acrium affluxum. *Curatur* ad modum aliarum inflammationum : hoc tamen attendendum, interdum tonsillas nimio refrigerantium & repellentium usu indurari.

II. De *Vlceribus* hæc veniunt notanda. I. Sine febre securiora esse. II. Æstate suborta, quia citò serpunt, pejora quàm quæ aliis oriuntur temporibus. III. Interdum citra inflammationem vel ex destillatione salsa partes illas exedente, vel ex halitu adscendente, quod in lue venerea accidit; interdum ex aliis causis, tempore verno & aëre pestilenti, oriri. IV. Alia *familiaria* esse & mitia, quæ sunt exigua, munda, non altè descendentia, nec inflammata, nec dolorem excitantia. Alia *maligna* , & *pestilentia*, quæ lata, cava, concreto humore albo aut livido, aut nigro sordentia ; quod si concretæ illæ sordes altiùs descenderint, Eschara gignitur. V. Circa fauces cum magna molestia serpentia , difficultatem spirandi adferre; quòd si in pectus per trachæam penetrant, eodem illo die strangulare. In *Curatione*, Omnia oris ulcera , tum ne amplius serpant , tum quia semper à saliva fiunt humidiora , validiora adstringentia reposcere. Et tantum de Capitis morbis.

IDEÆ
MEDICINÆ PRACTICÆ
LIBER IX.
De Morbis medii ventris.

TITULUS I.
De morbis Faucium, seu Angina.

ET tantum de morbis & affectibus Cerebri: sequuntur morbi *medii ventris*, qui sub se affectus *Faucium*, *Gutturis*, *Asperæ arteriæ*, *Pulmonum*, *Thoracis*, *Mamillarum* & *Cordis* continent.

Faucium morbus est *Angina*, seu *faucium, id est summarum gulæ gutturisque partium, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, spirationis & deglutitionis difficultatem inferens, præclusio.*

Signa communia sunt, *Spirationis difficultas*, quia guttur præcluditur. *Deglutitionis impedimentum*, tum quia gula obsidetur; tum quia musculi duo à larynge exorti, œsophagici & Circulatores quod suis fibris transversis, semicirculum imitantibus œsophagum complectantur dicti, cibi & potus ad inferiora detrusionem, dum laryngem deglutitionis tempore sursum trahunt, ut locum cibo cedat, adjuvantes, occupantur: tum quia musculi faucium, cibum ad œsophagum, dum ad suum principium contrahuntur, detrudentes, patiuntur. *Dolor circa fauces*, qui pro ratione Causarum & subjectorum vel augetur, vel minuitur.

Causæ sunt omnia præcludere spiritum apta: ut in Differentiis dicetur.

Curatio

Curatio in Differentiis videatur.

Dividitur ratione Cauſarum in *tres* ſpecies, quarum prima *quatuor habet.*

I. Alia eſt *ab Inflammatione*, quæ *Cognoſcitur* ex febre continua, ſi ſimul cætera adſint. *Oritur* à ſanguine, qui è venarum jugularium ramis, in eas partes, præcurrente plerumque difficili colli ſine Cauſa evidente, motu, dolore, ac calore circa fauces inſueto, influit. *Curatur Difficulter*, ſi febris magna eſt, & ſputum ſubaridum, glutinoſum & craſſum. *Dubio eventu*, ſi materiâ in pulmones transmiſsâ, Empyema exoritur: ſi ad caput, deliria excitat; ſi ad pleuram, dolorem pectoris cum tuſſi & difficili reſpiratione cauſatur: ſi ad cor, tremorem & pulſuum obſcuritatem infert. *Nullo*, ſi febris invaleſcat, facies ægri virideſcat, ſinus oculorum denigrentur, extrema frigeant, lingua nigra & craſſa cernatur. Si ſpuma circa os appareat, quia extremam cordis anguſtiam ſignificat. *Curatio* ad normam aliarum Inflammationum inſtituitur, ubi tamen quædam peculiariter obſervanda veniunt. De *Venæ-ſectione* nota, 1. Si dubitatur, utra pars magis affligatur, cum hepar ſit mittens, ex dextro brachio mitti ſanguis debet. 2. Ubi minor eſt ſpirandi difficultas, largius ſanguis mitti poteſt; ubi major, mitius, interjectis vicibus, quatuor vel quinque horarum intervallo. 3. Cucurbitulæ ſi ſtatim parti loco affecto propinquæ impoſitæ fuerint, major ad illam confluxus excitatur. ſupra renes ergo non in brachio nec in collo apponi debent. *Purgatio* ſtatim in principio inſtituenda. *Repellentia* intus in faucibus adhiberi debent, & quidem in forma gargariſmorum, collutionum oris, & linctuum. Laudantur, *lapis prunellæ*, compoſitum ex *moris, muſto, & nucum corticibus*, quod inſuavitatem & adſtringendi vim nimiam habet. medicamenta ex *ſempervivo, plantagine*

gine, portulaca, &c. *Digerentia* die tertio vel quarto repellentibus admiſcenda. Declinante morbo *cancrorum combuſtorum* cinis cum melle illinendus, vel cribratum *canis album*, vel *gallinæ*, vel aliquid de *nido hirundinis*. Inter *maturantia* eſt, *Caſſiæ medulla* in ore retenta, gargariſmi ex lacte tepido cum ſaccharo. *Emplaſtrum* ex altheæ. malv. ana p. j. flor. Meliloti, chamæmeli totid. ſemin. Lini, fœnigr. ana dr. ſ. ficuum pinguium n. x. ſarinæ tritic. p. ij. formatum. Ad *Ruptionem* valet Cataplaſma ex cremore radic. iridis recentium, cum butyro & ol. violaceo. Inter *Specifica* ſunt, *Fungus ſambucinus* coctus & bibitus. *Hirundinum pulvis*, ſi ſale adſperſi unà cum pennis in fictili comburantur, & cinis melle mixtus illinatur. *Raſuræ dentis* apri ſcr. j. ſi cum olei Amygdalar. dulcium unc. ſ. miſceatur, & cum ſaccaro cando albo dulcoretur. Secretum Guntzmanni apud Hartmannum. In Diæta ad *Clyſteres nutrientes* deveniendum. *Dividitur* dupliciter: 1. In *quatuor Species* Cynanchen, &c. de *quibus inferius*, quarto numero. 2. In *illam*, quæ à *puro* eſt *ſanguine*, in qua major eſt colli diſtentio, faciei color eſt rubicundus: & *illam*, quæ à *pituitoſo*, in quo omnia ſunt mitiora.

II. Alia eſt *à vertebrarum colli luxatione*; & tum, Caſus aut ictus anteceſſit, aut humor præter naturam vertebrarum vincula laxavit, vel illa de propria ſede disjecit; nullum ex ſignis, quæ in aliis prodita ſunt, apparet. Cervix ponè excavatur, ægréque & cum dolore circa œſophagum inflectitur. Dolor, extra ſi tangatur, ſentitur. Lingua ex propriis locis excedit. *Curatio* ex ſuo fonte peti debet.

III. Alia eſt *à pituitoſa defluxione*, in fauces & cervicis muſculos decumbente. & tum, Dolor eſt paucus, gravativus. tumor ferè citra ruborem, aut cum exiguo, latior. febris adeſt nulla, aut fortè lenta.

Vox

Vox raucefcit. faliva eft copiofa. aperto femper ore hiant, & aërem attrahunt. difficultas eft deglutiendi circa fuffocationis periculum. *Curatio* ad Catarrhum eft obvertenda.

IV. *Ab inflammatione* quæ oritur, alia eft κυνάγχη, quæ in internis laryngis feu gutturis mufculis delitefcit; & tum, neque in faucibus intra, neque in cervice extra, quicquam ruboris vel tumoris apparet. fauces ita vehementer cum metu ftrangulationis dolent, ut erecta cervice & aperto ore, ægri fpirare cogantur. lingua livefcit, nigrefcit, & ob fummam venarum circa ipfam repletionem intorquetur. febris eft acutiffima, & morbus intra quartum diem, imò octodecim horas jugulat. Profunt *hirudines* venis fub lingua appofitæ: de quibus apud *Zacutum* Lufit. l. 8 c. 2.

Alia παρακυνάγχη, quæ in externis mufculis hæret: & tum, Tumor & rubor intus ore diducto & linguâ depreffâ deprehenditur. fi die non critico evanefcat, tuberculum verò fine dolore, quod nec naturæ, nec artis beneficio fuppuratur, remaneat, mortem; quia relictâ foris crafsâ materiâ, tenuior & ferventior ad guttur converfa eft, & ruboris recidivam; quia materia calidior ex accidente aliquo intrò pulfa eft, minatur.

Alia συνάγχη, quæ in interiore faucium ambitu continetur. & tum, Cervicem quoque ad linguæ radicem comprehendit. tumor atque rubor foris cum dolore & calore eft confpicuus, qui fi ad interiora fine caufa decurrat, fubitò trãnflatâ materiâ evanefcit. fymptomata nihilo funt, quam cæteris leviora: fed tamen fpes falutis, quòd inflammatio foris profiliens, evocari digerique poffit, melior.

Alia παρασυνάγχη, quæ folam cervicem ejufque mufculos, linguam & os hyoïdes contingentes, prehendit. Hæc omnium eft leviffima, propter diftantiam

ipſius à gutture, & partium conſtitutionem, quæ glanduloſæ, molles & laxæ, affluentem humorem ſine difficultate recipere poſſunt. quia laryngis muſculi non inflammantur, reſpirationis via non intercipitur.

V. Alia eſt, quæ ſolvitur *diaphoreſi*, causâ ejus diſtracta, revulſa, evacuata, vel diſcuſſa. Alia, quæ *maturatione*, & puris ex illo aperto evacuatione. Alia, quæ *per materiæ ad aliam partem tranſlationem* finitur, quod ex tumoris & doloris ſubita ceſſatione, pulſusque mutatione cognoſcitur. Transfertur 1. *Ad Cerebrum*, & tum dolor capitis gravis, phrenitis & delirium excipit. 2. *Ad Muſculos colli.* & tum dolor, tumor, interdum convulſio excitatur. 3. *Ad pulmones & pleuram*, & tum dolor pectoris, tuſſis, difficilis reſpiratio oritur. 4. *Ad Cor.* unde tremor, ſyncope. & pulſus obſcuritas afficiunt.

TITULUS II.

De morbis Gutturis.

CAPUT UNICUM.

De Strumis & Bronchocele.

MOrbi gutturis ſunt *Strumæ in gutture*, & *Bronchocele.*

I. *Strumæ ſeu Scrofulæ in gutture ſunt tumores in glandulis, è pituitâ lenta geniti, & propria membrana incluſi.*

Signis multis opus non eſt: tumores ſunt rotundi, penduli, ad tactum mobiles; & à cute ſeparabiles.

Cauſa eſt Pituita, quæ aliquando ſola eſt, aliquando cum melancholia conjungitur, è cibis crudis & craſſis, unde ætati puerili eſt familiaris, oritur, ab aquis etiam mercurium in ſe continentibus, quales ſunt in Carinthia, Styria, & circa Alpes, eò maximè

ximè protruditur. Interdum cum ſucco nutriente, ſi is quantitate peccans totus non abſumitur, à natura, ad glandulas tanquam partes ignobiliores mittitur. Membrana, cui includuntur, à facultate formatrice nunquam otioſa profertur. Dum enim ab affluente humore ſuperfluo membrana diſtenditur, & forſan etiam rumpitur, natura novæ quaſi membranæ texturam aggreditur.

Curatio his nititur. I. Evacuanda materia, quæ cauſa eſt. II. Abſumenda eadem, *ſcrophulariâ*, radice *urticæ mortuæ*, *filipendulæ*, *gladioli*; maximè *radice ruſci*, cujus in pulverem redactæ dr. j. ſingulis diebus cum vino abſumenda. III. Per topica emollienda, incidenda, diſcutienda. Laudantur *folia Cupreſſi*, quorum pulvis vino conſpergatur, & in maſſam unam redigatur, & hoc medicamento ſtrumæ illinantur, nec niſi tertio die ſolvatur. IV. Suppuranda, mutata in pus aperiendus tumor. pus evacuandum. ſinus expurgandus, carne denique implendus.

II. *Bronchocele eſt tumor in gutture, amplo ſpacio extuberans, à flatu exortus, & cum tenſione conjunctus.*

Flatus iſte ſub cutem membranamque generalem, cuti ſubſtratam adnexamque in colli interioribus, irrumpit. *Fit* ab aëre, qui, dum cutis cui membrana illa, quæ eo loci craſſior eſt & rubicundior, quàm alibi, à ſubjectis aſperæ arteriæ muſculorumque colli anteriorum ſedibus, per conatum vehementem, (id fit, dum ſpiritum retento excrementa, vel fœtus in partu, excluditur; aut buccæ vehementer inflantur) avellitur, & ſpacium ibi efficit, ob fugam vacui irrumpit, & cutim ac membranam in tumorem elevat.

TITULUS III.

De Asperæ arteriæ morbis.

ASperæ arteriæ morbi sunt; *Asperitas*, *Angustia*, *Vulnera*, *Vlcera*.

I. *Asperitas*, *quæ lævitatis naturalis* defectus est, *Cognoscitur* ex raucedine vocis. *Oritur*, vel *ab externis*, ut oleo si vetustate vel frixione rancidum est, nucibus, pulvere, fumo, &c. Vel *ab Internis*, aut *humoribus* à capite delapsis; aut *vapore* parietes ipsius feriente. *Curatur* lenientibus & lævigantibus, quæ Arteriaca dicuntur; & hæc, vel omnis mordicationis sunt expertia, ut *butyrum*, *lac*, *mustum dulce*, *decoctum passulatum*, *glycyrrhiza*, *jujubæ*, *tragacantha*: vel simul abstergentia, ut, *saccharum*, *mel caricæ*, *saccharum penidium*, *Syrupus violatus*, *jujubinus*: vel cum acrimonia, ut *Hyssopus*, *radix ireos*, *semen Vrticæ*, *spica*, *thus*, *myrrha*. Maximè prosunt, pillulæ *bechicæ*, Trochisci *bechici*, Oleum *amygdalarum dulcium* cum saccharo cando.

II. *Angustia* arteriæ asperæ, *Cognoscitur* ex respirationis difficultate, & imminente suffocationis metu, modò majore, modò minore. *Oritur*, Aut à *causis comprimentibus*, ut luxatione vertebrarum, inflammationibus, tumoribus, laqueo, &c. Aut à *causis obstruentibus*, ut Rebus externis illapsis, quæ removendæ. Internis, humoribus crassis, glutinosis, qui incidendi, attenuandi, extergendi, Syrupo *capillorum veneris*, *prassii*, *glycyrrhizæ*. Pure, grandine, calculis in pulmone genitis, carne post vulnera & ulcera adnata.

III. *Vulnera* vel *superficiem* tangunt, & tum curari possunt: vel *Cavitatem*, & tum aër ita egreditur, ut admota candela extinguatur. si substantia cartilaginea est vulnerata, per transversum præsertim,

tim. vix coalescunt: si inter duos annulos, interdum sanantur.

I V. De *Vlceribus* hoc monendum. Ab humoribus acrib. salsis, venenis & medicamentis oriri. Cum dolore, sanguinis sputo, in principio puro, post purulento, ita ut & crustulæ ejiciantur, affligere. Si internam cavitatem occupent, difficilia, ob partium situm & naturam curatu esse. Si Cartilagines excedantur, & putrilago accedat, non curari.

TITULUS IV.

De Pulmonis morbis.

CAPUT I.

De Pulmonis intemperie.

PUlmonis morbi sunt, *Intemperies*, *Peripneumonia*, *Angustia*, *Vulnus*, *Phthisis seu Vlcus*.

Pulmonis intemperies est ejusdem à temperie naturali ad præternaturalem, propter causas tam externas quam internas, deflexio.

Signa in Differentiis exprimentur.

Causæ sunt vel *Externæ*, & hæ variæ, potiones nempe frigidæ vel calidæ, medicamenta applicata; aër qui parum alteratus ad pulmonem defertur, in iis qui columellâ destituuntur. Vel *Internæ*, *Humores*, qui eò sive ex Capite, sive ex aliis partibus, ex hepate frequentissimè deducuntur.

Curatio ad causas obvertenda, Ubi ratione humorum nota, 1. Difficulter ob situm partis avelli: evacuari tamen debere. 2. Si copiosior est pituita, commodius expectorantibus & emollientibus, ut est radix Eryngii, Altheæ, Malva, Passulæ, quàm incidentibus tolli. 3. Multa calida hic non convenire, ne tenuioribus partibus absumtis crassiores maneant.

Optimum eſt *ſemen lini.* 4. Si cum materia febris acuta adſit, *Eclegmatibus* abſtinendum eſſe. ſiccitate quippe ſua & lentore expectorationem ſupprimunt. Unde frequentior fit reſpiratio, ac materia fervore contumaciam induit.

Dividitur intemperies pulmonis dupliciter.

I. Alia eſt *ſine materia*, quæ nullum ſuffocationis periculum habet, & faciliùs curatur. Alia *cum materia*, quæ evacuanda, & revellenda: ut ſupra diximus.

II. Alia eſt *Calida*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quòd genæ propter fumos adſcendentes rubeant. ſiccitas linguæ cum ſiti, quæ non niſi frigida aëris inſpiratione ſedatur, infeſtet. & quòd anhelitus ſit frequens & celer. In *Curatione* medicamenta refrigerantia, quæ per aſperam arteriam eò devehi debent, adhibenda ſunt. *Vbi nota*, 1. Valida refrigerantia & repellentia pectori eſſe inimica, ſanguinis & ſpiritus vias intercipiendo, ipſamque thoracis naturam, cum ſit cartilaginea & oſſea, labefactando. 2. Inter præcipua interna numerare *Papaver* album, nigrum, & rheas, *violas*, *Endiviam*, *Hordeum*, *Nimphæam*, & ipſorum ſyrupos. 3. Diætam conformem eſſe debere, & in potu *Aqua hordei cum ſyrupo violato* valet.

III. Alia eſt *Frigida*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod Cauſæ refrigerantes præceſſerunt. reſpiratio ſit parva, tarda, rara, & pulſus ipſi ſimilis. Exſpiratio ſit frigidior. In *Curatione* medicamentis calefacientibus utendum eſt; inter quæ præſtant, *Crocus* qui anima pulmonis, Extr. *calami aromatici. Theriaca* vetus, *Tuſſilago*, *Nicotiana*, *Scabioſa*, *radix Ireos*, & *Aronis* præparata, *Elixir proprietatis*, *Mixtura ſimplex*, *Oximel ſcilliticum*, &c.

IV. Alia eſt *Humida*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod vox ſit rauca, anhelitus frequens, cum ſibilo, Stertore, & multo ſputo. In *Curatione* cavenda multum

tum ſiccantia & adſtringentia. Proſunt *Oleum ſulfuris, flores ſulfuris* in ovo ſorbili, vinum in quo *oculi Cancrorum* macerati fuere, *ſaſſafras, radix Chinæ*, &c.

V. Alia eſt *Sicca*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quòd homines contabeſcant ſine ullo ulcere. reſpiratio ſit parva & frequens. ſitis ſit continua, ſputum paucum. In *Curatione* proſunt *Paſſulæ, lac muliebre & aſininum*, aqua *teſtudinum deſtillata*, aqua *vitulina*, *Conſerva violarum*. Extra, balneum aquæ dulcis.

Caput II.

De Peripneumonia.

Peripneumonia eſt pulmonis à ſanguine in ſubſtantiam ejus effuſo, cum pectoris anguſtia, ſpirandi difficultate, febre acuta, & tuſſi, inflammatio.

Signa ſunt. Pectoris anguſtia cum dolore gravativo & ſpinam attingente. ubi membranæ pleuram attingentes ſuſtentantur, isque dolor remiſſior eſt, niſi membrana ſimul inflammata fuerit; quod ſi eſt, ſimul punctorius evadit. *Difficultas ſpirandi*, & quidem major quàm in pleuritide, utpote cum periculo ſuffocationis. æger erectus ſpiritum ducere cogitur, thorace eo ſitu faciliùs dilatato, quippe qui decumbentibus in ſe concidit, eo quòd pectoris partes in ſpinam declinant, quâ erectâ thorax etiam ſimul fertur, non ampliùs ſeipſum gravans. *Reſpiratio* illa eſt ſublimis, ita ut in ea ſummus moveatur thorax ad operta ſcoptula uſque. eſt etiam principio frequens, & magna, quæ brevi ob virium imbecillitatem & inſtrumenta ſpirandi in parvitatem mutatur, & frequentiâ augetur. *Exſpiratio* eſt calida, & quia cor expulſione fuliginum levatur, levantur & illi quo plura exſpirant. *Acuties* in febri major eſt quàm in pleuritide, ob cordis vicinitatem; hinc, calidi vapores ad caput exhalant, qui ſanguinem ſimul rapien-

tes, malis imprimunt, ubi cutis tenuior eſt, & rubere faciem faciunt. Oculi & temporum venæ tument. *Tuſſis* moleſta eſt ob pulmonum affectum. Conjungitur cum *Sputo*, quod tenuiore primum ſanie, mox cruore, aliàs alio colore tinctum, interdum ſpumoſum redditur.

Cauſa eſt ſanguis, qui ex dextro cordis ſinu in venam arterioſam effunditur, & non modò venas & arterias pulmonis, ſed etiam totum corpus implet. Concitatur à cauſis externis, ut, aëre frigido, aquilonari auſtralem ſequente, exprimente; potu vini generoſioris, motu vehementiori poſt quietem longam & corpore repleto, ira, &c.

Curatio eſt *Alicujus ſpei*, ſi ſputum ex rubro & flavo mixtum aliquod coctionis ſignum exhibet; & ſi abſceſſus aut ad aures aut ad ſedes thoracis inferiores fiunt, & vel in fiſtulam ut evacuari poſſint abeunt, vel ad crura derivantur. *Dubia*, ſi ſputum propter materiæ contumaciam & virium *imbecillitatem* deeſt. ſi ſudores circa cervicem *& caput oborti*, cum urinis multis & craſſis prodeunt; quia illi ex impetu, ſuffocatione, & violentia eſſe putantur. De cætero ſequitur methodum aliarum inflammationum. Si *alteri morbo* ſucceſſit, & jam ſanguis evacuatus eſt, brachiis & thoraci cucurbitulæ ſcarificatæ applicari debent. Expectorantia ſint validiora, & Topica fortiora.

Differentia ſumitur à Subjecto & Cauſis.

I. Alia eſt *totius pulmonis*, qui ſi una cum corde inflammatur, ut procedat in latus, reſolutionem ſeu paralyſin ægro infert. Nam ſanguine in arteriam magnam copioſè influente, ut arteriæ intercoſtales impleantur, & ramuli etiam illi qui per foramina vertebrarum thoracis in ſpinam penetrant, tumeant, nervi ex ſpinali medulla ibi progredientes, comprimuntur & reſolutionem excitant.

Alia

Alia eſt *alterutrius partis*; & tum dolor ac gravedo in alterutra parre ſentitur. ſi ſuperior ala laboret, ad claviculas ſe extendit: ſi inferior, ad diaphragma. Vena in illo latere, in quo inflammatio, ſecanda eſt.

II. Alia eſt à *Sanguine puro*, unde fit phlegmone. *Cognoſcitur* ex eo, quod ſputum cruentum citetur, niſi admodum ſit crudus morbus. præcordiorum totiusque pectoris anguſtia premat. gravitas ſumma ſternum dorſumque contrahat. febris acuta non admodum urat. Sanguis autem ille, *interdum* in angina è faucibus irruit, & tum intra ſeptem dies moriuntur; ſi hos effugerint, purulenti evadunt: & quia in illis qui ſunt medii inter ſenes & ἀκμάζοντας, expultrix facultas languidior eſt quàm in minoribus, difficulter curantur. *Interdum* ex pleuritide eodem derivatur, non quidem per vaſa, quia nullus eſt ipſorum ductus; ſed per membranam, quæ omnes thoracis partes inveſtit: & tum etiam, quia fit translatio ab exterioribus ad interiora, à minùs nobilibus ad nobiliora & cordi viciniora, malum eſt.

Alia à *Bilioſo*, unde angina in peripneumoniam vertitur, & pulmo ſpongioſus tenuiorem materiam facilius admittit, & penitius imbibit. *Cognoſcitur* ex eo, quod tuſſis flavum nec multo cruore permiſtum ſputum trahit. pectoris anguſtia, gravitatisque ſenſus minor eſt. febris flagrantiore incendio torret.

CAPUT III.

De Pulmonis anguſtia.

Pulmonis anguſtia eſt vaſorum ejus propter obſtructionem, compreſſionem, vel exſiccationem interceptio, tuſſim, oppreſſionem & reſpirandi difficultatem inducens.

Signa, *causæ*, & *Curatio* ex Differentiis petantur.

Differentiæ à Causis & partibus affectis sumuntur.

I. Alia est *Arteriarum asperarum*, de qua sequentes Differentiæ consulantur, quæque ab obstructione &c. provenit.

Alia *arteriarum lævium*, quæ *Cognoscitur* ex respiratione, non quidem in principio, sed & incremento difficili; pulsu omninò vario, inæquali, intermittente, interciso, magno, celere, tardo, raro, frequente, vehemente, propter luctum inter naturam fuligines ob angustiam arteriarum expellere non valentem, & causam morbificam; Oppresso jam corde, palpitatione ejusdem & animi defectione. *Oritur*, vel à *Crassis viscidis* & pituitosis humoribus; & tum, pulsus est durus per tensionem, magis variat, sed & magis est æqualis. Non ita difficulter curatur, præsertim si sit recens. *Curatio* infra dicenda exigit. Vel à *Tuberculo*; & tum, pulsus est durus per tensionem & siccitatem. inæqualitas ejus propter causam magis fixam est uniformis. De *Curatione* inferius agetur.

II. Alia (*asperarum arteriarum* intellige) est ab *Obstructione* per sanguinem, humorem, &c. de quibus infra. Alia à *Compressione* ex iisdem ferè causis, quod & in hydrope fit. Aliá ab *Exsiccatione*, metallurgis frequens, quæ lac amygdalatum exposcit.

III. Alia est A *sangine* obstruente vel comprimente arterias asperas, eodem seu ex pulmone seu aliunde excusso, qui revellendus, evacuandus, si in grumum abiit, per *Oxymel scilliticum*, *poscam*, id est, mixturam ex aqua & Aceto unc. vi. pondere, ita ut sit potu jucunda, nullam ob acetum tussim excitet, tepida ter vel quater de die detur; dissolvendus.

Alia ab *Humore*, qui Vel est *copiosus*, & tum, si in solam membranam guttur succingentem destillatione

tione profluit, vocem obſcurat, & raucedinem infert. ſi in gutturis cavum ductumque incidit, tuſſiculam cum quodam acrimoniæ irritantis ſenſu, inducit. Vel eſt *Craſſus & viſcidus*, qui, Raró in pulmonibus, quia tenui & puro ſanguine aluntur, gignitur: ſemper ferè à catarrhis de capite delapſis oritur. Vi caloris ſucceſſu temporis, in vitream aut gypſeam abit pituitam, quæ multis circuitu deſtillationibus redeuntibus, magna ejus copia cumulata, aſthma infert. Idem arida tuſſi vehementiſſimè exercet, qua vix quicquam extunditur: Spiritum difficilem reddit: inter ſpirandum ſtertorem aut ſibilum elidit, quod pulmonum bronchiis ſit pertinaciter impactus. Deſtillationis notas, vel à cerebro, vel à vicinis partibus antecedentes habet. In *Curatione*, dum materia præparatur, *Tuſſilagini*, *praſſio*, & aliis incidentibus, *Borrago*, *Glycyrrhiza*, *paſſulæ* admiſceantur. Purgatio *Agarico* bene perficitur.

Alia eſt à *Pure*, quod ex aliquo apoſtemate effunditur, & tum Expectorantia locum habent.

IV. Alia ex *Cauſis toto genere præter naturam*, ex quibus ſunt, I. *Calculi*, alii præduri ac ſolidi; alii veteris caſei conſiſtentiâ, omnes propria cyſti incluſi, & aſthma producentes. II. *Tubercula*, quæ *Oriuntur* ex materia in una parte collecta, & inde extuberante, nulla deſtillationis nota præcedente; & aſperæ arteriæ adnaſcuntur. *Dividuntur* in *Cruda*, quæ difficulter cognoſci poſſunt. nunquam ſuppurantur, & nullam febrim conjunctam habent: & *Suppurata*, in quibus pus membranula propriaque cyſti tam arctè concluditur, vix ut quicquam de ſe tetrum in corpus exſpirent. Tum; Ægri ſublivido ſunt colore, lingua ipſis lentore quodam maximè cum longè à cibo abſunt, oppleta eſt. Corporis agitatione, aut potu cibove calidiore urina tingitur. poſt concitatiorem motum, pillulæ parvæ & globuli in-

ſtar piſi exigui, membranulâ incluſi, è pulmone redduntur. Tuſſis etiam tum moleſta & ſpirandi difficultas excitatur. Dolor ægrotos continuò affligit, inprimis ubi vehementius & concitato motu moventur. Ex his æger *non convaleſcit*, niſi 1. Ut ſuppuratio citò fiat. 2. facta ſuppuratio citò erumpat. 3. ad ſuperiora vergat, & per tuſſim ejiciatur. 4. Totum pus evacuetur. 5. Ut venter, id eſt, Cavitas illa, in qua pus continebatur, perfectè agglutinetur.

CAPUT IV.

De Pulmonis vulneribus.

P*Vlmonis vulnera* benè *Cognoſcuntur*, ex reſpirationis ob læſionem organorum difficultate. ſpumantis ex ore ſanguinis cum tuſſi rejectione. rubentis ſpumantisque ex pectore ſanguinis ſine dolore exſpuitione, Cervicis venarum turgentia. *faciei* modò rubente, modò pallido colore.

Fiunt autem bifariam. Nam *interdum* accidit, *ut Caro pulmonum lædatur*; & tum, quia ſanguis in cavum thoracis deſtillat, nec cruenta exſpuitio, nec tuſſis ulla urget. reſpiratio eſt difficilis. caloris & frigoris propter halitus è corde viciſſitudo apparet. *Interdum venæ pulmonis afficiuntur*, & tum ſanguis rubicundus, niger, ſpumoſus affluit. tuſſis eſt perpetua, niſi virium imbecillitas, aut pulmonum oppreſſio à ſanguine adſit.

Curantur, 1. Si ſanguinis profuſio ſiſtatur, & inflammatio pulmo obnoxius, per venæ ſectionem cohibeatur. II. Si ſanguis, in qui in cavitatem effuſus eſt, ſubſiſtat. III. Si, ubi idem propter vulneris anguſtiam effluere non poteſt, vulnus ſcalpello amplietur. Inter ſanguinem ſiſtentia medicamenta ſunt, *Fragaria*, *Veronica*, *Scabioſa*, *Alchymilla*, *Sanicula*,

cula, *Consolida*, &c. Extra, mordicationis sunt expertia, *Bolus Armenus*, *Thus*, *&c.*

CAPUT V.

De Pulmonis Vlcere, seu Phthisi.

P*Hthisis est pulmonum à materia acri erodente, cum febre lenta, tussi, sputoque cruento & purulento, exulceratio, quâ sensim totum corpus consumitur & extenuatur.*

Subjectum hujus exulcerationis est *Pulmo* cum partibus suis; substantia nempe carnosa, bronchiis, vasis & membranis. In iis præsertim, *quibus* caput facilè impletur, & ad Spiritus organa multas destillationes mittit: *quibus* à prima nativitate vitiosa, id est, tenera, mollis, ac corruptioni parata pulmonum est substantia. Unde tabida stirpe nati, quasi hæreditario jure, tandem omnes necessariò tabe marcescunt: *quibus* naturalis est pectoris angustia & depressio, collum angustum, corpus macilentum, prominentes à tergo in morem alarum scoptulæ.

Signa sunt, 1. *Febris lenta*, à vaporibus ex ulcere elatis, & in cor irruentibus exorta, cum qua conjunguntur aliæ aliàs Erraticæ, aliàs tertianæ modo invadentes, dum humores intra venas ab illo calore accensi putrescunt: ipsa verò sine intermissione hectica, facta, mox à cibo & noctu aliarum more invalescit. 2. *Tussis frequens*, vulpina, absque dolore magno, quæ noctu potissimum affligit, & propter irritationem pulmonum à materia acri exsistit. 3. *Sputum cruentum & purulentum.* Illud non in omnibus est. Nonnulli post exscreationem liquidi & flavi humoris, levi febricula correpti tabescere cœperunt, ac multo post tempore, cruoris exiguum quiddam cum pure ejecerunt: non pauci sensim sublati sunt, in quibus toto temporis decursu, nihil omninò

mninò cruoris comparuit. Quin juniores magis quàm ſeniores afficit; quia illi ſanguinis copia, caliditate, acrimoniâ, vaſorum laxitate, & duritie laborant, violentiore motu ſe exercent, & diætam negligunt. Hoc id ſingulare habet, quod, ſi ex ſubſtantia exeat, ſpumoſum ſit. igni appoſitum fœteat. in aqua primum ſpargatur, dein collectim ſubſideat. 4. *Corporis extenuatio*, quæ à febre lenta eſt, quæ calore igneo in totum corpus diſperſo, ſanguinem arterioſum, cujus cum venoſo neceſſaria eſt ad nutritionem miſtura, diſſolvendo, concoctionem alimenti in toto corpore impedit, & calore præternaturali quod concoctum & appoſitum eſt, abſumit.

Cauſa eſt materia acris erodens, eodem illapſa: de qua in Differentiis agetur.

Curatio non eſt deſperanda, etiam jam exorto ulcere. Nam Galenus tales ad Tabias mittit, & lac eis præſcribit. *Difficilis* eſt tamen, *tum* quod ſanies & pus in molli & ſpongioſa illa carne hærens, citra tuſſim expurgari nequeat, quâ pulmones magis indies læduntur: *tum* quod in aſſiduo reſpirationis motu, cui tuſſis inſuper violenta accedit, conſolidatio nulla fieri poteſt: *tum* quod medicamenta integris viribus tanto intervallo non perveniant; *tum* denique, quòd febres humectantia requirant, quæ ulceri nocent. *Reſpicit* ſex. I. *Catarrhi ſublationem*, de qua in Differentia. II. *Vlceris curationem*, ubi laudantur flores *ſulfuris* cum ovo ſorbili, Syrupus de *Eryſimo* Lobelii, de ſucco *hederæ terreſtris* cum floribus ſulfuris; de *althææ* Fernelii, de ſucco *piloſellæ*, millefolii. C. C *præpar.* decoctum *Pimpinellæ*, *Symphyti*, *ſaccharum roſatum* vetus, cum ſero lactis caprini. *Secretum Freytagii*, quod apud eundem de Opio vide. Radix Chinæ, Guajacum, &c. Singulis horis *Looch de Symphyto* cum Conſerva roſarum rubrarum lambatur. III. *Sanguinis correctionem*, ut

bonus

bonus affluat. In Diæta itaque prodeſt *Lac*, quod ſeroſitate ſua ulcus abſtergit, caſeoſitate conſolidat, & tabidum corpus aërea butyroſaquè pinguedine humectat. Lac certè caprinum in prandio ſumi deberet, ſi febris magna abeſt, aut capitis dolor, unde non aceſcat, nec nidoreſcat in ventriculo: in Cœna, *Emulſio* ex ſemine papav. albi. frigid. majorib. ana. dr. j. lactis Amygdal. dulcium lib. j. item lac cum Oryza coctum. ſi lac non convenit, *hordeum deglumatum* cum juſculo galli in cremorem redactum. Deſtillata non probantur, quia vis nutritiva alembicum non tranſcendit. IV. *Febris ſublationem* per refrigerantia & humectantia. IV. *Extenuationis* per reſtaurantia *depulſionem*; ubi locum habent, *Pultes* ex lacte, vitellis ovorum butyro inſulſo, ſaccharo, farina hordei & oryzæ. *Balneum* lactis tepidi, poſt quod pullus aſſus lacte ſaginatus ſuccedat. *Limacum* ſtillatitius liquor, Aqua *mirabilis*, quæ l. 8. apud Zacuthum videantur. VI. *Nocturnæ totius per ſudores colliquationis averſionem*, Tum exhibenda veſperi, Conſerva *roſarum* rubrarum cum Syrupo papaveris, jujubino, *Diacodio*. Pectus & Spina inungenda, linimento reſumtivo cum oleo *roſarum* & violarum, &c.

Dividitur phthiſis ratione cauſarum & durationis bifariam.

I. Alia eſt *à Sanguine*, qui in pulmones effuſus grumeſcit & putreſcit. Et in hac in principio, paribus cæteris, phlebotomia locum habet.

Alia ab *Humore acri* ſive ſeroſo ſive bilioſo, qui vel à *capite* demittitur, nec ejicitur per tuſſim; & tum curatio ad Catarrhum obvertenda eſt. vel à *corde* in pulmones effunditur. Vel ex ſuppreſſis *menſibus* aut *hæmorrhoidibus* regurgitat; & tum Curatio ex ſuis locis peti debet.

Alia, ſed rara, à *pituita dulci*, ſi majore copia

ad

ad pulmonem confluat, bronchia obſtruat, ſubſtantiam humidiorem reddat,& ob diutinam ibidem moram, ac ventilationis carentiam, putreſcat.

Alia à *Pure*, ex rupto anginæ, uvulæ, pleuritidis, Empyematis, &c. abſceſſu.Hinc *Hippocrates*: Qui ex pleuritide Empyi fiunt, ſi in quadraginta diebus non liberantur, phthiſici fiunt.

Alia à *Contagio* ex phthiſicorum anhelitu; quo pertinet lepus marinus ſpecifica venenoſitate pulmones erodens, & felium ac canum in ſecando præſertim emiſſus ſpiritus.

II. Alia eſt *Recens* & incipiens, in qua non ſunt tam valida Symptomata.

Alia *Confirmata* & diuturna, in qua *genæ* cum pallore faciei liveſcunt, etſi interdum ob vapores è pulmone aſcendentes rubeant. *reſpiratio* ob facultatis imbecillitatem, bronchiorum obſtructionem, ſeu à puris copia eo demiſſa, ſeu ob multa excrementa, quæ in pulmone debilitato colliguntur, *difficilis evadit*. *pulſus* modò ſunt languidi, modò *celeres*, *nunc ob* ſiccitatem corporis duri, nunc ob materiam humidam arterias humectantem molles. *ſudores* ob facultatis naturalis debilitatem, per ſomnum, copioſiſſimi erumpunt. tandem malo jam vincente, portiones putridi pulmonis intolerabili cum fœtore ejiciuntur. *Capilli* ob alimenti corruptionem & penuriam, defluunt. *Vngues* abſumta carne, quæ in ſummis digitis exſiſtebat, incurvantur. *pediculi* ob alimenti corruptionem generantur. *extrema*, maximè pedes, propter extinctionem caloris nativi tumeſcunt. *diarrhœa* tandem, ex retentricis ventriculi & inteſtinorum imbecillitate cum ſputi ſuppreſſione ſupervenit. Vide *Freytagium* de *Phthiſi*.

TITU-

TITULUS V.

De morbis Thoracis.

CAPUT I.

De Mediastini inflammatione, & Diaphragmatis tumoribus.

THoracis morbi sunt, *Mediastini inflammatio, Diaphragmatis tumor, Pleuritis, Empyema, Tabes dorsi, & vermes dorsi.*

I. *Mediastini* seu septi, quod pulmonis lobos disjungit, inflammatio *Cognoscitur*, ex febri continua, respiratione frequente & celere, & maximo thoracis incendio, dolore ad sternum, cui mediastinum alligatur, exiguo, rejectione rubra primò, pòst flava; sed, quia inter duplicem quasi membranam materia colligitur, & non facilè nisi eâ erosâ evacuatur, non copiosa. *Oritur* à sanguine, eoque præcipuè bilioso. *Curatur* ad modum aliarum inflammationum. Ubi nota, Medicamenta reprimentia, frigida quidem, sed non adstringentia esse debere. *Oleum violaceum* maximè laudari, quod tepidum, nisi tempus æstivum sit, pectori inungi debet.

II. *Diaphragmatis tumores* sunt duplices.

Alii sunt *Frigidi*, qui *Cognoscuntur* ex spirandi difficultate, hypochondriorum, nullo apparente in iis ad tactum tumore, tensione, delirii absentia. *Oriuntur* à materia cruda & tenui, in Diaphragmatis densitatem, ex ejusdem vel compressione vel percussione, penetrans. *Curantur difficulter*, si sint diuturni, quia ægrum ad tabem deducunt. *Facilius*, si sint recentes. *Nullo modo*, si delirium accidat. *Primò* materiam præparatam evacuantibus, inter quæ Hydragoga maximè laudantur. *Post* emol-

lientibus & digerentibus, *Saſſaparilla* inprimis, niſi humor indurari cœperit.

Alii ſunt Calidi, qui *Cognoſcuntur* in *principio* ex febre continua & acuta, dolore, reſpiratione parva & frequente, præcordiorum tenſione, ad locum diaphragmatis palpitatione, vel ſaltu: in *progreſſu*, ex delirio, reſpiratione inæquali, parva, magna, frequente, rarâ. *Oriuntur*, à ſanguine calido & bilioſo. *Curatio* eſt *Difficilis*, propter ingens periculum. Imitatur etiam inflammationem pulmonis.

CAPUT II.

De Pleuritide.

Pleuritis eſt pleuræ & adjacentium muſculorum, ab influxu humoris fervidi exorta, cum dolore *lateris punctorio, tuſſi, reſpiratione difficili, febri continua acuta, pulſu duro inæquali & frequente, inflammatio.*

Signa pathognomonica ſunt *dolor pungitivus*, *quia* membrana exquiſitiſſimi ſenſus à materia acri diſtenditur. *Pulſus durus* inæqualis & ſerratus, quia pars nervoſa inflammata eſt. *Tuſſis*, ob irritationem & tranſſudationem, quæ initio ſicca, in progreſſu cum ſputo cruento & purulento conjungitur. *Reſpiratio* frequens & parva, quia ob dolorem, muſculi ſatis dilatari nequeunt. *Febris acuta*, ob inflammationem cordi vicinam. Et hæc omnia non ſparſim adeſſe, ſed conſpirare debent.

Cauſa eſt materia fervida, ſeu ſanguis vel purus vel impurus, qui potiſſimum ex vena cava cordi aſſidente, per ramum qui ἄζυγος dicitur, in tenues ejuſdem propagines influit. quibus apertis, ruptis, vel poris dilatatis, impetu pleuram incurrit: quandoque per intercoſtalem ſuperiorem, rarius per thoracicam & mammariam irrumpit. Suppeditat eam plethora,

plethora, cacochymia, & viſcerum ſanguificantium æſtuoſitas. Movetur à variis cauſis externis, ſubita præſertim refrigeratione, flatu boreæ poſt auſtrum, exercitatione nimia, &c.

Curatio eſt *Bonæ ſpei*, ſi ſputum maturè coctionem recipiat, & facilè ac promtè excernatur; & ſi quarto die exſpuat æger album, leve, æquale, idque ter vel quater tuſſiendo, in ſeptimo terminabitur; ſi ſeptimo, ultra undecimum vel decimum quartum non extendetur. ſi ſanguinis è naribus, hæmorrhoidibus, utero, fluxus, in die Critico, cum ſignis coctionis accidat. ſi, quod rariſſimum eſt, μετάστασις materiæ ad articulos & minus nobilia membra fiat. *Dubiæ*, ſi ichores tenues ſaltem exſpuantur. ſi flava bilis ſputo admodum permixta, multò poſt initia appareat, quia naturam nihil adverſus morbum tentare ſignificatur. ſi Sputum ſit flavum, ſincerum, & aquoſitati multæ promixtum. ſi idem glutinoſum, quia ex calore adurente lentor contrahitur. ſi æruginoſum & ſpumoſum. ſi nigrum, quia humoris pravitatem, & caloris nativi extinctionem ſignificat, ſi exſcreatio tuſſim ac ſpirandi difficultatem non ſedat, quia vel malignitas materiæ, vel expultricis debilitas ſignificatur. ſi in Empyema poſt quatuordecem dies abeat. ſi in peripneumoniam faceſſat. ſi ſenibus accidat, quia ob caloris inopiam materia non concoquitur. ſi in corpora denſa & exercitationi dedita, cæteris paribus, incidat. *Nullius ſpei*, ſi in ea nihil exſpuatur. ſi pulſus ſit durus, parvus, & ob calorem frequentiſſimus. ſi ſanguinis aliquis fluxus in initio abſque alleviatione contingat, quia æger plerumque in quarto moritur. ſi pleuritis ſit tanta, ut epar & ventriculus in conſenſum trahantur, & diarrhæa ſuperveniat. ſi pleuritis poſt alium diuturnum morbum, corpus cachecticum adoriatur. ſi plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonet, vultus demiſſus ſit,

& oculi aurugine & caligine obducantur. *Respicit* I. *Humores affluentes & affluxuros*, qui revellendi. II. *Fluentes*, qui non intercipiendi, nec repellendi, sed derivandi. III. *Impactos*, qui discutiendi, vel quoquo modo tollendi. IV. *Dolorem*, qui mitigandus. V. *Febrem*, quæ compescenda. VI. *Vires*, quæ roborandæ. De his omnibus ista notentur. 1. *Venæsectionem* quam primum esse administrandam, in opposito latere, ad revulsionem, si corpus est plethoricum; in non plethorico, è directo affecti lateris, & si ad claviculam vergat. 2. Si *menses* vel *hæmorrhoides* repentè supprimuntur, è vena tali vel poplitis primò evacuandum: si suppressio est antiqua, è vena brachii. 3. In *Derivatione*, tam diu mittendus sanguis, donec color in eo mutetur. 4. *Dolori* fomenta adhiberi possunt in non plethorico, etiam ante venæsectionem; in plethorico non item. Præstat hic unguentum ex *Dialthea* unc. j. *Ol. Amygdal. dulcium* unc. ſ. compositum, quo partes dolentes illiniri debent, desuper tenuis *flor. chamæm. pulvis* inspergi, tandemque folium brassicæ calidum, butyro aut pinguedine porcina inunctum supponi, idque per totum tempus curationis, addito Ol. stillati anethi & camphoræ pauxillo, fieri. 5. Commodè statim in principio, & sudor excitatur, exhibitis vel *Papav. rhæados* aqua unc. iii. cum dr. j. pulv. *de Corallo*, *avellanis rubris*, *mandibula lucii piscis*: vel *misturæ simpl.* dr. I. cum aqua *Cardui Mariæ*; vel *Spiritus nitri cum Spiritu vini ana scr. i. Spir. Tartari scr. ſ.* in aqua papav. rhæados, vel simplice, &c. 6. *Decocta* pectoralia, cum appropriatis continuè post præmissa universalia sunt administranda, ut sputum facilitetur. 7. *Specificâ* proprietate agunt, flos *papav. errat. lappæ siccæ*, *Cynosbati candidi*, semen *Cardui Mariæ*, *priapus taurinus* vel *cervinus*, ramenta *dentis aprini*, &c. vide Petræum, quæ pulverizata,

verizata, pani in aqua ſcabioſæ intincto benè imponuntur. 8. *Abſceſſum* feliciter rumpunt, Cataplaſma ex *herba Kaly*, radicibus *lilii albi recentis*, &c. lateri dolenti applicatum. 9. Poſt illa *Lac chalybeatum*, niſi febris impediat, optimum eſt.

Quantum ad Differentias.

I. Alia eſt *Legitima* & exquiſita, cui ſuperiora debentur, quæque I. *Oritur* vel à *ſanguine* puro, in qua eſt ſputum ſanguineum, tenſio venarum circa tempora & frontem, cum ſenſu gravitatis circa oculorum cavitates & capitis anteriora. Vel à *ſanguine bilioſo*, in qua ſputum eſt flavum; quod ſi abſque ratione evanuerit, ægri in delirium conjiciuntur. Venæ ſalvatellæ ſectione feliciter curatur. Vel à *pituitoſo*, in qua ſputum ſpumoſum, tardius dulce. ſyrupus *Zacuti* libro 8 C. 3. *Hiſtor.* in ea valet. Vel à *melancholico*, quæ per modum affluxus rara; II. Afficit, vel *interiorem tunicam*, & tum æger facilius in latus patiens decumbit, quòd tumor nec ſuſpendatur, nec diſtendat. Vel *exteriorem* circa oſſa, & tum res contrario modo ſe habet. Vel *utramque*, & tum ſupinus decubitus dolore liberior eſt. III. Afficit vel *partem dexteram*, vel *partem ſiniſtram*: vel *ſuperiorem* ad jugulum, vel *inferiorem* ad hypochondria pertingentem.

II. Alia eſt *Notha*, ſeu ſpuria, quæ pro ratione materiæ & ſitus diſtinguitur. Alia eſt *à Flatibus*, in qua dolor eſt vagus, fomentis miteſcit & ſæpe diſcutitur. cauſæ flatus generantes præceſſere. mirificè pulvis cymini in folia braſſicæ butyro illita aſperſus, & foris loco dolenti applicatus, valet. Alia à *Deſtillatione*, quæ ſenſum delapſus præcedentem habet, contactu exacerbatur, fomentis non cedit. Curatio catarrhum tenuem reſpicit. Alia *Externa*, cum ſanguis per ramos ab axillari in externos

thoracis musculos effunditur; & tum dolor pressu excandescit, molestus est in latus ægrum decubitus, nihil excernitur, facilis est in veram transitus.

CAPUT III.

De Empyemate.

E*Mpyema est cavitatis thoracis à materiâ purulenta copiosâ constipatio, & difficultate & respirationis cum tussi sputoque purulento inducens.*

Subjectum est thoracis capacitas, sive spacium inter thoracem & pulmones, licet pulmo & ejus vasa prorsus excludi non possint. Quoniam verò pulmo in duas per mediastinum partes dividitur, vel in utraque vel in alterutra parte pus colligitur.

Signa sunt respiratio difficilis cum sputo tussique purulenta perpetua. doloris gravantis in *imo thorace* ad diaphragma potissimùm sensus. *genarum*, tertia præcipuè vel quarta post *cibum horâ*, rubor, &c.

Causa est ipsa purulenta sordities thoracem implens, cujus copia fœtor & acrimonia graves noxas infligit.

Curatio est *Alicujus spei*, si ad sectionem vel ustionem pus album effluat. si dextri potiùs sit lateris quàm sinistri, & æger sit robustus. *Nullius*, si totus thorax in respiratione attollatur. si tota cavitas occupetur. si sinistrum latus. si ad sectionem vel ustionem subcruenta & fœtida exeant. si ad eandem pus aut aqua universim effluxit. si iis specillum à pure velut ab igne coloratur. *Respicit* I. *Suppurationis concoctionem.* II. *Abscessus ruptionem*, quæ salsorum esu, crebris sputationibus &c. perficitur. III. *Puris evacuationem*, ubi quo natura vergat, nempe an sursum versus, an ad intestina vel vesicam videndum.

Sputum

Sputum procuratur egregiè Ol.*ſulfur*. & *Spiritu terebinth*. decoctis pectoralibus permiſtis. Laudatur ſuccus *hederæ terreſtris*, *praſſii*, *cum thure*, *myrrha*, *diapenid*. in Looch compoſitus. De *Ebeni decocto & Teſtudinum Syrup*. vide *Zacutum* l. 8. c. 11. His nil proficientibus, ad *ſectionem* & *uſtionem* perveniendum: de quibus vide Authores.

Quantum ad *Differentias*. Aliud eſt à *ruptura* præcedentis alicujus *apoſtematis*, ut anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ, quando per ſuppurationem terminantur.

Aliud quando ex *vena aperta*, *rupta*, *vel eroſa* portio ſanguinis in particulam pulmonum ſecedens in pus abit, & per ſumma cyſtim ſibi efformat: de qua ſuperius actum eſt.

Aliud à *deſtillatione à capite ad* pectus delapſa, & intra dies quatuordecim per ſputum non repurgata.

CAPUT IV.

De Tabe & Vermibus dorſi.

TAbes Dorſi eſt, quando illud contabeſcit. Species ejus ſunt quatuor. I. *A nimia Venere*, & tum videntur ægris ex ſuperioribus partibus à capite velut formicæ in ſpinam demitti, ſemen ipſis interdiu & noctu effluit. in principio nulla adeſt febris. ſed temporis ſucceſſu accedit. II. Cum calor *Spinalis medullæ* inſitus à *copioſiore ſanguine* obruitur, & ferè extinguitur. III. Cum occluſis *meatibus*, per quos nutrimentum ad eam defertur, *exſiccatur*. IV. Cum *prava deſtillatio* in eam decumbit. Vide *Salium Diverſum*, & alios.

II. *Vermes* Dorſi, ſeu Crinones, infantes infeſtant. *Cognoſcuntur* ex eo, quod infantes quidem comedant, ſed non nutriantur: imò contabeſcant, quod

propter pruritum molestissimum & lancinationem inquieti sint; & quod in balneum illatis & fortiter fricatis, capilli quidam cineritii aut nigricantes è cute prorepant. *Oriuntur* à materia viscosa, in venis capillaribus sub cute conclusa. *Tolluntur*, si infantes linimento ex farina triticea & melle confecto illinantur, & Capitella, quæ vermiculi mox exserunt, novacula abscindantur, &c.

TITULUS VI.

De symptomatibus Pulmonum & Thoracis.

CAPUT I.

De vitiis Respirationis.

Symptomata pulmonum & thoracis sunt, *Respirationis vitia*, *Asthma*, *Tussis* & *Hæmoptysis*.

Ad *vitia Respirationis pertinent*,

I. Μακρόπνοια, seu respiratio *magna*, thoracem admodum distendens, & copiosum aërem adducens, quod *vi febrium*, in quibus cordis calor accenditur, ideóque refrigerii plurimi & fuliginum eductionis magna est indigentia, accidit.

II. Ταχύπνοια, seu respiratio major & *frequentior*, quàm pro naturæ modo, usu ejus à calore & fuliginibus adaucto. *Oritur* vel ab intemperie cordis, pulmonum, pectoris; vel abundantia halituum calidorum; præsertim ubi facultas imbecillior, quàm ut justæ thoracis diductioni sufficiat.

III. Δύσπνοια, seu *Difficultas respirationis*, vitio ipsorum organorum exorta, quæ *Cognoscitur* facilè, & ultrò sese in sensus ingerit. *Oritur* 1. Vel ab *Externis*, fumo nempe argenti vivi, Carbonum, Calcanthi, calcis, inunctione Mercurii, & aliis. Vel ab *Internis*, angustiam vasorum, seu Obstructione, seu

Com-

Compressione (de quibus superiùs actum est) inferentibus. *Subsidere* etiam ob arefactionem, quamvis rarò ista accidere solet, quando pulmonum substantia ulcere ita consumta aut exsiccata est, ut dilatari ampliùs nequeat, quod phthisicis ante mortem accidit, consuevit. II. Alia est *Per Essentiam*, cui hactenus dicta competunt. Alia per *Consensum* 1. *Thoracis*, cujus motus seu spirituum seu musculorum vitio impeditur. 2. *Diaphragmatis*, cujus motus impeditur, vel quod nervi ipsi inserti lædantur: vel quòd vapores ab inferioribus exhalantes, circa idem subsistant: vel quod humor aquosus id comprimat, &c. 3. *Epatis*, *Lienis*, & *Ventriculi*, quæ interdum distenduntur & tument. III. Alia est *Levior*, in qua densior crebriorque citra sonum & anhelationem spiritus, & de quo jam dicta sumi debent. Alia *Gravior*, seu *Asthma*: de quo inferiùs.

IV. Ἄπνοια, seu sensilis respirationis ablatio, summo cum suffocationis periculo conjuncta. *Oritur* partim ab iisdem causis in summo peccantibus; partim contrariis, necessitate nempe diminuta, vel usu sublato. Contigit aliquando post esum *fungorum*, aliquando in gravissima uteri suffocatione & syncope. *Curatio* ad causas & morbos (de quibus alibi) obvertenda.

CAPUT II.

De Asthmate.

Asthma est frequens densa & anhelosa respiratio, à pertinaci bronchiarum pulmonis seu obstructione, seu compressione, proveniens.

Signa Incipientis sunt, gravitas pectoris, in cursu & acclivi itinere difficilis respiratio, raucedo, tussis, flatus in præcordiis, &c. *Præsentis*, in definitione sunt exposita. Adest aliquando febris, sed & sonitus

& ſtertor, quia quandoque materia in bronchiis aſperæ arteriæ hæret, quæ, dum ſpiritu exploditur, ſonitus excitatur : quandoque extra eas in lævibus arteriis. Inſpiratio exſpiratione eſt difficilior. Cum enim in inſpiratione nec pulmones ob materiæ copiam, nec thorax ob motus imbecillitatem facilè moveri poſſit; natura interpoſitâ, quaſi quiete vires dejectas refocillare conatur ; in exſpiratione Operis inſtrumenta ſuapte ſponte concidunt.

Cauſa eſt aſperarum arteriarum, ſed & lævium, obſtructio & compreſſio : de qua ſuperius dictum; & à quibus cauſis fiat, inferiùs dicetur.

Curatio Cauſas reſpicit, & eſt *Difficilis*, ſi ægri ſint ſenes. *Parvæ ſpei,* ſi gibbi ex eo ægri fiant, quia in his pulmonibus creſcentibus & Spina non creſcente, in anguſtia pectoris, calor ſuffocatur. ſi ſit cum febri acuta, quia cauſa aſthmatis à calore febrili exſiccata ineptior ad ejiciendum redditur. *ſi* Tuſſi ceſſante, difficultas reſpirationis manet. *ſi vires ſunt* imbecillæ, quia citò in ſyncopen incidunt.

Differentiæ partim à Cauſis obſtruentibus & comprimentibus, partim ab acceſſionibus, & aliis ſumuntur.

I. Aliud eſt ab *Humore viſcido* bronchias infarcientе, quod exinde *Cognoſcitur*, quod difficilis ſit cum ſonitu & tuſſi reſpiratio. *Curatur* 1. venæ baſilicæ ſectione, ſi nihil obſtet. 2. Materiæ per incidentia benigniora, cum humiditate conjuncta. ſæpius mutata, ne natura aſſueſcat, inciſione. Laudatur Oleum *Angelicæ*, ſyrupus *Nicotianæ*, *Augeniorum* patris & filii, *Theodati* in Pantheo Hygiaſtico, Decoctum *Ioëlis ex Zedoaria, gummi Ammoniaco, floribus ſulphuris & Croco*, Oleum *ſaccarinum Grulingii & Petræi* in Noſologia. ſecretum *Freytagii* in Aurora Medicor. *Oxymel ſcilliticum* cum Syrupo violar. &c. 3. Evacuatione, per *pulverem aſthmaticum Rulandi.*

4. Exſic-

4. Exſiccatione per Guajacum, Saſſafras,&c. Dividitur humor in eum qui in *pulmone colligitur*; & tum ſenſim difficulter reſpirare æger incipit: difficultas eſt continua. Et eum qui *aliunde allabitur*, & tum Continua totaliter non eſt. Exacerbationes ſunt manifeſtæ. Purgantia propter periculum vitanda.

II. Aliud eſt *ab Humore ſeroſo*, in ramis venæ cavæ majoribus fervente, & ἀθρόως per dextrum ventriculum cordis in pulmones irruente, ac arterias comprimente. Et hoc eſt frequentiſſimum. Devenit inprimis *ab Epate*. Hinc pedes aſthmaticis intumeſcunt ob ejuſdem imbecillitatem. humores ad pulmones primò ruentes, lapſu ad renes ſuo, urinæ difficultatem excitant. Eructationes & flatus in præcordiis inter ejuſdem ſigna cenſentur.

III. Aliud eſt à *Crudo tuberculo*, *grandine & calculis*: de quibus ſuperius in anguſtia pulmonum actum eſt.

IV. Aliud eſt *Levius*, cum ſtertore,ſtrepitu, & tuſſi violenta, diaphragmate & intercoſtalibus, imò & abdominis muſculis opitulantibus. Aliud *Gravius*, *Orthopnœa* dictum, in quo reſpiratio eſt parva, denſa & velox admodum, quæ nonniſi pectore & cervice rectis peragitur, muſculis etiam ſuperioribus pectoris & ſcapularum, operam conferentibus.

V. Aliud eſt *Non periodicum*, quod paroxyſmos ſuos non obſervat. Aliud *Periodicum*, quando humor vel propria natura ad majus ſe ſpacium extendit, vel à Cauſis externis exagitatur, ſi ibi collectus eſt: vel ſtato tempore aliunde affluit. Exacerbationes iſtæ fiunt hyeme vel autumno præſertim, quia materia eſt pituitoſa. *Noctu*, quia tum temporis movetur, ſecundùm lunæ motum, & quarto ferè die. Succurri ei poteſt, cæteris non neglectis, vel ſcrupulo *Croci in vino malvatico* calidè exhibito: vel *Brunneri* potiuncula ex *Ammoniaci dr. j. A-*

qua

quæ hyssopi unc. iv. Vini Rhenani unc. ij. composita.

CAPUT III.

De Tussi.

T*Ussis est vehemens, crebra & sonora spiritus copiosi prius à pulmonibus attracti efflatio, à veloci pulmonis & thoracis contractione edita, ut id, quod spirandi organis molestum est, excutiatur.*

Signis in tam evidenti Symptomate opus non est.

Causa est, quicquid pulmones & asperam arteriam, membranamque quâ intus vestitur, afficere potest, sive sit aliquid externum, sive humor sive vapor, &c.

Curatio vel respicit *Causam*, à qua exoritur; vel *tussim* ipsam, si vehemens est, quæ aut lenitur paregoricis seu *Anodynis*, aut tollitur *sensum obtundentibus*, ut syrupo de papavere, Diacodio, Theriaca recente, &c.

Differentiæ tussis sunt variæ.

I. Alia est à *Causis externis*, ut aëre frigido, pulvere ex lino, vaporibus calcis, rancidis, pinguibus, scalpturâ vehemente aurium, unde affectus dolorificus partium nervosarum oritur. quæ minus vehemens est, nisi à re aliqua in trachæam incidente oriatur; sed & minùs periculosa. Curatur causa ablatâ. A *frigiditate*, sola Spiritus cohibitione.

Alia est à *Causis internis*, nempe, 1. *Humore*, qui 1. vel est *viscosus*; & tum nihil, aut admodum parum exspuitur. Intemperiem frigidam conjunctam habet. validior est. Curatur præmissis universalibus, incidentibus & expectorantibus. Inter purgantia dilutum *agarici* cum pauxillo *Oxymellis scillitici* præstat. Inter incidentia & expectorantia, *Aqua vitæ bechica Ioëlis*, *Liquor sacchari*

Hart-

Hartmanni. *Elixir proprietatis* à gutt. vj. ad xij. 2. Vel *Tenuis*; & tum nihil exſpuitur, quia inter ejiciendum à Spiritu ita diſploditur, ut in pulmones relabatur. Intemperiem calidam & catarrhum plerumque conjunctum habet. Materia intus putreſcens, aut febrem putridam, aut hecticam, aut ulcus excitat. Curatur præmiſſis univerſalibus incraſſantibus & lenientibus; qualia ſunt, ſyrupus jujubinus, papaver rhæad. diatragacanthum frigidum,&c. 3. Vel *in pulmonibus* continetur, & tum, Intemperiei habenda eſt ratio: vel ab *aliis partibus* appellit, ut *Cerebro* in catarrho, ubi ſigna Catarrhi adſunt. tuſſis eſt vehementior & perſeverans. in ſenibus, quia non maturatur, periculoſa. ſi frequens ac diuturna, ad ſanguinis ſputum deducit. *Inferioribus partibus*, ut in hydrope, lienis, epatis, & ventriculi inflammatione,&c. II. *Vapore*, qui vel pulmones obſtruit, vel membranam ferit; & tum, Ab aliis plerumque partibus & morbis vapor ſubmittitur. tuſſis eſt arida, & interdum parùm irritans. quando patiens loquitur aut hiat, potius accidit. In Curatione agendum per Cauſæ vapores mittentis remotionem, Vaporis repulſionem, revulſionem,&c. Accidit, aut in *Febribus*, quæ inſtare paroxyſmum indicat. futuros abſceſſus prænunciat. ſi febre ſoluta remaneat, recidivæ periculum minatur: aut *in Vermina*, quæ vel per vaporum putridorum ad pulmones appulſum, vel per membranæ œſophagi, quæ membranam aſperam arteriam inveſtientem in conſenſum trahit, vellicationem exoritur, & ſignis vermium ſe exſerit. III. *Pure*, quod in phthiſi, peripneumonia, pleuritide, vulnere & inflammatione diaphragmatis, &c. accidit. IV. *Tuberculo crudo, grandine*,&c.

II. Alia eſt *Sicca*, in qua nihil tuſſiendo excernitur,

tur, seu facultatis seu materiæ vitio. Alia *Humida*, in qua materia rejicitur.

Utraque vel est *Recens*, κέγχνος dicta, in qua levis duntaxat ad tussiendum propensio fatigat, non secus ac nausea vomitum præcedens, & quæ sola spiritus cohibitione interdum comprimitur: vel *Inveterata*, graviora symptomata proferens.

III. Alia est *Periodica*, quæ ex certis intervallis bis terve anno affligit, & ex irruente destillatione plerumque proficiscitur.

Alia, quæ vel *Continenter*, vel *minima intermissione* fatigat, quæ aut vitiosam pulmonum affectionem, aut obstructionem veterem, aut aliam stabilem causam intus habet.

CAPUT IV.

De Hæmoptysi.

HÆmoptysis est Sanguinis cum tussi ex partibus respirationi dicatis, rejectio, citra illarum inflammationem accidens.

Signis opus non est, cum affectum visus patefaciat.

Causa est, quicquid venarum unitatem solvit, sive id fiat per modum anastomoseos, sive diæreseos. sive diapedeseos.

Curatio sanguinem sistere jubet, & causas respicit. *Nota in ea*, Revulsionem fieri debere per Venæ-sectionem in brachio; vel si mensium suppressio adest, in talo. Malam sanguinis qualitatem temperandam esse. *Purgantia* non debere esse calida, nec fortia. Inflammationem, in parte unde sanguis exit, avertendam. Grumos sanguinis, sed non solo aceto dissolvendos. Adstringentibus vel sistentibus ante avertentium usum supersedendum. *Topica* frigida fugienda. Laudantur inter sistentia, *Centinodium*

in

in jusculo coctum, & partibus adhibitum. *Scaligeri pulvis*, quem apud *Petræum* in Nosologia vide.

Differentiæ à Causis & partibus sumuntur.

I. Alia est ab *Anastomosi* venarum : Alia à *Diæresi*, Alia à *Diapedesi.* de quibus videatur caput de hæmorrhagia narium.

II. Alia est à *Cerebro mittente*, quæ *Cognoscitur* ex sanguine minimè spumoso, cum screatu nonnunquam & tussi rejecto, Capitis dolore gravativo, venis frontis elatis, exscreatione frequenti, sensu caloris & saporis sanguinei, Gargarismata hic valent.

Alia à *Faucibus*, quæ *Cognoscitur* ex screatu, solutione continui depressa lingua conspicua, quæ gingivas & oris partes etiam prodit cum simplici exspuitione. Gargarismate ex *corticibus radic. prunor. sylvestr. sumach. &c. tollitur.*

Alia à *Gutture*, in qua sanguis frequenti tussicula cum dolore laryngis rejicitur.

Alia ab *Aspera arteria*, in qua prodit sanguis paucus, ruber, & calens; aliquando cum ramento parva tussi rejecto, & partis nonnullo dolore.

Alia à *Thorace*, in qua sanguis est minimè spumosus, sed nigricans & grumosus, interdum fœtidus & puri mistus, cum tussi & dolore rejectus. *Curatur*, 1. Venæ epaticæ dextri lateris sectione, & detrahi per vices ac paulatim sanguis debet. 2 Evacuatione per cholagoga. 3. Incrassatione, ubi valent *Trochisci de Carabe, de spodio, de terra sigillata*, &c.

Alia à *Pulmonibus*: in qua sanguis est spumosus perseveranter, floridus, fervens, confertus, cum tussi, absque dolore : quandoque ipsius putrefacta particula unà rejicitur.

Alia ab *Inferioribus partibus*: in qua sanguis exiguus, vomitu cum dolore & cruenta dejectione ejicitur, &c.

TITU-

TITULUS VII.

De Cordis affectibus.

CAPUT I.

De palpitatione Cordis.

Cordis præcipui affectus sunt, *Intemperies, Palpitatio,* & *Animi deliquium.*

De *Intemperie,* calida præsertim, libro secundo actum est. De humida frigida & sicca, nihil singulare occurrit, cujus in reliquis non possit fieri mentio. Itaque de istis duobus duntaxat agemus.

Palpitatio cordis, est ejusdem vel quod molestum est expellentis, vel quod utile est attrahentis & deficiens restaurantis, inordinata & ex dilatatione & subsidentia composita motio.

Differt à *Tremore*, quòd hic locum mutet; illa majorem & minorem saltem occupet. *hic sit facultatis moventis;* illa instrumentorum, & partibus alioquin immotis accidere potest.

Signa ipsis sensibus satis sunt manifesta, visui nempe tactui, & auditui. Arteriæ præcipuè jugulares subsultant. pulsus est inæqualis & inordinatus.

Causa est vel res facultatem motricem irritans, vel refrigerationis propter intemperiem calidam necessitas, vel Spirituum defectus: de quibus specialiter in Differentiis.

Curatio est *difficilis.* Est enim morbus periculosus; peracutus in singulis paroxysmis; at diuturnus, quia intermittens & sæpius repetens. Ex frigiditate cordis si eveniat, si diu perennet, pluresque recidivas faciat, plerumque per Syncopen in mortem terminatur. *Respicit* 1. *Paroxysmum*, in quo locum habet, fomentum ex *melissa* & *borragine*, Aqua ex *cordi-*

cordibus animalium apud Heurnium, ſuccus *Cardiacæ*, &c. 11. *Cauſas*, de quibus in Differentiis dicetur.

Differentiæ à Cauſis ſumuntur.

I. Alia eſt à *Vapore ſeu flatu* expultricem cordis ſtimulante, qui eo *Cognoſcitur*, quòd repentina fiat acceſſio, à levi corporis motu excitetur, ſæpe tremor in genubus, oculorum tenebræ, &c. obrepant. 1. Vel ibi *colligitur*, reſolutus ex materia frigida & craſſa eo loci hærente, cum intemperie ſæpius frigida, rarius calida, quæ ſi inæqualis, multos elevat vapores, & *Tollitur* Venæ ſiniſtri vel dextri brachii, pro-ut pulſus in hoc vel illo magis inquietus eſt, & plethora adeſt, ſectione. Cucurbitularum ad crura affixione. Cauſæ ſuppeditantis & moventis ablatione. Diſcuſſione. Valet hic *Oleum Citri*, cum aliqua conſerva, *Rhaponticum verum* ſcrup. ij. pondere in vino exhibitum, *Confectio Alkermes, Aqua Theriacalis* camphorata Crollii. 2. Vel *à partibus inferioribus*, Ventriculo, utero, hypochondriis, &c. mittitur, & tum illarum partium ratio habenda eſt. 3. Vel eſt *malignus*, & *venenatus*; & tum magna adeſt motus vehementia, quæ in omnimodam inæqualitatem, lipothymiam & ſyncopen tranſit. Laudatur, *Cordiale Crollii* ex auro ſeptem ſigillis munito. *Emulſio margarit.* cum aqua borraginis & Cinnamomi. *Experimentum Thanckii* ex corall. rubr. præparat. Margaritis, in aqua Lavendulæ per inſperſionem ol. ſulfuris vel vitrioli ſolutis. *Aqua Cinnamomi* cum ſpiritu juniperi, &c. *Epithemata ex Alexipharmacis.* 4. Vel *Non venenatus*, cui ſuperiora applicari poſſunt.

II. Alia eſt *ab Humore*, qui ex eo *Cognoſcitur*, quòd non ita ſubitò invadat, & diutius duret. 1. Vel eſt *Aqueus* in pericardio hærens, qui difficulter cognoſcitur, etſi malum ſit continuum, & ægri de ſuffocatione cordis conquerantur. Diſcutientib. tam

internis, ut *Theriaca*, *Confect. Alkermes*, *ſpeciebus diambræ*; quàm externis, ut *pane calente* aqua cordiali irrorato & regioni cordis applicato, tollitur. veſicatoria, & venæ-ſectionem reſpuit. Vel *aliunde mittitur*, & vel mole ſua venas, arterias, & ventriculos cordis nimis gravat, ut liberè moveri nequeat, ut fit in vulneribus, formidine, terrore; vel qualitate idem infeſtat, quod præcipuè à bile prætorrida & præaſſata fieri ſolet; & tum, Evacuationibus & revulſionibus opus. Cauteriis *nullæ Cantharides* immiſcendæ. *Theriaca* in materia frigida extra adhibita, commendatur. 2. Vel eſt *Non malignus*: de quo jam dicta accipi debent. vel *Malignus & venenatus*, & tum magna varietas in pulſu, magnitudinis præſertim & parvitatis ratione accidit, &c.

III. Alia eſt *à Tumore*, qui ſi *Calidus* eſt, magna erit in corpore inflammatio, reſpiratio difficilis: ſi *Durus*, & in pericardio, motus eſt continuus, æger ſenſim ſine cauſa manifeſta contabeſcit. *Curatio* ad Tumorem eſt obvertenda.

IV. A *Vermibus*, quos convulſio detegit. *Curationem* integram vide apud *Hartmannum*. *Lapis Bezoar* hic valet.

V. A *Spirituum defectu*, qui ex antegreſſu cauſarum diſſipantium cognoſcitur. *Curatur* Reficientibus, ut *vino odorato*, &c.

VI. Ab *intemperie calida*: de qua liber ſecundus conſulendus eſt.

CAPUT II.

De Animi deliquio.

ANimi deliquium eſt præceps ſubitusque virium omnium vitalium cumprimis lapſus, cum pulſu imminuto fereque abolito, & ſudore frigido, à ſumma cordis debilitate, vitio & defectu ſpirituum vitalium,

lium, quorum etiam reliquum à corpore ad centrum confluit, exortus.

Pro diversitate graduum, diversa etiam sortitur nomina. Ἔκλυσις est leve deliquium, λειποθυμία & λειποψυχία est gravius, συγκοπὴ est gravissimum: quæ si eo usque deveniat, ut in toto corpore pulsatio aboleatur, ἀσφυξία dicitur. In definitione ejus habetur ratio.

Signa & quidem *Imminentis* sunt in assuetis præsertim, improvisa anxietas, vertigo, alieni & varii coloris obversatio, pulsus iterata sæpius immutatio. *Præsentis*, subitus omnium virium lapsus, pulsus debilissimus, obscurus: sic ab *Apoplexia & uteri strangulatu* distinguitur totius corporis maximè extremorum frigiditas, sudor frigidus, syncopticus ideò dictus, præcipuè in temporibus, collo, & thorace erumpens; qui cum pulsus abolitione pathognomonicum est.

Causa est, spirituum vitalium subitus defectus, sine quibus nec cor, nec ulla pars in corpore suas actiones edere potest: de quo fusiùs in differentiis.

Curatio est *Alicujus spei*, si est ex simplici cordis intemperie; si ex evidentibus causis, si per consensum. *Nullius*, si æger sæpe & sine manifesta causa animo linquitur, si in corpus debile incidit. si ab ea homo post irrorationem faciei cum aqua rosarum & vini exhibitionem, post ptarmica etiam non restituitur. si cor primaria affectione laborat. si febricitantes, ob magnam humorum copiam, cum ventriculi & hepatis inflammatione, affligit. *Respicit* 1. *Paroxysmum*, in quo spiritus, Aceto *flor. tunicæ*, *Rutæ*, *sambuci*, balsamo *succini albi*, naribus admotis, *vino*, Aqua *rosarum*, *cinnamomi*, *carbunculi*, &c. reficiendi. In calidis morbis frigida, in frigidis calida adhibenda, fœminis odoramenta graveolentia admovenda. Cordis regioni Epithemata, & inunctiones ex

theriaca, *Mithridatio*, oleo *Citri* adhibendæ. *Vinum odoratum* vetus eſt efficaciſſimum. 11. *Intermiſſionem*, de qua in differentiis agetur.

Differentiæ à Cauſis ſpirituum defectum inducentibus ſumuntur.

I. Aliud eſt, quod *ſpiritus non generentur*, ſeu ob defectum materiæ, ſanguinis nempe nimium evacuati, & aëris corrupti, ſeu ob facultatis vitium, tam propter morbos cordis inſigniores, intemperiei & inſtrumentales; quam propter cerebri & hepatis, imò ventriculi & uteri affectus; ubi illorum omnium habenda eſt in Curatione ratio.

II. Aliud à *ſpirituum genitorum diſſipatione*, quam inferunt, 1. *Evacuationes inſenſiles* per habitum, ſeu ob nimiam cutis raritatem; & tum, odoramentis & boni ſucci cibis agendum. Cutis oleo myrtino, maſtichino, denſanda; ſeu ob contentorum tenuitatem, ubi cibi non facilè difflabiles locum habent. 2. *Evacuationes ſenſiles*, tam ſanguinis quàm aliorum humorum, ubi *nota*, Siſtendas illas eſſe. Corpus frigidis conſpergi non debere. In ſudore largo, illa ſolum quæ cutim conſtringunt, locum habere. 3. *Morbi*, ut vigiliæ: de quibus ſuperius. Dolor vehemens, cardiacus, colicus, nephriticus, dentium, &c. Ruptio apoſtematis ſubita, in qua inſtauratio cibis, odoribus, & quiete fiat. 4. *Evidentia*, fames, venus, exercitatio nimia, &c.

III. Aliud à *Spirituum alteratione & corruptione*, quam maligna materia, ſeu externa ſeu interna adfert, ut humorum putredo, venenum aſſumtum, morſus animalium; & tum Curatio ex ſuis locis petenda eſt.

IV. Aliud à *Spirituum ſuffocatione*, quam infert 1. *Sanguis nimius*; & tum plethoræ ſigna adſunt. Venæ baſilicæ ſectio juvat. 2. *Humor crudus & craſſus*, circa cor ejusque venas & arterias, capſulam & membra

bra vicina redundans, vel ibidem collectus, vel à capite aliisque partibus rransmissus; & tum habitus est hydropicus. nec venæ-sectio, nec purgatio sustineri potest. frictiones deorsum factæ, inunctiones per olea laxantia, *Oxymelitis* cum decocto alior. incidentium usus, inedia, nisi pulsus subitò ad imbecillitatem mutetur, juvant. 3. *Fuligines pravæ* copiose circa cor & membra vicina congregatæ, quibus respiratio læditur. Discutientibus maximè tolluntur. 4. *Repentinus terror & metus*, cui Evacuatio, ne ex affluxu sanguinis obstructio aliqua in vasis aut inflammatio excitetur, convenit. De reliquis consule Practicos.

TITULUS VIII.

De Mammillarum affectibus.

CAPUT I.

De Mammillarum morbis.

ARTICULUS I.

De Tumoribus.

MAmmillarum affectus sunt vel Morbi, vel Symptomata. Ad illos pertinent, *Tumores*, *Cancer*, *& Magnitudo*.

Tumores mammillarum sunt quatuor.

I. *Inflammatio*, quæ tumor durus. *Cognoscitur* ex rubore, dolore, pulsu & calore, quibus à grumefactione & abundantia lactis differt. *Oritur*, à sanguinis attracti, transmissi, vel suppressi copia. *Curatur* 1 Victu tenui infrigidante & humectante. 2. Diversione, quæ sanguinis ex talo missione; si menses suppressi sunt, perficitur. 3. Evacuatione per sanguinis ex ejusdem lateris internâ venâ missionem, & lenem purgationem. 4. Topicorum, in inflammatione consuetorum appositionem. Ubi *nota*, *Repellentia*

debere esse temperata, ne cor nimis infrigidetur. In *augmento* laudari cerevisiam calidam cum butyro applicatam. *Indurationem* feliciter medicamento ex *medullæ cruris vituli unc. ij. œsypi unc. j. Croci scr. iv. Cumini triti scr. ij.* composito, prohiberi. *Suppuratum*, quod mammillæ sint spongiosæ & cavernosæ, variis plerumque in locis aperiri. *Mammillam* affectam, raro, ni alterius sanæ lac exsiccetur, quod sanguis æquè ad utramque ducatur, sanari. *Dolorem*, optimè æstate foliis *hyoscyami*, hyeme *radicibus* ejusdem sub cineribus coctis, & cum axungia porcina contusis, leniri.

II. *OEdema*, quod interdum per totam mammam diffunditur, ut eadem tota æqualiter intumescat. *Cognoscitur* ex eo, quod sit mollis, per intervalla certis temporibus, menstruationum nempe, tumor ac dolor exacerbatur, semper tamen tumoris aliquid remaneat. *Ortus* & *Curatio* ex generalibus petenda. Hic duntaxat *observandum*, 1. *Quod* in mensium retentione tosta & assa minus conveniant. 2. *Quod* maturantia, quia materia hic tenacior est, fortiora sint eligenda. 3. *Quod* ventriculi, qui pituitæ receptaculum, ratio quoque sit habenda.

III. *Scirrhus* mammillarum, est vel *Exquisitus*, vel *Non exquisitus*. 1. *Exquisitus*, varius est. I. Alius *Incipiens*, qui ad contactum dolet, minimum tamen, qua ratione ab incipiente Cancro distinguitur: & difficulter Curatur. Alius *Inveteratus* qui durus est, sine dolore, medicamentis incurabilis, præsertim si Capparorum colorem refert, vel si ei pili supervenerunt; manus opera interdum curatur. II. Alius est *per Congestionem*, humoris per se crassi, in quo curando aceto nec inter initia nec diu utendum, ne vel residuum lapidescat, vel substantia partis exsiccata tabescat; Nec manuale opus tentandum, si tota mamma induruit, &

tumor

tumor thoraci ita adhæſit, ut citra periculum avelli nequeat. Alius *per Reſolutionem*, in quo tenuior pars præpoſteris medicamentis exſiccata eſt, quemque Galenus evaporatione ex aceto acerrimo, ſuper lapidem pyritem candentem effuſo, ſed præmiſſis liquantibus, curavit. In omnium *Curatione*, videndum, ut lienis & ſuppreſſorum menſium ratio habeatur, & Emollientia cum reſolventibus alternatim applicentur. 2. *Non Exquiſitus* Scirrhus ex eo *Cognoſcitur*, quod ſit tumor major cancro, coloris cinericii, cum duritie ac venis in ambitu nonnihil liveſcentibus varicum inſtar: & quod interdum, imminentibus præſertim menſtruis, vexet. *Oritur* ab atra bile melancholiæ commixta, præſertim in ſterilibus, vel quæ citò parere deſierunt, vel omnimoda menſium ſuppreſſione laborantibus. In *Curatione* inter Repellentia abſque adſtrictione laudatur Unguentum *de Ranis*, quod apud Caſtrenſem l. 1. de morbus mulier. cap. 21. vide. De Manus opera vide eundem.

IV. *Tumor flatuoſus*, qui ex eo *Cognoſcitur*, quod dolor ſit acutus mamma præſertim ſiniſtra, cum brachii, totius lateris, coſtarum & ſcapularum cruciatu. *Oritur* à craſſo halitu, ex ſuppreſſis vel menſibus vel ſemine, vel aliis excrementis elato, eaſdem tendente. In *Curatione*, nota, linteum *Saponis ſpuma* delibutum, vel aqua madefactum & exſiccatum, ad diſſipationem laudari. Dolorem pane calido, ut ex furno extrahitur, oleo nardino & rutaceo madido, bene mitigari.

ARTICULUS II.

De Cancro, & magnitudine Mammarum.

I. CAncri mammarum, ſigna, Cauſæ & Curatio ex iis quæ lib. ſecundo de Cancro dicta ſunt,

 depromi

depromi possunt. Heic adjicere sufficiat, 1. *Non exulceratum* mitiorem reddi, si menses in pristinum statum vel à natura vel à medicamentis revocati redeant; vel si corpus à cacochymia liberum, seu victus ratione seu medicamentis servetur. Potest eidem & Ungentum ex *Lithargyrii* in marmorea pilla cum plumbeo pistillo ducti *unc. ij.* cum *aqua rosar.* & *ol. rosar. ana unc.iij.* incorporatis, compositum applicari. II. *Exulcerati* Curam, apud Hartmannum, qui eum *aqua fuliginis* mundificante, *Oleo arsenici fixi* in aqua plantaginis distemperati, &c. firmissimè sanari scribit, vide.

II. *Magnitudo mammarum* indecora visui est exposita. *Oritur* à crebra earum contrectatione, flatulentorum inprimis copia, retentione mensium, &c. *Curatio* adhiberi vel ideò debet, quòd quò majores sunt mammæ, eò facilius cancris afficiantur. *Peragitur.* 1. *Cibis* adstringentibus, sed minimè flatulentis. 2. *Repercussione* sanguinis vel aliorum humorum affluentium; ubi succus cicutæ, & ova perdicis illita locum habent. 3. *Discussione* illius quod allapsum est, ubi Ungentum quod ex *luti in molis tonsorum reperti unc.ij. Ol. myrtini unc.j. aceti unc.ß.* componitur, laudatur. 4. *Compressione* per formas mammarum plumbearum interius illitarum oleo *seminis hyoscyami*, &c.

CAPUT II.

De symptomatibus Mammarum.

ARTICULUS I.

De Lactis defectu, Redundantia, & Coagulatione.

SYmptomata Mammarum sunt *Lactis defectus, Redundantia, & Coagulatio.*

I. *Defectus lactis* pro ratione Causarum duplex est.

Alius enim est *Vitio sanguinis*, qui deficit ob morbos exsiccantes: ob Epatis intemperiem: ob inediam, ob Evacutiones nimias: quorum omnium in Curatione habenda est ratio. Ad lactis autem generationem faciunt, *Crystallus* præparatus, folia, radix & semen *fœniculi* viridia & recentia. *Lumbricorum terrestrium* præparatorum pulvis in vino. *Electuarium* Zacuthi Prax. Histor. l. 9. c. ult.

Alius est *vitio facultatis lactificæ*, quando illa ita debilis est, ut sanguinem neque attrahat, neque coquat; seu propter causas externas refrigerantes, & adstringentes; seu propter alios morbos; ad quos in Curatione respiciendum est.

II. *Redundantia* lactis à sanguinis copia & forti facultate lactifica procedit. In *Curatione*, Naturæ in gignendo lacte luxuries cohibenda est; & Lac excedens dissipandum & exsiccandum. Facit huc venæsectio. Repulsio per medicamenta, quæ supra mammas versus brachia poni debent. faciunt & Medicamenta lac absumentia, qualia sunt, *Muria cum pulvere cymini*, *Cicuta* in aqua Chærofolii & Aceto decocta, &c.

III. *Coagulatio* lactis fit, quando partes subtiliores & tenuiores sensim exhalant, & crassiores remanent; unde glandulæ indurescunt, & tumores, imò & abscessus, exoriuntur. In hoc casu, infans ex ubere affecto lactari non debet: sugendum tamen lac, ne id quod de novo gignitur, à caseato lacte coaguletur, & pars coagulati quæ incipit dissolvi putrescat. Ad Dissolutionem facit *jusculum Caulium*, Ablutio mammillæ cum *aqua*, *vino & aceto* insimul mistis. Fomentatio decocto *Althea*, *fænugræci*, *Meliloti*, &c. superimposito linimento ex *ol. rosar. amygdal. dulc. succo apii*, *petroselini*, *aceto*, *in quo*

prius coagulum leporis sit dissolutum. *Aqua Cicutæ* putatur utramque palmam obtinere.
Et tantum de morbis pectoris.

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ
LIBER X.
De morbis infimi Ventris.

TITULUS I.
De Affectibus OEsophagi.

CAPUT I.
De morbis OEsophagi.

AFFECTUS infimi ventris comprehendunt sub se affectus, *OEsophagi, Ventriculi, Intestinorum, Ani, Mesenterii, Epatis, Lienis, Renum, Vesicæ, Partium genitalium in viris, Partium genitalium in mulieribus, Vmbilici, & Abdominis.*

Morbi OEsaphagi sunt *Intemperies, Tumor, Angustia, Vulnus, & Vlcus.*

ARTICULUS I.
De OEsophagi intemperie & tumore.

I. *INtemperies OEsophagi est ejusdem à nativa temperie ad præternaturalem recessus. Cognoscitur*, ex læsa deglutitione. *Dividitur* in *Calidam*, quæ *Extra*, à fumis, pulveribus, &c. *Intrà*, à vapori-

vaporibus in febribus ardentibus, uteri calida & ſicca intemperie, accidit. *Tum* rubor & aſperitas in lingua percipitur, adeſt ſitis, per refrigerantia, lentorem habentia *curatur.* 2. *Frigidam*, quæ vel à potu nimis frigido, vel aliunde accidit, & Calefacientibus tollitur. 3. *Humidam*, quæ à Catarrhis defluentibus, ſalivatione &c. exſiſtit, & relaxationem OEſophagi, ita ut pars ipſius inferior, & os ſuperius ventriculi hient, infert. 4. *Siccam*, quæ à ſiccis exoritur, ac aſperitatem infert. ſorbitionibus ex jure pulli, butyri non ſalito curatur.

II. *Tumor OEſophagi eſt ipſius in magnitudine ſuâ exceſſus. Cognoſcitur*, ex dolore in deglutiendo in poſteriore magis parte & dorſo; deglutiendi impedimento, ſi magnus bolus deglutiendus eſt, ut interdum potus per nares effluat. *Oritur* ab iiſdem cauſis, à quibus tumores in genere oriri diximus. *Curatur* ſæpe *difficulter*, quia periculoſus propter ſuffocationem. *Eo modo* quo alii tumores, nempe, In principio repellentibus, in augmento reſolventibus externis, internis; in ſtatu, diſcutientibus. *Vomitus* metu ſuffocationis vitetur, niſi forte ſuppuratione facta, tumor rumpi debeat. *Dividitur* 1. In *Calidum*, cui adeſt febris, ſitis major, dolor, in cujus Curatione venæ ſectio locum habet: & *Frigidum*; in quo minor dolor, & in cujus Curatione repellentia mitiora, reſolventia & diſcutientia fortiora eſſe debent. II. In *illum, qui ſuperiori OEſophagi parti* inſidet, & tum cibi non deſcendunt: & *Illum, qui inferiorem* infeſtat; & tum cibi, poſtquam aliquouſque deſcenderunt, hærent.

ARTI-

Articulus II.

De OEſophagi anguſtia, Vulnere & Ulcere.

I. *Anguſtia OEſophagi eſt, quando illius meatus imminuitur. Cognoſcitur* ex eo, quod faciliùs liquida quàm ſolida deglutiantur. *Dividitur* pro ratione Cauſarum ; Nam Alia eſt *à Cauſis externis*, ſeu medicamentis conſtringentibus, ſeu re aliqua deglutita. *Tum*, ex adſtantibus vel ipſo ægro res cognoſcitur. Aut vomitu vel tuſſi rejicienda eſt: aut humectantibus & emollientibus extra & intra adhibitis promovenda : aut ſpongia Oleo amygdalarum dulcium illita detrudenda : aut ſingulari *Fabricii Hildani* inſtrumento eximenda. Alia à *Tumore*, *Vermibus*, ex ventriculo & inteſtinis aſcendentibus, *Scorbuticis & hypochondriacis vaporibus* OEſophagum diſtendentibus & arteriam *aſperam* comprimentibus, *Luxatione vertebrarum Cervicis &* dorſi, quæ in ſuis locis videantur. Alia à *pituita craſſa*, *lacte coagulato*, &c. inhærentibus, Ubi Oxymel *ſcilliticum*, & vomitus locum habent.

II. *Vulnus OEſophagi*, in duplici, ratione Cauſarum, eſt *Differentia.* Vel enim *à telo infertur*; & tum, ſitus vulneris id oſtendit : ſi vomitus accidit, aliquid per illud ejicitur, difficulter Curatur. Vel *ab oſſiculis deglutitis*; & tum facilè patet. Medicamenta ventriculo grata adhiberi debent.

III. *Ulcus* œſophagi *Cognoſcitur*, ex dolore, quando res acris, auſtera, ſalſa, etiam in parva quantitate deglutitur ; mordicatione, & puris rejectione. *Curatur* difficulter propter difficilem coaleſcentiam, utpote in parte membranoſa. *Differentias* à Cauſis ſortitur. Aliud eſt ab *Externis erodentibus*, ut aqua forti, mercurio ſublimato. *Tum* vomitoriis lenien-

lenientibus & lentorem habentibus, ut est *mucilago ſemin. Cydonior.* juſcula pinguia, agendum. Aliud à *Vulnere*; *Tumoribus*, *Apoſtematibus*. Aliud ab *Humoribus acribus* rejectis,&c.

CAPUT II.

De OEſophagi ſymptomatibus.

INter *OEſophagi ſymptomata* præcipuum eſt *Deglutitio læſa*, quæ duplex. Alia enim *fit ob Reſolutionem OEſophagi*, facultate ob nervorum ſextæ vel ſeptimæ conjugationis reſolutionem læsâ. *Cognoſcitur* ex eo, quod faciliùs deglutiantur ſolida, utpote quæ leviore conatu detruduntur, quàm liquida, quæ quod impellenti cedant, majori vi opus habent. *Oritur*, vel à *Defluxione*, Tum Capitis gravitas, tenſio colli & defluxio ipſa ſentitur: vel *vel ab alio aliquo morbo*. Periculoſa eſt, & remediis antiparalytícis curari debet. II. Alia *ob Convulſionem*, quæ à vulnere etiam exoritur. periculoſiſſima eſt ſenibus. Alia à *Partis affectibus*: de quibus ſuperius à nobis actum eſt.

TITULUS II.

De Affectibus Ventriculi.

CAPUT I.

De Morbis ventriculi.

AFfectus ventriculi vel ſunt Morbi, vel Symptomata. Ad *illos* pertinent *Intemperies*, *Tumores*, *Vulnus & Vlcus*. Hæc vide inferius.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Intemperie Ventriculi in genere.

I*Ntemperies ventriculi est ſimilarium ejus partium præternaturalis in primis qualitatibus conſtitutio.*

Signa illius ſunt Concoctio & appetitus læſa. Excrementorum mutatio, ventriculi gravitas, fluctuatio, deſtillationes capitis quæ plerumque accidunt.

Cauſa, quicquid vel internè vel externè eundem alterare poteſt. *Curatio* peragitur I. *Intemperiei per contraria alteratione*, Tum Medicamenta debent eſſe ventriculo grata, ſolida potius quàm liquida. Cibi potius medicamentoſi, quàm medicamenta exacta. Adſtringentibus ne ventriculus laxetur, permiſta; non acria, ſalſa, erodentia, ne orificium ventriculi laceſſant. ſi externa, mucronatæ cartilagini verſus umbilicum, & in dorſum ad 12 & 13 vertebras applicentur. II. *Cauſarum tam externarum quàm internarum remotione.* III. *Ventriculi corroboratione*; *ubi* appropriata, ut Magiſterium *corallorum rubrorum*, *Tunicæ ventriculi gallinæ interiores*, &c. locum habent.

Dividitur in Intemperiem ſine vel cum materia, de quibus in ſequentibus articulis.

ARTICULUS II.

De Intemperie Ventriculi ſine materia.

I*Ntemperies ventriculi ſine materia*, *eſt ſimilarium ventriculi partium*, *præternaturalis in qualitatibus ſuis diſpoſitio*, *à cauſis internis & externis nulla humorum præſentiâ illata.*

Signa ejus & *Cauſæ in differentiis* exponentur. *Curatio* ſola alteratione & cauſarum remotione nititur.

Divi-

Dividitur ſecundùm qualitates.

I. Alia eſt *Calida*, quæ *Cognoſcitur* ex cibi inappetentia, ructibus nidoroſis, ſalivæ lentitudine, faucium & linguæ ariditate. *Oritur* externè à ſex non naturalibus, calorem ipſius augentibus: internè à morbis internis, febribus ardentibus, inflammatione epatis, lienis, &c. *Curatur* 1. Refrigerantibus, ſed levibus, nec diu applicatis. 2. Diæta refrigerante, ubi locum habet *Aqua hordei*, emulſio *quatuor ſeminum frigidorum* majorum.

II. Alia *Frigida*, quæ *Cognoſcitur* ex appetitus intenſione, niſi ſit nimia; ructu acido, ſi nec multi nec frigidi cibi aſſumti, nec pituita redundat, flatu, ſalivæ nimietate. *Oritur*, Externè à ſex non naturalibus: Internè ab incumbentibus partibus, Epate, Liene, muſculis abdominis frigiditatem inducentibus. *Curatur*, 1. Calefacientibus appropriatis, ſed non nimiis, intus & extus humidis ne ſiccitas inducatur. 2. Diæta, ubi vinum abſinthites locum habet. *Diſtinguitur* in *Poſitivam*, de qua nunc actum eſt: & *Privativam*, quæ *Conjungitur* cum ſiccitate. *Oritur* ex defectu calidi innati, quem inducunt nimia calefacientia, ut vini uſus frequens. alimentorum defectus. partium incumbentium, ut epatis, muſculorum abdominis & omenti calor & ſiccitas.

III. Alia *Humida*, quæ *Cognoſcitur* ex abſentia ſitis, ſalivæ redundantia, &c. *Oritur* à cauſis externis humiditatem inducentibus. *Curatur* 1. Siccantibus citra inſignem caliditatem vel frigiditatem, ut ſunt, *Cinis inteſtinorum gallinarum, hirundinum cervi cornu uſtum, corallia rubra, trochiſci è viperis, galanga, ſal uſtulatum.* 2. Diætâ oppoſitâ.

IV. Alia *Sicca*, quæ *Cognoſcitur* ex regionis ventriculi extenuatione & contractione, ad quam gracilitas totius corporis ſequitur. *Oritur*, *externè* à diæta ſiccante, evacuatione nimiâ, fumis metallicis: *internè*,

ternè, à partium incumbentium ſiccitate. *Curatio* eſt *Difficilior*, quia cum febrili calore maraſmum inducit. ſi vomitus accedat. caloris innati ſummam inopiam indicat. *Peragitur* 1. Humectatione, quæ per alimenta medicamentoſa optimè perficitur. 2. Diætâ, ubi lac locum habet ab exigua doſi incipiendo, *Ova recentia*, *Amygdala*, *paſſulæ*, *pineæ*, &c.

Alia *Compoſita*, cujus ratio ex ſimplicibus colligi poteſt. Calidâ & ſiccâ intemperie laborantes, habent ſanguinem paucum, ad nutriendum ineptum, fiunt macri, alvi adſtrictæ, venarum eminentium, ad ſcabiem ſiccam proclives.

ARTICULUS III.

De Intemperie ventriculi cum materia.

I*Ntemperies ventriculi cum materia eſt, quando ventriculus à ſuâ temperie propter aliquem humorem vel ibi genitum, vel aliunde delapſum, deſciſcit.*

Signa & *Cauſa* in definitione ponuntur: in *Differentiis* prolixiùs explicabuntur.

Curatio abſolvitur, 1. Humoris peccantis alteratione & evacuatione. II. Partis ipſius per externa & interna appropriata roboratione. Vide in Differentiis.

Differentiæ intemperiei hujus ſunt variæ.

I. Alia eſt *à materia in ventriculo genita*. Tum ſymptomata continuò apparent. totum corpus & membra omnia ſalva ſunt. *Curatur*, per Evacuationem materiæ, quæ commodè *Aloëticis*, *hierâ picrâ*, *Mechoacannâ*, perficitur: & Roborationem partis. Alia *à materia aliunde delapſa*. Tum membrum quod per periodos afficiebatur, non laborat amplius, aliqua conſueta evacuatio ſupprimitur. Vel conſueta diæta mutata eſt, vel in toto aut in aliqua parte aliquid hæret, ſymptomata remittunt. In *Curatione* ratio membrorum mittentium habenda.

II. Alia

II. Alia eſt à *materia in cavitate ventriculi hærente.* Tum fluctuatio eſt vel nauſea, quam vomitus vel alvi dejectio ſequitur. Alia à *materia tunicis impacta.* Tum, nauſea eſt abſque vomitu, ſæpe cum ſingultu.

III. Alia eſt *Bilioſa*, calida nimirum & ſicca, quæ præter ſuperiora ſigna *Cognoſcitur* ex nauſea, oris amaritudine, roſionis cujuſdam ſenſu, & vomitu interdum bilioſo. *Oritur* à bile ſeu ex veſicula fellea eo delapſa, ſeu ex cibis corruptis generata. *Curatur* 1. Diæta, in qua jus pullorum lactuca & endivia conditum præſtat. 2. Materiæ eductione, tum per vomitoria ex pulvere *julor.* ſeu *florum juglandis* in fumo ſiccatorum, & drach.j. pondere cum hydromelite datorum, parata; tum per purgantia ex *hiera picra* compoſita. 3. Alteratione per refrigetantia & humectantia, inter quæ præſtant Aqua *Cichorii violar.* ſyrupi *granator. Corallor. Quercet. Fragor. de Ribes.* Tinctura *Roſarum.* Condit. *lactucæ Cichorii*, &c.

IV. Alia eſt *Pituitoſa*, frigida nimium & humida, quæ *Cognoſcitur*, tum ex ſignis ſuperius recenſitis, tum ex gravitatis in ventriculo, præſertim poſt cibum aliquot horis ſenſu, fluctuatione, ructu ſæpe acido. *Oritur* à pituita vel tenui, vel craſſa. *Curatur* 1. Evacuantibus tum per vomitum, cui in craſſâ, incidentia in forma ſolida exhibita, (præſtat *Diatrion piper. diacalaminth. Eſſentia meliſſæ, pulegii* &c.) præmitti debent: tum per purgationem, ita, ut purgantia vel ſola vel præparantibus mixta exhibeantur: vomitoria ſunt *ſalis vitrioli* dr. ſ. in juſculo, *Oxymel* cum decocto *raphani* vomitorium *ex helleboro Heurnii.* II. Roborantibus, In quibus *intra* Radices *calami aromatici, & cortices citri, aurantiorum*; cum ſpiritu vitrioli philoſophico, *Elixir proprietatis* præſtant; *Extra*, inunctiones, ex oleis ſtil-

 latitiis,

latitiis, *Absinth. menthæ*, *cumini*, *pulegii*, *mastiches* compositæ, cerotum ex *ladani puri parte* j. *cum partibus duabus ceræ*, una hora ante prandium adhibitis, valent. III. Diæta opposita.

ARTICULUS IV.

De Tumoribus ventriculi.

T*Vmor ventriculi est, quando idem in justo majorem magnitudinem elevatur.* Continet sub se tria.

I. *Inflammationem*, quæ *Cognoscitur*, tum ex signis generalibus, tum ex dolore vehementi, æstu, siti, febre ardentissima, vomitu aut frequenti dejectione alvi, nisi quando orificium aut pylorus obsidetur; accedunt symptomata facultatum principum, si cerebrum in consensum trahatur. *Oritur* à sanguine præter naturam per venas à porta derivatas effuso, sive puro sive mixto, sive transmisso, *sive attracto*. *Curatur* ad modum aliarum *inflammationum*, ubi observa: 1. Evacuationem per vomitum aut alvum non convenire, nisi ad collecti puris eruptionem. 2. Repetendam potiùs venæsectionem, quàm ut una vice multum sanguinis evacuetur. 3. Inter Repellentia externa *saccharum Saturni cum aqua plantaginis vel solani* adjecto absinthii vel menthæ pauxillo, laudari: Interna actu moderatè frigida exhiberi debere. 4. Resolventia, quæ lenia & emollientia esse debent, adstringentibus ob partis præstantiam castiganda esse. 5. Si suppuratio prohiberi non potest, calorem moderatè calidis, humidis & viscidis, tam intra quàm extra fovendum. 6. Abscessum *succo scabiosæ vel solo, vel cum melle mixto* optimè rumpi posse. *Dividitur* pro ratione partium ventriculi. Alia est *Totius*, in qua æger, quocunque etiam situ decumbat, dolore afficitur. *Alia* est *Partis*,

Partis, 1. vel *Externæ*, in qua dolor poſt cibi coctionem, ob fibras tranſverſas intentas, intenditur, appetitus ſe non ita male habet, nihil de abſceſſu vomitu ejicitur. Vel *Internæ*, in qua omnia ſunt contraria. melius verò, ſi in hanc pus abeat, quàm ſub peritonæum: quia ibi facilè expurgari poteſt, hic non item. 2. Vel *Superioris*, in qua quia pars exquiſito ſenſu prædita eſt, graviſſima accidunt ſymptomata, anguſtia ſub finem deglutitionis, ubi attractio viget, maximè percipitur. Vel *Inferioris*, in qua dolor magis in cibi coctione intenditur. 3. Vel *Anterioris*, in qua tactu tumor deprehenditur. Vel *Poſterioris*, in qua, ſi externa occupatur, æger graviter decumbit ſupinus; ſi interna, graviter pronus.

II. *OEdema*, & *Scirrhus*: de quibus nihil ſingulare occurrit.

III. *Inflatio* quando ventriculi magnitudo à flatu in ejus capacitate concluſo augetur. *Cognoſcitur* ex tenſione, ventriculi regionem ſuprà umbilicum infeſtante, tumore, & reſiſtentia tactus ibidem obvia, ructibus, quibus malum levatur. *Oritur* à materia flatus ſuppeditante, de qua in Differentiis. *Curatur difficulter*, ſi convaleſcenti accidat, quia recidivam ſignificat. ſi ſit in febribus acutis, quia calorem naturalem à præternaturali abſumi indicat. ſi diu duret, quia in hydropem ſiccum terminatur. *Quomodo peragatur*, vide in Differentis. *Dividitur* pro ratione cauſarum. 1. Alia eſt ab *Alimentis flatulentis*, quæ ex ægri relatione cognoſcitur. Diæta bona & diſcutientibus balſamo nempe fœniculi, oleo carni intra & extra adhibitis, balneo aquæ calidæ, cui *radices Ebuli* incoctæ, ſacculis, *pane à furno calente oleo rutaceo perfuſo*, curatur. II. Alia à *Materia pituitoſa*, flatus excitante, quæ ex ſignis intemperiei pituitoſæ cognoſcitur. Evacuatione materiæ præparatæ; & Diſcuſſione fla-

tuum tollitur. Discutiunt etiam cucurbitula magna, cum multa flamma, absque incisione, applicata ac sæpius repetita. *Talorum suillorum* adustorum & cum aqua rutæ præparatorum drach. una in haustu vini exhibita, &c.

ARTICULUS V.

De Vulneribus & Ulceribus ventriculi.

I. *Vlnera ventriculi* exinde *cognoscuntur*, quod abdomen profundius è regione ventriculi sit solutum, singultus, & bilis vomitus insequatur, cibus potusque interdum rejiciatur. *Curantur, nullo ferè modo*, si totum ventriculi corpus perforatum sit, vel si superior ipsius pars circa orificium vulnerata. *Difficulter*, si exterior saltem tunica, & si fundus ventriculi, qui carnosus est, & medicamenta sustinere potest. *Peragitur Curatio*, ut in aliis vulneribus. *Mastiche* omnibus modis *sumta*, utilis est. Vulnus penetrans & amplum *consui debet*, orificio inferiore parte relicto. In diæta ab omnibus acribus abstinendum.

II. *Vlcus* ventriculi *cognoscitur* ex dolore pungente & ulceroso, ardore, à cibo calido ingesto excitato, supra umbilicum infestante. ructibus fœtidis, causis ulcus generantibus, febre lenta, &c. *Oritur*, 1. *Ab externis*, ut medicamentis & venenis acribus, & tum, relatio ægri indicio erit. 2. Ab *Humoribus acribus* vel aliunde allapsis, vel ibi genitis; & tum, ad intemperiem cum materia recurrendum est. 3. Ab *Apostemate* post inflammationem rupto, & tum illa præcessit. 4. A *ruptura venæ*, & tum sanguinis vomitus præcessit. *Curatur difficulter*, tum quia detergentia dolorem excitant, tum quia semper à chylo humectatum exsiccari nequit. Inveterata lyenteriam adferunt. In *Curatione* nota, 1. Humorem,

si adest,

ſi adeſt, lenientibus duntaxat educi dedere. 2. Vomitum planè vitandum, ne quod ulceratum eſt, magis dilaceretur. 3. Conſolidantibus internis, aliquid mediocriter abſtergentium ſemper admiſcendum.

CAPUT II.

De Ventriculi ſymptomatibus.

ARTICULUS I.

De Dolore & Ardore Ventriculi.

SYmptomata ventriculi ſunt, *Dolor*, *Ardor*, *Anorexia*, *Nimia appetentia*, *Appetitus vitioſus*, *Sitis nimia*, *Concoctionis læſio*, *Singultus*, *Ructus*, *Rugitus*, *Nauſea*, *Vomitus*, & *Cholera*.

I. *Dolor Ventriculi eſt triſtis ejuſdem ſenſatio, à rebus diſtendentibus vel mordicantibus, & ſic continuum ejus ſolventibus exorta.*

Signis in hoc ſymptomate opus non eſt, niſi mens ægri laboret.

Cauſa in definitione eſt expoſita, & largiùs in Differentiis de ea.

Curatio reſpicit 1. *Ipſum ſymptoma*, ſi nimis urgens eſt; in quo obtundendo valet, *ſacculus* ex radic. altheæ, flor. chamomillæ, roſis rubeis & abſinthio confectus. *Aqua* Quercetani Anodyna in pharmacop. reſtituta. *Oleum* chamomillæ ſaphirinum, *Bolus* ex electuar. diaphænic. dr. iiiſ. philonii Romani ſcr. ii. formatus, de Leonibus laudatiſſimus, *laudani opiati* gr. iv. cum decocto chamomillæ, poſt quorum omnium uſum roborantia ventriculum expedienda ſunt. II. *Ipſam Cauſam*, de qua in Different.

Differentiæ à partibus & cauſis ſumuntur.

I. Alius eſt *Tunicarum*, qui Dolor eſt ſimpliciter, & cui ſuperiora applicari debent. Alius *Orificii*, qui ſe animi deliquio & ſyncope, interdum im-

moderato ſudore & anxietate prodit: & tum, ab *Attritione ventriculi*, quæ poſt cibum ſumtum cum frigore, pulſuum conſtrictione & anhelitus compreſſione accidit, à cibo ſeu antequam excernatur exæſtuante, ſeu in pituitam verſo oritur, & *Ol. nardino* calido ventriculo impoſito, & dr. j. *piperis* exhibita, curatur. tum ab *Adſtrictione* ipſius, quæ propter utriuſque orificii adſtrictionem evenit,& deſcendente cibo quieſcit, diſcerni debet. *Curatio* eſt *Nullius ſpei*, ſi in eos inciderit, qui exquiſiti ſenſus orificium habent. ſi extrema frigeant,& ſi à venenatis procedat.

II. Alius eſt à *Cauſis externis*, ut nucleis, aciculis, cibo acriore, corruptionem paſſo, multo,& tum vomitus prodeſt, & ſi venenum aſſumtum eſt, Alexipharmaca mox admovenda.

Alius à *Cauſis Internis*, 1. *Humoribus* nempe bilioſis, pituitoſis, ſeu aliunde allapſis, quod *in febribus* fieri ſolet, ſeu ibi genitis; qui, ſi hi *admiſtis cibis* minus acres evadunt, aſſumto cibo ſedatur; *ſi tunicis* adhæreſcentes, ſumto cibo agitantur, aut fundo adhærentes elevantur, poſt cibum exacerbatur. *Curatio* ex capitibus de Intemperiebus peti debet. Nota *Hieram* in viſcido humore fortioribus miſcendam, ut materiam vincat. *Syrupum Zacuti & pulverem* l. ult. c. 2. n. 11. Hiſt. laudabilem eſſe. 2. *Vaporibus*, ſeu ibidem concluſis, de quibus tit. 2. c. 1. a. 4. ſeu aliunde, ex utero, vermibus &c. miſſis. 3. *Vermibus* ad orificium aſcendentibus: de quibus ſuo loco.

III. Alius eſt à *morbis ventriculum infeſtantibus*, intemperie nempe, tumoribus, vulnere, ulcere, &c. de quibus ſuprà actum.

II. *Ardor ventriculi eſt humorum in ventriculo, vi caloris præternaturalis concitata ebullitio, ita ut fervor ad gulam uſque ſentiatur.*

Signis in hoc ſymptomate opus non eſt.

Cauſa

Causa sunt halitus acres, seu à cibo natura sua acri, in πικροχόλοις, durante cibi coctione, & ventriculo valido motu turbato excitati; seu à bilioso humore, elati, qui dum erumpere per œsophagum coguntur, ibi hærentes eum & ventriculi orificium urunt.

Curatio est *difficilior* in illis, quibus ventriculi substantia bile quasi imbuta est, quòd ejusdem regio à vesicula bilis croceo colore tingatur, eademque macula ad internam usque membranam penetret. *Respicit* I. *Ardorem ipsum*, cui sedando multa remedia dantur. Præcipua sunt ista, *bolus* ex sacchari rosati dr. ii. Ocul. cancri præp. unc. ii. boli Armeni unc. ſ. compositus, & per particulas deglutitus, *pulvis* ex cryſtall. calcin. dr. j. *ß*. Margarit. præp. ser. j. Corallor. præp. Cretæ ana dr. j. sacchari candi dr. ii. compositus, & drachmæ unius pondere cum cerevisia datus, *Spiritus vitrioli coagulatus* scrup. j. pondere in cerevisia exhibitus, quem linimentum ex pomadæ opt. unc. ſ. camphoræ dr. j. olei lateritii dr. ii. Axungiæ Taxi unc. ſ. salis vitrioli dr. j. excipere debet. II. *Causam ardoris*, quæ temperanda & evacuanda.

ARTICULUS II.

De Anorexia.

ANorexia *est prostrata ciborum omnium appetentia, ex defectu sensus suctionis in orificio superiore ventriculi exorta.*

Signis ipsum symptoma non indiget. Æger conqueritur, & ab adstantibus ipsis observatur.

Causa est sensus suctionis in orificio ventriculi inferiore defectus; qui unde proveniat, in Differentiis dicetur.

Curatio est *Dubiæ spei*, si in declinatione morbi,

bi, ſeu ex ejus diuturnitate, ſeu virium imbecillitate, ſeu immodica evacuatione accidat; quia caloris naturalis extinctionem indicat, & recidivam minatur. ſi in pueros, qui natura edaces & plurimo alimento indigent, incidat, quia magnus præter naturam exceſſus ſignificatur. ſi in morbo diuturno, cum ſinceris dejectionibus affligat, quia extinctionem facultatis appetentis in orificio ventriculi, ſeu ob maximum frigus, ſeu ob materiam maximè putrefactam indicat. ſi ex læſione nervorum ſextæ conjugationis à cerebro oriatur. *Nullius ferè*, ſi in morbo aliquo eam ſubitò, non præcedente ulla criſi vel morbi imminutione, ingens cibi appetitus ſequatur, quia cerebri læſionem & virtutis ſenſitivæ extinctionem ſignificat. *Reſpicit* cauſas: de quibus in Differentiis agemus.

Differentiæ appetitus proſtrati ſunt variæ.

I. Alia eſt *Major*, quæ propriè *Anorexia* dicitur, in qua nihil omninò appetitur; *cui & definitio* ſuperior competit. Aliæ *Minor*, ſeu *δυσορεξία* dicta, in qua minus aut tardius quàm pro naturæ exigentia cibus appetitur, & oritur ex debilitato & labefactato ſuctionis ſenſu.

II. Alia eſt *ſine Nauſea & abominatione ciborum*, quæ *Inappetentia* dici poteſt: de cujus cauſis ſequenti Differentia agetur. Alia *cum abominatione*, & dicitur *Ciborum faſtidium. Oritur* à ſuccis bilioſis & corruptis, aciditatis tamen & ſalſedinis expertibus, qui quia alendo corpori apti non ſunt, orificium tamen ventriculi obſident, à venis non ſuguntur. *Curatur* iis, quæ calidam intemperiem corrigunt, & humorem evacuant. *Cataplaſma* apud Zacutum l. ult. c. 1. num. 5. vide.

III. Alia eſt à *ſuctionis carentia*, quam inferunt 1. *Alimenti in toto corpore abundantia*, in qua vires non proſternuntur, quæque inedia, exercitiis, frictio-

frictionibus, &c. tollitur. 2. *Corrugationis in ventriculo impotentia*, *vel* propter intemperiem sive calidam ventriculum relaxantem, & materiam fundentem; sive frigidam calorem nativum, primam appetitus causam, labefactantem. *Vel* propter vitiosi humoris, inprimis excrementi crudi, insipidi, lenti & pituitosi, sive ex cibis geniti, sive aliunde affluentis redundantiam. Curatio ex capite de intemperie peti debet. 3. *Attractionis defectus & imbecillitas*, *vel* ob intemperiem frigidam & humidam: *vel* ob interceptionem viarum, à mesaraicarum & cavi epatis obstructione, cujus in curatione ratio habenda est. 4. *Diaphoresis negata*, seu cum substantia corporis non evacuatur, *vel* ob constipationem pororum & cutis densitatem, quam balneum aquæ dulcis tollit: *vel* caloris nativi debilitatem, seu ex intemperie frigida seu otio, acquisitam: *vel* humidi substantifici, quod calori miti ac placido depascenti non facilè cedit, tenacitatem, fixamque & stabilem concretionem.

Alia *à suctionis non perceptione*, quam tollunt 1. *Morbi cerebri*, in quibus aut nervi sextæ paris afficiuntur; aut spiritus animales vel non generantur, vel influere impediuntur; vel, quod in acutis febrib. accidit, languent; aut facultas, ut in phreneticis, &c. aliò convertitur. Curatio morbos illos respicere debet. 2. *Ventriculi ipsius morbi*, sive illi sint intemperiei, sive compositionis, sive solutæ unitatis, de quibus supra actum est. Excitatur sublatis causis appetitus, partim refrigerantib. si causa calida præcesserit, partim calefacientibus, si frigida. *Vinum absinthites* vehementer commendatur.

ARTICULUS III.

De Nimia appetentia.

N*Imia appetentia in duas diſtinguitur ſpecies*; *Caninam* nempe *appetentiam*, & *Bulimum*.

I. *Canina appetentia*, *eſt continua ac inſatiabilis vorandi cupiditas, à vehementi ſuctionis in ore ventriculi ſenſu exorta, aliquando cum vomitu, aliquando cum diarrhœa affligens.*

Signis opus non eſt, cum ſint in definitione expoſita.

Cauſa eſt ſenſus ſuctionis & ſtimulationis in orificio ventriculi vehemens : unde verò is veniat, in Differentiis exponetur.

Curatio, quæ tempeſtivè adhibenda, ne ægri vel in vomendi conſuetudinem, vel in cœliacam paſſionem, vel in hydropem incidant, reſpicit. I. *Famem ipſam*, quæ compeſcitur vel pinguium uſu, *vel vitellis ovorum* aqua induratis, vel *quod optimum* eſt, *vino*. II. *Cauſas*, de quibus in Differentiis agemus.

Differentiæ ſumuntur à cauſis, ſuctionem ſtimulantibus.

I. *Alia eſt à nimia alimenti in corpore indigentia*, *ſeu* propter vermes chylum depaſcentes, qui ſe morſu exſerunt, & uſu hieræ picræ deturbantur : *ſeu* propter nimias evacuationes tam ſenſibiles, quàm inſenſibiles, per habitum corporis, ob calorem nimium partium, & humiditatum ſubſtantiam diſſolventem, cui multum conferunt humorum tenuitas, corporum raritas, pororum laxitas, &c. tum ſudores infeſtant, & Curatio ad morbos ipſos obvertenda eſt : *ſeu* propter longum uſum alimentorum detergentium, ut ficuum, gari, &c.

II. Alia ab *Humoribus frigidis acidis*, *& auſterioribus* orificium ventriculi corrugantibus, comprimen-

primentibus, & vellicantibus; ut sunt pituita acida, & melancholia in ventriculum effusa; & tum, intemperiei frigidæ signa adsunt. Inter purgantia *hiera picra* valet, ut & *vinum Zacuti* lib. ult. Hist. Prax. c. 2. n. 9.

II. *Bulimos est appetitus magnus, periodicus, qui sæpe in nauseam cum lipothymia & virium dejectione desinit.*

Signa in definitione sunt exposita.

De *Causa* inter medicos dubitatur: plerique tamen intemperiem ventriculi frigidam statuunt, unde per altam nivem iter longum facientibus sæpius accidere solet.

Curatio est *Nulla*, si in morbis chronicis accidat: interdum post febres & alios morbos recidivam minatur. *Respicit* I. *Tempus paroxysmi*, quando animi deliquium accidit, in quo frictionibus, & refocillantibus, ut odore vini, aceti, &c. agendum. II. *Tempus extra paroxysmum*, in quo postquam se æger recollegerit, cibi boni succi, panis vino madidus, &c. dandi; & per externa calor ventriculo restituendus.

ARTICULUS IV.

De Appetitu depravato, seu Pica.

PIca, (ab ave ita dicta, quæ eodem affectu laborat) *quæ & κίττα & μαλακία, est appetitus absurdus substantiæ alienæ, liquidæ vel solidæ, præter naturam & rationem alimenti, ex tristi suctionis sensu, & judicii res esui idoneas vel ineptas discernentis corruptione, à vitioso excremento tunicis imbibito, peculiari substantiæ proprietate os ventriculi infestante.*

Signa manifesta sunt, quia cibos vitiosarum qualitatum appetunt: præcessit ingluvies, indigestio, usus ciborum & potuum pravæ qualitatis, suppressio mensium, &c.

Causa

Causa est tristis suctionis sensus, quem excitat *materia tunicis ventriculi* impressa, *seu* tota substantia agens, *seu* manifesta qualitate, ex prava victûs ratione orta vel aliunde, ut, ab utero, unde utero gerentibus circa secundum & tertium mensem est familiaris, missa, infestans. Solet autem in principio, dum causæ alterant *contrariarum rerum* cupiditas excitari; quando verò longa consuetudine familiaritas est contracta, *similia* efflagitantur.

Curatio est *festinanda*, ne cacochymia vel hydrops accersatur.

Vomitu materia peccans commodissimè ejicitur, qui in prægnantibus lenioribus concitari debet. Ventriculus roborari potest Aqua *Cinnamomi*, *Corticum aurantiorum*, Magisterio corallorum, &c.

ARTICULUS V.
De nimia siti.

Nimia sitis, seu πολυδιψία est major & frequentior potionis consuetæ appetentia, ob tristem suctionis in ore ventriculi sensum, ex alimenti humidi defectu, & propriæ humiditatis alteratione exorta.

Signa symptomatis per se manifesta sunt.

Causa est tristis suctionis sensus, quem humoris inopia & caloris copia excitarunt. Unde verò ista procedat, in Differentiis exponetur.

Curatio respicit I. *Symptoma nimis urgens*, quod leniunt *crystallum* vel *corallium* in ore detentum, *aqua frigida* modico aceti castigata, *succus cancrorum vivorum* cum aqua violar. & sempervivi, pauxillo nitri aspersus. *Looch ex mucilag. semin. psyllii, semin. cidoniorum ana unc. ſ. sacchari candi violati pulveriz. amyli, tragacanthi ana dr. i. syrupi violati* q. s. compositum, *Aqua fontana* cum saccharo candi decocta, pomo citrio inciso addito, &c. II. *Causas*, de quibus in Differentiis agetur.

Differentiæ ſumuntur à cauſis.

I. *Alia eſt à roridæ ventriculi ſubſtantiæ defectu*, quod *Cognoſcitur* ex cauſis præcedentibus, faſtidii abſentia, &c. *Oritur* ab iis quæ humidum abſumere poſſunt, ut ſunt ladores, vigiliæ, inedia, immodica evacuatio &c. *Curatio* cibo potius quam potu peragenda. Aqua, quæ in illis vomitum & alvi fluxum excitat, vitanda eſt. Initium ab humectatione, quam lenis refrigeratio ſequi debet, ſumendum.

Alia ab humiditatis in ventriculo per calorem diſſipatione, quæ *cognoſcitur* ex cibi faſtidio, faucibus aſperis, ſapore amaro, ſalſuginoſo, nitroſo. *Oritur* 1. Aut *per ſe*, ſeu ab *Externis*, aëre calido, cibis acribus, ſalſis, potionibus calidis, motu vehementi linguæ, venenis, quæ omnia amoveri debent: ſeu ab *Internis*, ut Intemperie ventriculi inæquali potiſſimum, ubi Evacuandum. Emulſione ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus humectandum. 2. Aut *ad alios morbos*, nempe, Febrem, pulmonum caliditatem, hydropem, &c. quorum curatio ex ſuis locis petenda.

II. *Alia eſt ſine febre*, quam bilis aut pituita ſalſa excitant.

Alia cum febre, in cujus paroxyſmi principio potus non dandus, ne æſtus major accendatur, ſed ſitis illis quæ in ore detinentur fallenda; in vigore gargariſmis humectantibus, & refrigerantibus agendum; in declinatione, potus, niſi æger abſtinere velit, concedendus eſt, ut ſudores largius erumpant.

ARTICULUS VI.

De Coctionis ſeu chyloſeos læſione.

Coctionis læſio eſt concoctricis facultatis in ſua circa alimentum actione vitium, quo fit, ut vel non, vel tardè, vel depravatè concoquat.

Tria

Tria itaque ſub ſe continet, βραδυπεψίαν, ἀπεψίαν, & δυσπεψίαν.

I. *Βραδυπεψία eſt tarda debilisque concoctio, quando cibus vel ſemicrudus relinquitur, vel nonniſi longo tempore conficitur, fruſtratione facultatis, & imbecillitate caloris, à frigida potiſſimum intemperie proveniens.*

Signa ſunt, ventriculi à flatibus ad plenariam ciborum concoctionem diſtentio, odor ciborum poſt plures etiam horas palatum feriens, ructus acidi, vomitus pituitoſi, dejectiones humidæ & crudæ, alimentorum coctu facilium vix longo tempore concoctio, &c.

Cauſa adæquata eſt facultatis concoctricis fruſtratio, quæ aut *impeditur* per morbum organicum, tumorem nempe, inflationes, &c. vel *labefactatur* per intemperiem frigidam, inductam ab iis, quæ aut refrigerant, aut ſuffocant, aut diſſipant, aut pabulum ſubtrahunt: vel *impeditur* ab *Errore externo*, quem *aut* excrementa in ventriculo coacervata vel aliunde miſſa: *aut* alimenta non legitimè juſta quantitate, qualitate, tempore & ordine aſſumta; *aut* ſomnus inferunt.

Curatio, niſi ab errore externo affectus proveniat, ad intemperiem frigidam obvertenda præcipuè eſt. Faciunt huc intra, Tinctura *ambræ*, magiſterium *corallorum*, Elixir *proprietatis*, *Diacorum nobile*, condit. *fructuum cynosbati*, Extractum *calami aromatici*, *granorum juniperi*, *zedoariæ*, ſpiritus *vitrioli*, ſi craſſi humores ventriculo ineſſe præſumuntur; tum peſſimus, ubi ventriculi calor languet. *Abſinthii* cœruleus vel viridis. Elixir *vitrioli Mynſichti*. Syrupus *granorum juniperi*. Conſerva *roſar. vitriolata*. ſal *philoſophicus* ex ſale nitri præpar. fuſi, gemmæ. ana dr. ij. Abſinthii, Carduibened. Tamariſci ana dr. j. Galangæ, Cubebar. Macis ana ſcr. ij. confectus.

pulvis

pulvis ex *rad. Aronis præparata Birckmanni* in Pharmacopœa Quercet. *Corticum aurantiorum*, *oleum absinthites*, *potabile Bartoleti*, *Nuces moschatæ*, *Cinnamomi*, *Masticin.* destillatum, &c. Extra optimè conveniunt, *Oleum stomachale Cratonis*, *tacamahaca*, *balsamum Peruvianum*, *scutum stomachale Hartmanni*, *Cerotum ex ladano Stockeri*, &c.

II. *Ἀπεψία est abolita alimentorum in ventriculo concoctio, ex privatione alteratricis ejusdem, quâ fit, ut cruda ad intestina descendant, proveniens.*

Signa ipsius sunt; causarum prægressus, ructus, post sex vel septem horarum spacium, ciborum naturas ac qualitates referens. incoctorum per vomitum rejectio, vel per alvum excretio, &c.

Causæ sunt validiores illis, quæ in βραδυπεψίᾳ allatæ sunt.

Curatio etiam exinde peti debet. Laudatur *Arcanum Tartari*, singulis diebus in jusculo gutt. x. sumtum.

III. *Δυσπεψία seu διαφθορὰ, est ciborum corruptio, & in alienam qualitatem ex frustratione facultatis concoctricis ventriculi mutatio.*

Signa illius sunt, ructus nidorosi, adusti, acidi, pingues, fœtidi, quos sæpe ventris rugitus, borborygmi, dolores, mordicationes, vomitus, graveolentium dejectiones, sequuntur, difficilis inediæ tolerantia, anxietas, &c.

Causa est intemperies ventriculi & sæpius calida, quæ cibos adurit, corrumpit & putrefacit: quodlibet autem corruptum, pro natura sua alienam qualitatem induit; inde fit, ut res diversa oleant. Inprimis caloris soboles est *nidorosa corruptio*, quæ oritur à morbis calidis, alimentis ejusdem qualitatis, & facilè corruptibilibus, ut lacte, piscibus, fungis, fructibus horariis. *Corruptio acida* à frigiditate provenit.

Curatio ad intemperiem est obvertenda, calidam inpri-

inprimis, de qua superiùs diximus. Spiritus *acetosæ*, & *corallorum* Quercetani syrupus hic primas tenent.

ARTICULUS VII.
De singultu.

Singultus est motus ventriculi convulsivus, tensione & dilatatione fibrarum partis superioris constans, quo expultrix irritata, noxia tunicis ventriculi, inprimis oris & æsophagi, infixa, cum sonitu & vehementi contorsione elidere tentat.

Signa recensere non est opus. Auditur ab adstantibus.

Causa est materia, in toto ventriculo interdum residens, sed ventriculum, seu qualitate inimica, seu compressione vellicans.

Curatio est *Nulla*, si delirium in eo obvenit, quia aut à ventriculo inflammato vapores acres ad caput attolli, aut à cerebro inflammato malum cum nervis orificii ventriculi communicari, indicium est. si in somno profundo, animi deliquio aut tetano oboritur. *Dubiæ spei*, si in eo lipothymia metuenda est. si senibus supra modum purgatis obvenit. si ab inflammatione hepatis oritur. si à vomitu invadit, quia ventriculum vel cerebrum non parvam pati inflammationem indicio est. si in vomitibus sinceris accidit, quia magnum aliquod partium circa ventriculum incendium significatur. si ab ileo incurrit, quia partem nervosam cerebro consentientem affici indicio est. si cum aphonia conjungitur. *Respicit* I. *Symptoma ipsum*, quod cohibetur stuporem inducentibus, ut *philonii Romani* scr. j. Croci, Cinnamomi ana gr. ii. *Laudani opiati* gr. j. cum ol. Salviæ q. s. II. *Causas*: de quibus consulantur Differentiæ.

Differentiæ sumuntur à Causis, & aliis.

I. Alius est *à Causis externis*, ut *refrigeratione*, seu

ſeu ob aërem, ſeu ob potum frigidum, ubi compreſſio ſpiritus, & inunctio dorſi ac ventriculi oleis calidis juvat; *Alimentis vel medicamentis acribus*, ubi ptiſanæ cremor, vel oleum amygdalorum dulcium remedio eſt. *Evacuatione nimiâ*, quam ſiccitas & corrugatio ventriculi inſequitur, ubi emulſio ſemin. quatuor, cum analepticis temperatis locum habet. *Cibis corruptis*, quos aloë exturbat. *Veneno aſſumto*, cui Theriaca obviat.

Alius ab *Internis*, ut ſunt I. *Humores calidi & acres*, qui vomitum vel purgationem lenem expoſcunt. *Terra ſigillata*, *bolo armeno*, miteſcunt. II. *Humores frigidi*, qui incidendi & evacuandi. Valet *Extractum Caſtorei*, *Oxymel ſcilliticum*, *Elixir proprietatis*. Habet & ſternutatio locum. III. *Flatus*, qui *nodulo* ex ſemine anethi & papaveris compoſito, *Oleo* cumini, *Cineribus quernis* vino malvatico aſperſis impoſitis, *emplaſtro* de baccis lauri, diſcutiuntur. IV. *Pus*, quod in inflammatione hepatis fieri ſolet. V. *Morbi interni*, ut inflammatio hepatis, uteri, ventriculi, cerebri, vel alterius partis: nec non *febris*, in quibus nota. In *principio febris* leni evacuante tolli debere. In *ſtatu*, quia criſis futuræ per vomitum ſignum eſt, metuendum non eſſe. *In augmento*, vel *humorem ad ventriculi cavitatem* confluere, & tum ſingultus eſt rarior, & aſſumto cibo vel levi medicamento ſedatur: vel *in ventriculi ſubſtantiam*; & tum ſingultus eſt ita frequens, ut præ eo æger ſuffocari videatur: ſtupefacientibus, ſi ob vehementiam febris purgare non licet, ſiſtendus eſt.

ARTICULUS VIII.

De Ructu, & Rugitus.

I. R*Uctus eſt violentia & ſonora flatus in ventriculo ſtabulantis per ſuperiora eruptio.*

Signis non eſt quod diſcernatur; manifeſtus enim eſt.

Cauſa eſt flatus in ventriculo genitus, vel ex aliis partibus hypochondriis præſertim eo miſſus.

Curatio non *negligenda*, Nam ſi ſint frequentes & multi, cauſæ vehementiam ſignificant,& coctionem turbant; ſi ante cibum fiant, ad Colicam; ſi poſt, ad hydropem diſponunt. *Bonus* tamen ructus eſt: ſi aſthmati ſuperveniot. ſi in longo alvi fluxu, cum prius non fuerit, obtingat; quia aliquam iterum coctionem fieri indicio eſt. *Reſpicit* præcipuè *Cauſam*. de qua alibi.

Quantum ad *Differentias*, dividitur tripliciter.

I. Alius eſt *Moderatus*, qui (quia per os excrementa flatulenta excernit) cohibendus non eſt. Alius *Frequens*, qui tollendus.

II. Alius eſt *Acidus*, qui vel eſt à cibis difficilis coctionis, vel ab intemperie ventriculi *frigida*; & tum mel, ſaccharum & alia, in *aciditatem abeunt*. hydropem vel lienteriam ſi diu continent, minantur. ægri non facilè pleuritici fiunt. *Curatio* ad intemperiem obvertenda eſt.

III. Alius *Nidoroſus*, qui *vel* eſt à cibis talem halitum de ſe edentibus, ut ſunt raphanus, cepæ, frixæ, ova frixa: *vel* à calore ventriculi nimio cibos ita corrumpente, ſive is ſit talis per eſſentiam, ſive per conſenſum.

IV. Alius *Inſipidus*, qui *vel* à cibis flatulentis, *vel* ab eorum copia provenit, & ſi longo poſt ſumtum cibum tempore, ejuſdem ſaporem redoleat, magnam chyloſeos imbecillitatem ſignificat.

II. *Rugitus eſt ſonitus ventris excitatus ab humoribus vel flatibus, in ventriculo aut inteſtinis diſcurrentibus.*

Cauſas habet eaſdem. Sortitur *differentias*, & pro di-

diverſitate ſoni, cujus *cauſa* eſt excrementi copia, & viarum amplitudo; & partis in qua continetur ratio. Eſt enim *Siccus & tenuis*, qui acutum; *Humidus & Craſſus*, qui gravem ſonitum facit. Eſt vel *in inteſtinis craſſis*, unde graviores bombi erumpunt: vel *in tenuibus*, unde clariores & acutiores; & ſi humiditas adſit, murmurillus oritur, qui inſtantis humidæ dejectionis prodromus eſt. Eſt vel *in Cavitate*, vel *intra tunicas*; imò viſus eſt flatus per gulam aſſcendiſſe, futuræ ſuffocationis ſpeciem præbens, & poſt horæ ſpacium ad ventriculum recurriſſe.

ARTICULUS IX.

De Nauſea & Vomitu.

Nauſea eſt inane vomendi deſiderium, cum triſti moleſtia, æſtu & anxietate, quo ventriculus conſtrictis inferioribus & dilatatis ſuperioribus, ejicere quidem quæ ſibi moleſta ſunt conatur, ſed præ imbecillitate, vel paucitate, aut contumacia materiæ, nihil præter tenuem & aqueum humorem per os excernit.

Signis opus non eſt. *Cauſæ* ſunt in Definitione expoſitæ, & ſecundùm magis & minus duntaxat, ab illis quæ vomitum producunt, differunt. Itaque de iis de vomitu agemus.

II. *Vomitus eſt materiæ moleſtæ in capacitate contentæ, per ſuperiora, ſenſibilis & palpabilis cum impetu rejectio.*

Signis non eſt opus, cum ſymptoma ſit manifeſtum. Res autem eſt non de *Critico*, qui ut opus naturæ in commodum ægri accidit, & vel materiam imminuit, vel tollit; ſed *Symptomatico*, quem *prænunciant*, capitis dolor per conſenſum exortus, tenebræ ante oculos apparentes, rigor, inferiorum

hypochondrii partium frigiditas, agitatio labii inferioris, multæ salivæ effluxus, &c.

Causa est, quicquid superius orificium ventriculi infirmi offendere, & ad expulsionem, vel *copia*, vel *qualitate* mordaci, vel *substantiæ* ratione & dispositione irritare potest.

Curatio est *difficilior*, si omnes colores vomantur, quia difficiles in corpore affectiones significant. si vomitus sit prasinus, aut niger, quia calorem in venis insignem & magnam humorum corruptionem indicat, nisi vel ex quorundam ciborum cruditate proveniat, vel criticus sit. *Nulla ferè*, si sit lividus & graviter oleat, quia putredinem cum caloris nativi extinctione notat. si cum eo alia materia, quæ ex corruptione in corpore nigredinem, ipsa naturâ non nigra, contraxit. *Respicit* 1. *Ipsum Symptoma* urgens, quod sistendum. 1. *Revellentibus*, seu illa sint clysteres acres & fortes; seu calida extremitatibus apposita. 2. *Expultricis motum comprimentibus*, & ventriculum roborantibus. *Intra* laudantur *pillulæ Zacuti* l. 9. Hist. prax. cap. 1. num. 4. *Lignum aloës* pulveriz. & cum syrupo acetositatis citri exhibitum. *succus Cydoniorum* crudus, in cochleari propinatus, *laudanum opiatum*, vomitus. *Extra*, *Emplastrum theriacæ*, *Cataplasma* Zacuti, *Epithema* ex decocto absinthii, menthæ, in aqua ferrariorum.

Differentiæ à Causis præcipuè sumuntur.

I. Alius est à *Causis Externis*, ut sunt, cibi vel nimia copia sumti, vel qualitate noxia infesti, medicamenta emetica, (tum laudantur, *Theriaca recens*, *spiritus vini*,) potatio immodica & ebrietas, motus post cibum vehemens, insueta per mare navigatio, tussis valida, imaginatio & intuitus rerum abominabilium, percussio corporis, vulnus cranii, venenum assumtum, &c.

Alius

Alius eſt à *Cauſis internis*, ſive morbis ſive humoribus : de quibus ſequenti Differentia agetur.

II. Alius eſt *à morbis ventriculum infeſtantibus*, ut ſunt : Ulcus, Tumor, Anguſtia & parvitas, Occluſio oris inferioris, quorum ratio in Curatione habenda eſt.

Alius *ab Humoribus*, qui vel *ibidem naſcuntur* ; & tum in victu peccatum eſt, nauſea eſt continua : vel *aliunde affluunt*, & tum ratio partium eſt habenda: vel *in ventriculi cavitate latent*, & tum leviſſimo conatu rejiciuntur, ineſt tenſio & anxietas ex alimento, etiam ſine cibo fit vomitus : vel *tunicis adhærent*, & tum non vomunt niſi ingeſto cibo, citra cibum nauſea admodum moleſtat. Sunt autem. 1. *Chylus*, cui citò occurrendum, ne atrophia obrepat. accidit is in ulcere ventriculi. 2. *Fæces*, quæ in iliaca paſſione, ut & clyſteres, ejiciuntur. 3. *Sanguis*, qui *Aut* propter membri alicujus abſciſſionem, vel poſt ſuppreſſam aliquam ſanguinis evacuationem, ejicitur : ubi *diſſolvendus* eſt, ne putreſcat, *Oxymelite*, in quo *ebuli radix* efferbuit, poſt evacuandus. tandem *Reſtringendum* aquæ *Vrticæ major.* unc. vi. cum ſpirit. victroli q. ſ. ad gratiam aciditatem. Eſſent *Croci Martis* cum gelatina cydon. conſerva roſar. vetere, & tragac. exhibita. *Aut* propter vaſorum apertionem, ubi idem agendum. Valet in adſtringendo ſyrupo *de portulaca*, cum terra ſigillata. 4 *Bilis*, interdum per ductum cholagogum ſi ventriculo inſeratur, eo devenit; & tum natura humoris rejecti ſpectanda, vomitus jejunos magis moleſtat. *Salvatellæ* ſectione, ſi Zacuto credimus, interdum feliciter ſiſtitur. 5. *Pituita*, *Melancholia*, *Pus*, *Vermes*, *Caliculi*, &c. qua ſuis ſignis optimè deteguntur.

ARTICULUS X.

De Cholera.

CHolera, ſive illa ἀπὸ τῆς χολῆς, id eſt, bile flava, à qua frequentiſſimè oritur; ſive ἀπὸ τῶν χολάδων, ab inteſtinis veniat, *duplex* eſt: *Humida* & *Sicca.*

I. *Cholera humida*, quæ & *vera*, *eſt aſſidua & immoderata humoris pravi, cum vehementi perturbatione & violentia, per ſuperiora & inferiora rejectio, à facultate expultrice valdè irritata exorta.*

Signa ſunt, excretio frequens bilioſorum humorum, dolor ventris & inteſtinorum ingens, cardialgia, ſitis, pulſus parvus & frequens, quib. ſæpe animi deliquia, & extremorum refrigeratio accedunt.

Cauſa eſt materia acris & corrupta, ſeu ex cibis per ſe pravis, ut barbi piſcis ovis, fungis, *melonibus*, cucumeribus, prunis, pinguibus, *oleribus*, *porro*, cæpis, &c. exorta: ſeu alicubi nata, & ad ventriculum, ut in Differentia dicetur, tranſmiſſa.

Curatio eſt *feſtinanda* propter acumen mali; ſunt tamen quidam, quibus cholera & diarrhœa certis intervallis omnem corporis redundantiam evacuat. *Reſpicit* 1. *Evacuationis* alterutrius, ſi una nimia ſit, altera parca *promotionem.* 2. *Humorum temperationem.* 3. *Partis roborationem.* 4. *Virium & ſpirituum refectionem*, cui ſcopo *vinum* ſi febris abeſt, inſervit. 5. *Symptomatum mitigationem*, de quibus in Differentia.

Quantum ad *Differentiam*,

Alia eſt *quando materia irritans in ventriculo continetur*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod adſit nauſea, anguſtia, morſus ac dolor ventriculi. *Oritur* etiam à medicamentis purgantibus fortioribus. De *Curatione* nota, 1. Non cohibendum eſſe fluxum,

si evacuatio est copiosa, & vires non dejiciuntur. 2. In irritatione magna & evacuatione parva, promovendum vomitum lenioribus, purgationem benignè purgantibus, & laxantibus. 3. In evacuatione magna, & irritatione parva, simul adstringendum & roborandum. 4. Si vomitus est ingens, ducendam esse alvum; si fluxus alvi nimius, vomitoriis ex *sero lactis* cum syrupo rosarum confectis agendum. 5. Optimè sistere *Intra*, *Crocum Martis* ritè præparatum, Decoctum *caryophyl. mastiches*, & *rosarum rubrarum* in vino rubeo. *laudanum opiatum*: *Spongiam* salicib. adnasci solitam gr. iv. pondere in vino rubello. *Extra*, spongiam marinam in aceto fortiter bullitam, stomacho impositam.

Alia, *quando materia aliunde*, ex epate nempe, pancreate, intestinis, mesenterio, ád ventriculum *confluit*. *Cognoscitur* ex eo, quod febris maligna ferè adsit, & convulsiones infestent. Materia peccans tum est *bilis vitellina*, *flava*, *adusta*, *vel salsa*, *nitrosa*, *& corrupta*. In *Curatione* 1. Materiæ fluentis fluxus impediendus statim non est. 2. Si nimium fluit, vel seu ad cutim, seu ad urinæ vias, per medicamenta est avertenda: vel àd exteriora, per frictiones, ligaturas, & similia revocanda. 3. Eadem est temperanda, & partes roborandæ. *Intra* valet *Crystallus* dr. ſ. pondere exhibitus: *Extra* epithemata ex succo *Endiviæ*, *portulacæ*, cum farina hordei composita, & ventri applicata. In *Diæta* valet panis succo granatorum imbutus, &c.

II. *Cholera sicca*, quæ & *Notha*, *est spiritus flatuosi per superiora & inferiora, cum inflatione ventris, strepitu, & lumborum ac laterum dolore excretio.*

Signa & *Causa proxima* in Definitione sunt exposita.

Curatio, quæ etiam festinanda, *respicit* 1. *Spiritus*

tus flatuosi eductionem, & discussionem, ubi clysteres & decocta carminativa locum habent. II. *Causa*, à qua oritur, *ablationem*: de qua in Differentiis.

Quantum ad *Differentias*.

Alia est à *calore ventriculi igneo cibos corrumpente*, & in nidorosam materiam & acres vapores convertente; in qua, Cura ad intemperiem calidam obvertenda, & extra, æstuantia hypochondria refrigeranda.

Alia ab *alimentis acribus & flatuosis*, raphano, semine erucæ, ovis frixis, & similibus: & tum materia evacuanda, & diatrion piperion exhibendum.

Alia à *Bile atra*, & aliis humoribus adustis & salsis circa hypochondria latentibus, & alterius humoris permistione effervescentibus, prout videmus sales & spiritus salinos cum spiritibus acribus permistos, magnam spirituum copiam suppeditare.

TITULUS III.

De Affectibus intestinorum.

CAPUT I.

De Morbis intstinorum.

MOrbi intestinorum sunt præcipuè: *Inflammatio*, *Angustia*, *Vermes*, *Hernia*, *Vulnus*, *Vlcus*, & *Intestini recti* affectus.

ARTICULUS I.

De Inflammatione intestinorum.

I*Nflammatio intestinorum est eorundem tumor, à sanguine extra vasa in illa elapso & putrescente, exortus.*

Si-

Signa ſunt, dolor fixus & diſtendens, tumoris perceptio, ut inteſtina chordæ inſtar convoluta deprehendantur. alvi ſuppreſſio, urinæ interceptio, febris præſentia.

Cauſa in definitione expoſita eſt. Autumno ob tenuitatem, ſanguis inprimis, affluit, quia æſtate geniti humores tenues & mobiles autumni frigore inæquali in profundum corporis pelluntur.

Curatio eſt ad aliarum Inflammationum normam inſtituenda, & quidem citò, quia malum eſt acutum: & ſæpè in gangrænam & ſphacelum abit. In ea refrigerantia quæ exhibentur, abſque adſtrictione eſſe debent. A purgantibus planè abſtinendum, ne locus affectus exaſperetur.

Dividitur, ſecundum locum & Cauſas.

I. Alia eſt *per ſe*: de qua jam egimus. Alia ab *Exómphalo*, de qua ſuo loco. Alia ab *Enterocele*, in qua inteſtina ſtatim reponi debent. Alia à *Contuſione*, in qua reliquis quæ inflammationis cauſa adhibentur, aliquid lenientium & concoquentium addatur.

II. Alia eſt in *tenuibus inteſtinis*, quæ eſt frequentior, & in qua ſtomachi diſtentio, ſpiritus anguſtia, vomitus aſſidui, ut nec potus contineri queat, urgent, dolor & tormina magis ad ſuperiora vergunt. Alia *in Craſſis*, in qua dolor ad hypochondria magis pertingit, lumborum adeſt gravitas, vomitus non ita continuò durat.

ARTICULUS II.

De Inteſtinorum anguſtia.

ANguſtia inteſtinorum ex eo præcipuè *cognoſcitur*, quod fæces alvi non rectè per alvum excernantur.

Differentias pro ratione Cauſarum ſortitur.

I. Alia eſt *ab externis adſtringentibus & exſiccantibus*, ut cydoniis, & aliis, quæ ex relatione ægri & adſtantium cognoſcitur. In Curatione humectantia & emollientia, pinguia &c. requirit.

II. Alia à *Fæcibus induratis* obſtruentibus, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod nullus ſit tumor, dolor, fæces tamen non excernantur. *Oritur* eò præſertim loci, ubi tenuia deſinunt, & craſſa terminantur, vel à materia ſicciore & potu minùs diluta; vel à vicinarum partium calore, quicquid humidum eſt exſugente.

Curatur lenientibus, *balneo aquæ dulcis* cum herbis emollientibus, *pinguedine de anſere* aſſo, cum clyſtere infuſo, inflatione inteſtinorum per follem, quam clyſter fortis cum dr. ſ. ſalis gemmæ inſequi debet.

III. Alia ab *Inflammatione*, de qua ſuperiori capite dictum.

IV. Alia ab *Inteſtinorum* coalitu, *quæ incurabilis* eſt.

V. Alia ab *Hernia vel vermibus*: de quibus infra dicetur.

V. Alia à *Pituita craſſa*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quod cauſæ eam generantes præceſſerint, cruditas, alvi tarda dejectio, flatus plurimi, adſint. *Oritur* vitio victus & debilis inteſtinorum caloris; & ſi diu ibidem hæreat, ita craſſeſcit, ut inteſtina prorſus obſtruat. *Curatur* pituitam incidentibus, & clyſteribus acribus; de quibus vide caput de Colica.

Articulus III.

De Vermibus.

Vermes ſunt animalcula vermicularia, toto genere præter naturam in inteſtinis ex craſſo lento & viſcido humore, principium vitale ſui generis in

ſe ha-

ſe habente, à calore vivido per putredinem ſuſcitato, genita, functiones inteſtinorum impedientia.

Signa communia ſunt multa: nempe, fœtor oris, ſomnus inquietus cum ſaltu, tremor, ſtridor & crepitus dentium, pruritus & frictio narium frequens: facies pallida, nonnunquam per intervalla rubore ſuffuſa, oculi concavi & tenebroſi, quorum album in croceum vel pallidum mutatur, ſalivæ ex ore præter ſolitum defluxus, ventris diſtentio & inflatio cum murmure, morſus ventris & exacerbatio tempore famis. interdum fluxus alvi, vomitus, epilepſia. Si manè jejunis pueris ſupra os ventriculi frigida ſpargatur, in unum congregantur omnes, & habet hoc ſignum plus ponderis, ſi ætas ſit apta.

Cauſa eſt humor pituitoſus & viſcoſus, qui ab ingluvie, cibis facilè putreſcentibus, & craſſum ſuccum generantibus, ut caſeo, lacte, leguminibus, fructibus horariis, dulcibusque, ſaccaratis, mellitis, &c. oritur, quippiam ſemini analogum vi plaſtica inſtructum, vivificamque ἐπίκρασιν, quæ materiam ad hanc non aliam vermis formam recipiendam diſponit; diſpoſitam hac ipſa forma induit, habet, prout videmus ex abſinthio, ſale marino, equo, vitulo, mori foliis, caſeo, melle, peculiares vermes provenire.

Curatio, quæ *Difficilis*, ſi ſunt plures, majores, rubri & diverſicolores, viventes. ſi in febrium & acutorum initiis, ut & augmento, malitiâ morbi, ſymptomaticè excernuntur. *Perficitur* 1. *Enecantibus*, quæ amara, acria, ſalſa, tota proprietate infeſta ſunt, per ſuperiora ſed dulcibus miſta, ſemper; per inferiora, dulcibus præmiſſis, tum, cum infimis locis vel in inteſtino recto ſubſiſtunt, exhiberi debent. Illis oleum, ut in eo ſuffocentur. his butyrum quod vehementer reformidant, immiſcendum. Præcipua ex Enecantibus ſunt, *Calida corallina* in pulvere drach. j. pondere exhibita, *ſemen ſantonici*, *Centaureum*

taureum minus, *flores persicorum*, *myrrha*, *aloë*, *zedoaria*, *succus raphani & nasturtii*. *Frigida*, Cornu *cervi ustum*, aqua *portulacæ*, succus *endiviæ*, Aqua *graminis* cum pauxillo aceti & sacchari. Ex *Compositis* internis præstat pulvis *Doctoris Mencelii* prosoceri mei, Compositus ex *flor. centaurii minoris*, *Tanaceti*, *hyperic. ana dr. ii. flor. absinthii*, *sabinæ*, *persicor. ana dr. j. ſ. Radic. Dictamni albi*, *gentianæ*, *Asari ana dr. j. Coralliorum rubr. præp. Cornu cervi usti præpar. ana scrup.* ii. *semin. Cinæ*, *Portulacæ*, *Citri*, *Cimini*, *Seseleos*, *Caulium*, *Coriandri præparati*, *acetosæ ana drach. ſ. Rhabarb. electi dr.* j. *Myrrhæ*, *Croci ana dr. ſ. scammonii præpar. Trochisc. albandal. ana scr. ii. salis Absinthii scrup. ſ. Corallinæ unc. ſ.* quem pondere à scr. j. ad dr. j. jejuno stomacho duabus horis ante cibum in lacte vaccarum dabis. *Extra* laudatur cerotum xx *myrrhæ*, *Croci*, *Aloës hepat.* ana q. s. cum aceto rosarum & felle bovis compositum: & tum ori ventriculi, tum dorso applicatum. Plura vide apud Authores. II. *Expellentibus*, quæ sunt, *Butyrum liquefactum*, *oleum* copiosum, *insessus in lacte dulci fumante*, si vermes adhuc sunt vivi: *Diaturbith cum Rhabarbaro*, pillulæ, *Rufi*, de *trib. solutivis*, si sunt mortui.

Differentia sumitur ab ipsorum figura.

I. Alii sunt *Teretes*, seu rotundi, in quibus morsus ventris est vehementior, tussicula sicca frequentior, singultus, nausea, abominatio, syncope Cardiaca, insomnia turbulenta cum tremore, surrectione, clamore, maxillarum motione, &c. Clysteres in iis non conveniunt, nisi sint mortui.

Alii sunt *Lati*, in quibus sunt excrementa cucurbitæ seminibus non absimilia, inexplebilis ciborum appetentia, cita eor. quæ sumuntur dejectio, gracilitas & atrophia major dolor modò in dextris, modò in sinistris. Valent contra eas *Filix* vel ejus aqua, *Nu-*

ces

ces juglandes, *Theriaca* cum aceto vel ſucco limonum. De *lato lumbrico* vide *Tulpium* in obſervationibus.

Alii ſunt *Aſcarides*, in quibus eſt continuus dolor, pruritus circa anum moleſtiſſimus, ac ſi formicis plenus eſſet, cum gravitate dorſi, aſſidua ad egerendum irritatio, tineæ excretis alvi graveolentibus undique aſperſæ, &c.

ARTICULUS IV.

De Hernia inteſtinali.

H*Ernia inteſtinalis*, *eſt inteſtinorum de ſua ſede prolapſus.*

Dicitur Græcis κήλη, Latinis aliter *Ramex* & *Ruptura.*

Signa ſunt, tumor qui modò minuitur, modò increſcit. prout major portio deſcendit, vel flatibus aut ſtercore repletur, dolor adeſt nullus, niſi fortè fæces eo delapſæ ſint. Compreſſo aut reſupinato ægro, relabuntur inteſtina in abdomen, & quidem cum murmure, &c.

Cauſæ ſunt illa, quæ proceſſum à peritonæo productum, vel laxare vel rumpere poſſunt: ut in Differentiis dicetur.

Curatio non eſt *negligenda*, tum, quod membrana illa tenuis & nervoſa facilè uniri non poſſit: tum, quòd interdum æger inteſtinis inflammatis in vitæ diſcrimen conjiciatur, & inteſtina inflammata ſphacelo corripiantur. *Reſpicit* 1. *Inteſtinorum repoſitionem*, quæ ſi *Flatu turgent*, quod rugitus in inteſtinis & flatuum emiſſio patefacit, diſcutientibus agendum eſt: ſi *fæcibus induratis*, emollientibus tum clyſteribus tum cataplaſmatibus & fomentis. ſi *pituitosâ materiâ*, ſenſim per clyſteres & ſuppoſitoria evacuandum, & per interna incidentia

atte-

attenuandum: si istis nil proficitur, ad *Chirurgiam* (de qua authores consule) consugiendum. II. *Eorundem in suo loco retentionem.* Appropriata hic sunt, *Hippoglossum*, quod præstantissimum, *piloselle* pulvis in cibis exhibitus, *Perfoliata*, *Herniaria*. *Cinis lactentis leporis* in vino rubello propinatus, *semen sophiæ*, *herba filiculæ* pondere ana dr. ſ. pulverisata & data.

Differentiæ à Causis & locis, in quæ procidunt, sumuntur.

I. Alia est à *peritonæo rupto*, quæ *Cognoscitur* ex eo, quòd tumor subitò excitetur, qui etiam subito incrementum sumit; intestinum ad fundum usque prolabitur. *Oritur* à causis violentis, casu, conatu excernendi seu fœtum, seu alvi fæces, spiritus retentione, vocis intentione, vulneribus peritonæi, &c. In *Curatione*, ligaturâ adhibitâ, *Essentiæ consolidæ major.* Cochl. j. cum *Balsami salis gemmæ* gutt. ij. intra exhibebuntur. *Extra*, Emplastrum de *arietina* Villanovani, *Mynsichti* p. 364. Armam. Ejusdem *Vnguentum contra rupturam* p. 352. *Axungia Erinacei*, de qua apud Hartmannum, applicabuntur. Si nihil ista, à Chirurgia, (de qua apud Platerum) auxilium petetur.

Alia à *peritonæo laxato*, quæ ex eo *Cognoscitur*, quòd tumor sensim crescat, nec intestinum ad fundum usque descendat. *Oritur*, tum à peritonæi humiditate, unde pueri in herniam sæpe incidunt; tum ab illis quæ rumpunt, si peritonæum, sensim & sæpè, nec tam violenter impetant.

II. Alia est ὀσχεοκήλη, quando intestina in ipsum usque scrotum descendunt, visu dignoscitur. Alia *Bubonocele*, quando ultra inguina non delabuntur. Hæc interdum cutem valdè extendit, & sub eam exporrigitur, magnumque tumorem excitat. *Vtraque*, vel est ἐντεροκήλη, quando intestinum ileum maximè excidit;

excidit : vel ἐπιπλοκήλη, quando omenti aliqua pars. Vide *Geigerum in* Kelegraphia. Pertinet huc ἐξόμφαλος seu ὀμφαλοκήλη, cum luxatus vel ruptus umbilicus, nunc nucis, nunc pomi magnitudine ſeſe exſerit, imò interdum, ſacci inſtar, tumor aliquando excitatur. Si eſt *recens*, fovetur primò decocto *uſneæ, prunellæ*, in vino ſtiptico; poſtea *cataplaſma* ex plantagine & lentibus apponitur. Si eſt *vetus*, poſt ſimiles fomentationes, unguento ex *fungis nucum* cum decenti ligatura extrinſecus, eſſentiâ *conſolidæ majoris* cum *arcano ſalis gemmæ* intrinſecus, curatur.

ARTICULUS V.

De Ani procidentia, ac vulneribus, & Ulceribus inteſtinorum.

I. A*Ni procidentia*, *eſt exterioris in recto inteſtino partis, extra prominentia.*

Signis opus non eſt. *Cauſæ* in Differentiis dicentur.

Curatio requirit I. *Ani prolapſi repoſitionem*, quæ molliter manu perficitur, fomento ex emollientibus & humectantibus, ſi intumuit, præmiſſo. II. *Repoſiti in ſuo loco*, ſeu per decocta adſtringentia, ſeu per pulveres, è thure, maſtiche, &c. *retentionem*. Laudatur *Intra*, Decoctum *radic. prunellæ ſylveſtris* bibitum. *Extra* Cinis *ſcarabæorum pillularium* ſuper inteſtinum ſparſus.

Differentiæ à Cauſis petuntur. I. Vel eſt à *magno conatu*, qui *aut* fit in egeſtione fæcum ; & tum laxa alvus tenenda: *aut* in partu. II. Vel *ab irritatione magna*, quæ *vel* in dyſenteria vel teneſmo affligit, ad quæ Curatio obverti debet. *Vel* ab imbecillitate muſculorum, qui poſt alvi egeſtionem, anum propulſum retrahere ſolent, *ſeu* ob frequentem ani

proci-

procidentiam: *seu* ob refrigerationom, & tum nervi sunt roborandi, & intemperies frigida corrigenda. III. Vel à *Resolutione*, *seu* ob nervorum circa ossis sacri aut Coccygis regionem contusionem; ubi consolidantia locum habent: *seu* ob eorundem validam refrigerationem, de qua nunc dictum: *seu* ob abscessum vel fistulam circa musculos sphincteris exorta.

II. *Vulnera intestinorum* (taceo perforationes à vermibus, flatibus, &c.) vel sunt *Tenuium*, in quibus cibus & potus exit, bilis vomitu rejicitur, dolores cum febre magni adsunt, quæque quod tunica sit nervosa, & multis vasis referta, nulla ferè ratione, vel saltem difficillimè curantur. Vel *Crassorum*, in quibus stercus egreditur, alvus supprimitur, quæque, si sunt secundum longitudinem, & parva, facilius: si ampla & per transversum, difficilius curantur. Nullo modo, si livida evadunt. *Curationem* vide apud Practicos.

III. De *Vlceribus* in Dysenteria agetur. *Sphacelus* interdum, herniam, ileum, & *inflammationem* excipere solet. Accidit & in vulneribus, si extra abdomen prolapsa, ab aëre alterantur, & livida evadant.

CAPUT II.

De Symptomatibus intestinorum.

ARTICULUS I.

De Iliaca passione.

SYmptomata intestinorum sunt, *Iliaca*, *Colica*, *Alvi retentio* & *alvi fluxus*.

Iliaca est dolor in intestinis tenuioribus acerbus, à violenta continui solutione, cum tumore ventris ad similitudinem chordæ involuti, tantaque alvi obstructione, ut nihil descendat, sed humores & excrementa

menta interdum per vomitum violenter rejiciantur, exortus.

Pars affecta eſt inteſtinum ileon & reliqua tenuiora. Licet enim craſſa quoque aliquando affici poſſint; tamen in iis tanta vehementia & periculum non eſt, quia laxiora & ignobiliora.

Signa ſunt, Doloris ſenſus in inteſtinis ſuperioribus, ſupra umbilicum circumvolutus, acutiſſimus, ſurſum ſeſe ad dextrum potiſſimum latus extendens, inflatio & diſtenſio, vehemens, tumor epigaſtrii & inteſtini tenuis eminens, perfecta ſtercorum & flatuum cohibitio, ructus inanes nihil allevantes, murmura inteſtinorum tenuium, feréque ſuperiorum. Si malum intenditur, omnia ſurſum feruntur. hinc vomitus accedunt enormes, extremorum & totius corporis frigiditas, ſpirandi maxima difficultas, urinæ ſuppreſſio, &c.

Cauſa ſynectica eſt violenta continui ſolutio, ab obſtructione, eroſione, & aliis (de quibus in Differentiis agetur) procedens. Tum enim expultrix inteſtinorum ad expellendum, quod iis moleſtum eſt, inſurgit, & cum deorſum naturali modo movere nequeat quia viæ ad anum ducentes valida obſtructione obſceſſæ ſunt; vel quia pars dolens aut inflammata pondus aut acrimoniam humorum vel excrementorum perferre nequit; motu converſo & periſtaltico, contractis inteſtinorum fibris, ſurſum, primò noxia, deinde ob violentiam motus, omnia in inteſtinis contenta, protrudit.

Curatio eſt *Majoris ſpei*, ſi inteſtina ſecundum partem afficiantur. ſi pueris accidat, quia calidum innatum robuſtum habent, & humores minus acres & modaces. *Dubia*, ſi ſenes affligat, ſi ſtranguria ſuperveniat, niſi febre accedente, & materiam illam diſſolvente, copioſior urina fluxerit. ſi ſingultus, aut vomitus, aut convulſio, aut deſipientia

accedat. *Nullius ferè*, si ad stercoris vomitum, vel surditas, vel febris acuta, vel cum eadem & hypochondrio sublimi, parotides accedant. *Respicit* I. *Causas*: de quibus in Differentiis. II. *Dolorem*, qui emollientibus & Anodynis mitigandus. *Sanguis vespertilionis* hypochondriis illitus, mirificâ experientiâ valere creditur:

Differentiæ sumuntur à Causis.

Alia est *ab Externis*, ut aëre vel nimis calido exsiccante, vel frigido meatus constringente, lethalibus medicamentis & venenis, fabarum, pisorum, sorborum, cydoniorum, mespilorum, &c. usu. tum vomitui res committenda.

Alia ab *Internis*: de quibus sequenti Differentia.

II. Alia est à *Morbis* 1. *Vicinorum viscerum*, qui suis signis patebunt. 2. *Herniâ*: de qua superiùs diximus. 3. *Inflammatione*, quæ frequens est, & in autumno, qui æstate conceptos tenues & mobiles humores in profundum trudit, præcipuè accidit. Cognoscitur & Curatur, prout superius dictum est. 4. *Vlcere & aliis tumoribus*, nimirum scirrho, cum diuturna duritie, & cancro, qui vix curabiles. *Resident*, vel in *interioribus*; & tum stanti intestina quasi detrahuntur, difficilis est fæcum exclusio: vel in *exterioribus*; & tum tumor ipse est conspicuus.

Alia ab *Humoribus obstruentibus*, qui sunt 1. *Fæces induratæ*. Et in hac, omnia sunt mitiora. diuturna alvi obstructio præcessit. Emollientibus pinguibus intra & extra acceptis, curatio instituitur. Laudatur ex omento & intestinis vituli, cum brodio decoctis suffitus: intra *Cremor Tartari in* jusculis ad dr. j. ſ. exhibitus. 2. *Humores* vel crassi & viscidi, vel acres & mordaces; qui, si possibile, deturbandi.

Alia à *Flatibus*, in quibus clysteres ex sulfureis & salinis laudantur.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Colica.

C*Olica est dolor intestini coli, à rebus continuum solventibus exortus.*

Signa sunt, sensus doloris in intestinis crassioribus terebrans & perforans, præsertim in inguine sinistro, ubi colon angustius est, ab umbilico deorsum maximè delatus; hypogastrii inflatio ac distensio, fæcum ac flatuum suppressio, nausea, ructus, vomitus, dysuria; quæ certiora evadent ex antecedentium ἀναμνήσει, & consequentium ἀποδείξει. *Distinguitur* à *Nephritico*, quod magis pungat, amplum spacium occupet, post cibum propter compressionem ventriculi intendatur, minus dorsum & crura affligat, vagetur, & nullas in urina arenulas ostentet. Ab *Vterino*: quia hic mensium fluxu subsistente, plerumque accedit. Coxis & inguinibus tantùm communicatur.

Curatio est *festinanda*, quia dolor omnes vires ac spiritus dissolvit, & partes principes in consensum trahit. *Parvæ spei*, vomitus est creber, & potus retineri nequit, ac nihil vel parum excernitur. si in abscessum intestini coli mutatur. si in dorsi dolores, materiâ quæ in hypochondriis continebatur fusa, & in spinam delatâ, abit, & malignitate contractâ, Epilepsiam gignit. *Perficitur* 1.*Causarum* (de quibus in Differentiis agemus)*ablatione*. 2.*Doloris mitigatione*, si nimis vehemens est. Ubi *nota*. Clysteribus anodynis commodissimè agi. *Externorum* frequentiorem usum, si aliqua præcessit evacuatio, esse posse. *Narcotica*, nec viribus fractis, nec in causa frigida locum habere. *Compositorum* quàm simplicium tutiorem usum esse. Securiùs eadem per alvum infundi,

quàm ore ſumi. *Appropriatorum* nunquam obliviſcendum, ut ſunt *inteſtina lupi* exſiccata & pulverizata, *teſticuli equorum*, *pulvis Quercetani* ex Tunicæ interioris ventriculi gallinæ & ſtercoris albi ejuſdem ana unc. ſ. pulveris pelliculæ interioris, quæ in putaminibus ovorum reperitur, dr. ii. ſ. Herniariæ, Cinnamomi ana ſcr. iv. Nucleor. meſpilor. dr. ii. ſemin. Aniſi, fœniculi ana dr. j. Compoſitus, doſi à dr. ſ. ad. j. ad ſummum cum vino albo, &c. Ad *præſervationem* præſcribit Crato, 1. *Clyſterem* ex decocti veronicæ in juſcul. gallin. ℔. j, addendo vini Malvatici ℔. ſ. Myrrhæ. dr. ſ. confectum. 2. Extra; oleum Myrrhæ. 3. Poſt cœnam tribus horis ſc. j. *Zedoariæ* inciſæ. 4. Singulis menſibus manè ante cibum *Theriacæ* ſcr. j. Vide plura in Practicis.

Differentiæ vel à parte ipſa, vel à cauſis ſumuntur.

I. Alia eſt *Totius inteſtini*, in qua dolor eſt circa utrumque ilium, & infra ventriculi propè umbilicum regionem, quæ etiam eſt periculoſa. Alia *Partis*, in qua, ſi *Principium* urgetur, dolor in ilio dextro affligit: ſi *Medium*, in ſiniſtro ſe oſtendit: ſi *Finis*, umbilici regio à ſiniſtro proxima dolet. minus periculi propter clyſterum acceſſum oritur. ſed nota, interdum ilium, cum dolore ſupra umbilicum in hypochondriis affici.

II. Alia eſt à *Morbis*, ut 1. *Vermibus*, quorum ſigna & Curationem vide ſuo loco. 2. *Inflammatione inteſtinorum*, quæ ſuperius deſcripta eſt, & eſculentis ac potulentis calidioribus irritatur. 3. *Calculis*: de quorum cura alibi.

Alia ab *Humoribus*, 1. *Craſſis & viſcidis*, inter inteſtinorum tunicas hærentibus, quæ ex eo *Cognoſcitur*, quod dolor pali infixi ſpeciem, ob tunicarum violentam eo loci diſtenſionem exhibeat, nec ructibus vel flatibus emiſſis demulceatur, & ipſum inteſtinum,

num, quod à pituita vitrea fit, corrodatur. *Oriuntur* inprimis in illis qui crapulæ & otio dediti sunt, & in quibus bilis, expultricis stimulus ad eã loca non defluit. In *Curatione* nota, 1. Clysteres fortiores, à principio injectos & iteratos, quòd materiam agitent, sed non educant, nocere magis quam prodesse. 2. Non utendum in attenuatione insigniter calidis, ne materiâ subitò resolutâ, flatus multiplicentur. 3. Ad attenuandum & discutiendum valere *Oleum Zedoariæ* à gutt. iii. ad scr. j. sæpius exhibitum, *marrubium album*, *decoctum veronicæ*, oleum *Corticum aurantiorum* ad gutt. iv. cum vino exhibitum. 4. Si dolor perseveret, ad sicca fomenta transeundum, quibus id quod liquatum & attenuatum erat, exsiccetur & discutiatur. 5. Ab *Agarico* ob metum vomitionis, quæ tum minimè tuta, abstinendum. 6. Ubi mitiora purgantia prodesse nolunt, *Essentia trochiscor. alhandal*, cum vino malvatico destillato extracta, & *Spiritus vitæ aureus* Rulandi ab unc. s. ad unc. j. s. ad summum, exhibenda. 7. Ab *Opiatis* in totum desistendum. II. *Acribus* & *biliosis*, in tunicis & vasis hærentibus, qui *Cognoscuntur* ex dolore acuto, siti, oris amaritudine, vigiliis. licet à primo clystere fæces ejiciuntur, postea tamen nihil ferè evacuatur, sæpè conjunguntur febres tertianæ, duplices, nothæ. In *Curatione* nota, 1. Colicam ab istis causis diuturnam esse, & multis recidivis ægrum affligere solere. 2. Humores istis ad articulos missos arthritidem, ad dorsum, dorsi dolores, ad nervos, paralysin excitare. 4. *Extracto Rhabarbari*, vel *hierâ picra*, cum refrigerantibus, ne caliditate officiant, mistis, optimè deturbari. 5. Si dolores post evacuationem durarint, *malvaticum* cum oleo amygdalorum dulcium bene exhiberi. 6. Lac calidum in clysteribus etiam dari cum melle mercurialis

posse. 7. In Diæta, *cucurbitæ fructus*, naturali quadam proprietate, ei adversari.

III. Alia est à *Fæcibus duris & retentis*, de quibus superius; & in quibus, in principio ab omnibus purgantibus per superiora exhibitis, ne excrementa moveant, abstinendum.

Alia à *Flatibus in cavitate contentis*, exitu carentibus, qui *Cognoscuntur* ex ventris tensione, rugitu, murmure, quæ in flexu sinistri lateris se produnt. *Oriuntur* inprimis à cibis fermentationem humorum producere aptis; quales sunt, fructus fugaces, uvæ, mustum, cerevisia recens vel fæculenta, &c. In *Curatione* observa: 1. Curam à clysteribus Anodynis & emollientibus inchoandam esse. 2. Si hi nil prosint, laxans aliquod ex Manna, oleo amygdal. dulcium, & aliis in jusculo pingui exhibendum. 3. Hinc, discutientibus utendum. Laudantur intra, *Clyster* ex vini Malvatici & ol. Nucum ana unc. iii. Aquæ vitæ unc. j. ol. *Junip.* & *Rutæ* destill. ana dr. ii. compositus, & *calidissimè applicatus.* Mixtura ex *spiritus vini & spir. nitri* ana dr. ſ. vel scr. ii. in aqua communi tepidè exhibita. Tincturæ *cortic. aurantior.* cum spiritu vini extractæ, cochlear unum. *Sperma ceti* cum ol. amygdal. dulcium. *Extra* Gummi *tamacahacæ* & *carannæ* umbilico impositum, Balsamus *Antapoplecticus*, cum gr. j. vel altero *Zibethi*, &c.

IV. Alia est *Exquisita*: de qua hactenus dictum.

Alia *Notha*, cujus causa vel in peritonæo, vel in membranis, quæ abdomini ventrisque partibus obtenduntur, hæret. *Cognoscitur* exinde, quod dolor sit gravissimus, & admodum diuturnus, ac neque clysteribus, nec medicamentis, neque fomentis; neque iis remediis, quibus, qui verè sunt colici dolores, deliniuntur, deliniri possit: & quod diuturnis febribus, aliisque biliosis morbis, quorum est difficilis

lis solutio, succedat. Natura quippe, crisin noxiique humoris depulsionem, in alvum molita, quum nusquam evacuandi viam promtam & expeditam nanciscitur, illum è venis & visceribus in membranas sæpe avertit, ubi dolores exsurgunt priore morbo graviores. Observatum à *Fernelio*, & continuas & tertianas, sæpius quartanas febres hisce doloribus finiri, qui diu circuitu certo exacuebantur, paremque accessionum ordinem retinebant. Vide de ea *Matthæum Martini* in De morbis Mesenterii.

V. Alia est *quæ ad paresin tendit*, quam Palmarius *Syrupo* ex vini albi unc. vi. Aquæ Rosar. unc. ii. pulver. Alarbazi, seu Antim. præp. dr. j. Cinnamomi electi dr. j. s. per noctem infusis, & per inclinationem colatis, additis saccari unc. viii. composito, dosi ab unc. s. ad j. post haustum juris pulli, tollere solebat.

ARTICULUS III.
De Alvi retentione.

A*Lvi retentio est fæcum vel nulla, vel pro ratione assumtorum admodum parva dejectio.*

Signis opus non est. *Causæ* in Differentiis exponentur. Curatio non est *negligenda*. Inde enim vapore caput tentatur, universum corpus ingravescit, ventriculi concoctio impeditur, & appetitus dejicitur, lumbi imbecilles (gravatis scil. renibus, excitatoque in eis præternaturali calore) redduntur. *Movetur* interdum alvus sternutatione & tussi; interdum, si æger nudis pedibus humi obambulet, &c.

Differentia à facibus & intestinis sumitur.

I. Alia est *Vitio fæcum*, quæ vel *non sunt*, propter inediam & ciborum euchymorum usum. Vel *non stimulant*, seu *propter* minorem quantitatem: seu *propter* bilis, quæ vel ad alias partes, ut in ictero, delata est; vel ex cibis frigidioribus non gignitur,

carentiam. Vel *Duræ sunt*, seu *propter* inediam & calidum corporis habitum; seu *propter* diutinam cohibitionem, quâ fit, ut continenter siccescant, & mesenterii venæ aliquid succi exsugant; seu *propter* cibum crassiorem, viscidiorem, adstringentem, primâ mensa sumtum, non dilutum; majore hepatis & renum calore: & *tum* Partium istarum ratio habenda est. Emollientibus agendum. Probatur *linimentum* Solenandri, quod ex ol. amygdal. dulc. recent. pinguedin. anserin. butyri majal. ungu. dialtheæ ana dr. ii. Colocynthid. gr. xvj. salis scr. j. f. specier. hieræ simpl. scr. j. Diagridii gr. IV. componitur, si eo umbilicus inungatur.

II. Alia *vitio intestinorum*, quæ, vel *non sentiunt*, seu *ob* diuturniorem assuetudinem, *seu* stuporem; qualem infligunt veternus, paralysis, apoplexia; *seu* pituitæ tunicis adhæsionem. de qua in colica. Vel *non dimittunt*, seu *ob* viarum angustiam, ab intestinor. obstructione, de qua superius: *vel* mesenterii aut viscerum intestina prementium tumore; *seu* musculorum abdominis vitiis; *seu* retentricis ex moderata siccitate robore.

ARTICULUS IV.

De Alvi fluxu.

PUNCTUM I.

De Lienteria, & Cœliaca.

ALvi fluxus sunt, *Lienteria*, *Cœliaca*, *Diarrhæa*, *Dysenteria*, & *Epaticus fluxus*. *Lienteria est nimis celer, alimentorum ea forma qua assumta sunt, per alvum excretio, vitio retentricis & expultricis ventriculi & intestinorum proveniens.*

Signa sunt evidentia, sive consistentiam, sive colorem,

lorem, odorem, & cæteras aſſumtorum qualitates ſpectes.

Cauſam in definitione in Retentricis & expultricis vitia conjecimus: de quibus inferiùs in Differentiis.

Curatio eſt *feſtinanda*, quia hoc ſymptoma à magna caloris nativi proſtratione, & toni ventriculi debilitatione provenit. *Difficilis* eſt, ſi acutis & chronicis morbis ſupervenit, quia vires ſunt dejectæ. *Reſpicit* I. *Cauſam*, quæ auferenda. II. *Symptoma*, quod ſiſtendum per adſtrigentia & ventriculum ac inteſtina roborantia.

Differentia à Cauſis ſumitur.

Alia eſt *vitio Retentricis*, quam lædunt I. *Refrigeratio inteſtinorum*, quam infert 1. *Immoderatus frigidæ potus*, præſertim cum corpus æſtuat, aër auſtrinus nimis humidus, intenſe frigidus in raræ texturæ corporibus præſertim, &c. 2. *Intemperies frigida*, quæ à pituita ſeu ibidem genita, ſeu aliunde miſſa, oritur, rugas inteſtinorum obducendo, eadem lubrica & laxa reddit, calorem obtundit, & venarum meſaraicarum oſcula obturat. In hac plerumque Cœliaca præceſſit. diuturnæ, ructus acidus, qui prius non fuit, ſuperveniens, bonum ſignum eſt. *Curatio* exigit materiæ ſeu per vomitum, ſeu per alvum deturbationem, cui *Myrobal. Chebulæ, Citrin. Tamarindi*, *Rhabarb*. inſerviunt. Ejuſdem per ol. *maſtichin. deſtill. abſinth. mentham*, &c. cohibitionem. Ventriculi roborationem. Diætæ uſum, in qua vinum locum habet. II. *Laxitas*, ab oleoſorum pinguium & emollientium diuturno uſu. unde mollificatio nimia pylori; quo pertinet & reſolutio nervi ſextæ paris villos interioris tunicæ conſtringentis. III. *Aliena qualitas* inuſta, & quidem *vel* à perverſa cœli conſtitutione, quod fit in populari lienteria: *vel* fungorum, melonum, cucumerum, &c. intempeſtivo eſu. IV. *Cicatrix denſa & lævis*,

qualis magnæ Dyſenteriæ & ulcerationi profundæ ſuccedere ſolet, quæ denſitate ſua obturatis meſaraicis diſtributionem, lævitate retentionem præpedit. Hæc acrium rerum comeſtione, attenuantibus & abſtergentibus validis, *ſinapi*, *cæpis*, *alliis*, *melle roſac. oxymel. ſcillitico*, admixtus parùm adſtringentibus, veluti defricanda & abſtergenda eſt.

Alia *vitio Expultricis*, quæ irritatur 1. Ab *ulceroſa diſpoſitione* ſuperficiei inteſtinorum & ventriculi, aphtharum inſtar inſidente. *Cognoſcitur* exinde, quod cœliaca non præceſſit, ſenſus morſus & dolor ventriculo ineſt. *In Curatione*, ſi *ventriculus* peccat, vomitoria vitentur, alvus lenientibus cum adſtrictione quadam laxetur. pinguia vitentur. Si *inteſtina* ſunt affecta, vomitus prodeſt. 2. Ab *humoribus* acribus, ſive ibi genitis, ſive aliunde, ex jecore præſertim allapſis. *Cognoſcitur*, ut ſuperior diſpoſitio. *Curatio* eſt *ardua*, ſi eſt diuturna, quia in dyſenteriam tranſit. ſi ſit cum difficili ſpiritu & *lateris punctura*, & humor ex cerebro ſit delapſus, *ita ut pars* ejus in thoracem decubuerit, quia in tabem deſinit. ſi longa cum torminibus, lumbricis & doloribus, quia iis ſolutis comitem habet intumeſcentiam. Acredo demulcetur decocto hordei, cichoraceis & aliis refrigerantibus. Si diu perſeveret Rhabarbarum in aqua roſarum præparatum, efficax eſt. 3. A *veneno hauſto*, & tum Alexipharmaca ſunt admiſcenda. Commendatur *ſuccus dictamni* cum ſyrupo granatorum.

II. *Cœliaca eſt celer eſculentorum & potulentorum ex ventriculo ad inteſtina tranſitus, quo illa chyli aut cremoris ſpecie profluunt.*

Signa ſunt evidentia. Tranſitus ille ſex vel octo horas poſt cibum fit, ita ut tenuiores quidem & ſubtiliores alimenti partes alterentur & concoquantur, & ſic corpori in alimentum cedant; corpus tamen, quia

quia non sufficienter nutritur, contabescat. pulsus est frequens, & calor tanquam febris affligeret, dejecturis, leviculæ animi defectiones obrepunt. ante eruptionem abdomen distenditur, venterque prominet.

Causa ipsius præcipuè est, *mala chyli distributio*, quam peperit, vel *Mesenterii*, *lienis*, *hepatisve obstructio*, & *tum* chylus excernitur albus, obstructiones sunt aperiendæ. Vel *trahentis in epate facultatis imbecillitas*: & *tum* chylus colore subrufo nonnihil tinctus est. hepar est roborandum. Vel *alimentorum* fugacium & potus immoderata *copia*. Hinc enim multa illuvies successu temporis congeritur, aucta in illis partibus corrumpitur. copia vel qualitate expultricem stimulat.

Curatio causas respicit, ut diximus, vacuato humore omni supervacuo, profluvium sponte conquiescit, interdum eodem quo cœperat die, interdum postero.

PUNCTUM II.

De Diarrhœa.

D*iarrhœa est immoderata*, *frequens*, *ac diuturna alvi dejectio*, *qua humores excrementitii & sinceriores*, *quantitate vel qualitate expultricem ventriculi & intestinorum stimulantes*, *sine phlegmone*, *lienteria*, *exulceratione*, *tenesmo*, *aut vehementi doloris sensu*, *profluunt*.

Signa non est quod tangam: sunt enim in definitione exposita.

Causa est omne id, quod expultricem ventriculi & intestinorum vim, præter naturam irritat ac intendit; retentricem contrà debilitat ac destruit, sive id per se, sive per consensum fiat.

Curatio est *difficilis*, si muliere prægnanti accidat,

dat, quia alimentum fœtui ſubtrahit, ligamenta per concuſſum laxat, & tetrorum vaporum elevatione, abortum infert. *Facilior*, ſi vomitus ſuperveniat, quia materia ab inferioribus ad ſuperioria revellitur. ſi poſt ophthalmiam accidat, quia materia à ſuperioribus ad inferiora revellitur. ſi Leucophlegmatia detento, etiamſi ſit fortis, ſupervenerit, morbi initio, integris viribus ac ſalvis viſceribus, quia materiæ morbum facientis à toto habitu, per alvum fit evacuatio. *Non ſtatim tentanda*, ſi qualia oportet purgantur, ſi confert & facilè ferunt, ſi febris abeſt. Sæpe enim uno die vel pluribus fluere alvum, pro valetudine eſt, ſi intra ſeptimum diem id conquieſcat. ſi præſumitur ex conditionibus eſſe critica. *Peragitur*, I. *Materiæ* ipſius *evacuatione*, per *Rhabarbar.* in ſubſtantia, *Mechoacannam*, *Tamarindos*, *Myrobolanos*, & ſyrupum *roſar. ſolutivum.* II. *Revulſione*, quæ per venæſectionem, vomitum, frictiones, ligaturas, urinas, ſudores perficitur. III. *Adſtringentium uſu*, ex quibus, ſi ſimplicia ſpectentur, præcipua ſunt, Radices *Tormentillæ*, *plantaginis*, *caryophyllatæ*, *prunorum ſylveſtrium.* Folia *plantaginis*, *lyſimachiæ*, *burſæ paſtoris.* Semina *portulacæ*, *naſturtii toſti.* flores *Roſarum*, *balauſtia.* Ligna, *ſantalum rubrum.* Aromata, *Nux moſchata.* Mineralia, *Terra ſigillata*, *Bolus Armenus*, *Cryſtallus*, *&c.* Si compoſita, ſunt, Tragæa *granor. actes* Quercetani Pharmacop. c. 21. *Oſſa hominis calcinata*, *Terra dulcis vitrioli*, *Crocus Martis*, *Cornu cervi uſtum*, *Theriaca recens*, *conſerva roſarum antiqua*, *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Sperniolæ compoſitum*, & ſi fluxus ſit nimis vehemens, *Philonium Romanum*, & *Laudanum opiatum.* IV. *Diæta*, in qua locum habet, aqua *chalybeata.* Emulſio *amygdal. dulcium* in aqua tormentillæ, vel decocto *foliorum quercus*, pulvis diatragac. in ovis ſorbilibus, &c.

Dif-

Differentiæ Diarrhœa ſunt variæ.

I. Alia eſt *ab Externis*, ut medicamentis *purgantibus*, hypercatharſin cauſantibus; quæ ſiſtitur *radice filipendulæ* in vino exhibita, lacte chalybeato per clyſterem infuſo, *laudano opiato*: *venenis*, cui alexipharmacum opponendum, ſmaragdi inprimis præpar. grana aliquot, in aqua conveniente. Alia *ab Internis*: de quibus infra.

II. Alia eſt *à Toto*, quæ eſt *vel* cum febre, *vel* ſine febre, ut ſequente differentia dicetur. Alia à *parte aliqua*, quam Differentiâ quintâ vide.

III. Alia eſt *cum febre*, materiâ fluxum excitante, à toto tranſmiſſa, quæ *cognoſcitur* ex eo, quod cruda admodum humida & aquoſa, vel frequenter & paulatim, vel multum & confertim cum ſtridore ejiciantur, & febris ſigna adſint. *Curatur difficilius*, ſi in morbo diuturno cum cibi faſtidio, ſincera, id eſt, quæ nullam humiditatem aquoſam permixtam habent, dejiciantur, quia exuſtionem humiditatis nativæ à calore debili indicant. ſi cum ſtridore crebro, & nimium excernatur, quia ille crudam vitioſorum humorem dejectionem indicat; iſtud, quia frequent deſidendi labor inſomnium facit; hoc quia periculum defectionis imminet: ſi craſſa, alba, viridia, crocea, ſpumantia deponuntur, quia cruditates, impeditum fluxum, bilis flavæ in inteſtinis copiam, ſpiritus flatulenti cum humore commixtionem demonſtrant. *Nullo interdum modo*, ſi dejecto ſit nigra, pinguis, livida, æruginoſa & fœtida. *Curatio* iiſdem adminiſtratur, ut ſupra habita febris ratione. *Dividitur* dupliciter. 1. Vel eſt *Critica*, quæ ſinenda & promovenda, vel *Symptomatica tempore*, quam natura à materiæ copia vel qualitate ſtimulata, ante coctionem, ſed cum virtutis robore inſtituit; quæ nec ſiſtenda nec promovenda, nec interdum naturæ relinquenda,

da, ſed materia evacuanda, revellenda, alteranda. Vel *Symptomatica planè*, quæ à cauſa morbifica irritata, illaque quaſi invita fit, cui per ſuperiùs enumerata remedia occurrendum. II. Vel eſt *Colliquativa*, vel *Non*: de quibus vide ſequentem Differentiam.

Alia eſt *ſine febre*, quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod humor rarò ſub propria forma: ſed mutatus excernatur; & quod nimia cibor. corruptorum ingeſtione, vel aliis cauſis proficiſci, nullis ſignis indicetur; partis alicujus ſingularis affectæ nulla ſigna adſint. *Fit aliquando*, quando ſeroſi humores leucophlegmatiæ cauſa, per alvum excernuntur; vel quando hominibus ſanis, quibus ſerum in venis plurimum redundat, frigus autumni nocturnum aut matutinum, altius in corpus penetrans, à vaſis exterioribus, ſeroſos humores verſus interiora, & in majores venæ cavæ meatus repellit; qui tandem ad viſcera *delati*, & ad meſenterii ramos repentes, in *inteſtinorum cavitatem* confluunt. De Curatione nota: *Medicamenta* rectius *in ſolida forma* exhiberi. *Vomitoriis* oleum immiſcendum non eſſe. Incraſſantibus & abſtergentibus ſimul agendum. ſeroſitatem per *ſudores* optimè diſpelli.

IV. Alia eſt *Colliquativa*, quæ aliàs fluxus colliquativus vocatur: quæ *Cognoſcitur* ex eo, quod excrementa ſint plerumque vario colore prædita, plerumque fœtida, aliquando pinguia & viſcoſa; quod adſit febris vel ardens, vel maligna, vel hectica, corpus ſtatim præter modum extenuetur, &c. Accidit in febribus ardentibus, hecticâ, phthiſi, inflammationibus, in quib. à calore ingenti non ſolùm humores in venis, ſed & proximum partium alimentum colliquatur; & ſi tenuius eſt, diſſipatur; ſi craſſius, ad ventrem confluit. *Curatio* eſt ut plurimum fruſtranea, in hecticis præſertim, & phthiſicis, quibus

bus capilli defluunt. Refrigerantibus, humectantibus, & nonnihil adstringentibus agendum: quæ non tam extra quàm intra adhibenda, ne caloris præter naturam effluxus impediatur.

Alia *Non colliquata*: de qua in tertiâ Differentiâ.

V. Alia est *ab Intestinis*, quando materia Diarrhœam ferens in iis exsistit, & tum in *Causa* sunt 1. *Vermes* interdum, quorum signa præstò erunt, & suis medicamentis pellentur. 3. *Venarum mesaraicarum*, ut chylum non attrahant, qui ibidem collectus, intestina copiâ suâ stimulat, *obstructio*; & *tum* chylus albus excernitur. atrophia, si fluxus diu duret, consequitur. Aperientibus maximè agendum est, & quidem eis, quæ simul epati sunt utilia, nec alvum irritant.

Alia *à Cerebro*, quod pituitam insipidam vel salsam in intestina, noctu inprimis, ægro supino dormiente, mittit, quæ vel lubricam ventriculi & intestinorum tunicam facit, vel cibis commixta concoctionem labefactat. *Cognoscitur* ex eo, quod signa infirmitatis cerebri adsint, & balbis maximè, propter humiditatem, familiaris sit. In *Curatione* vitandi *gargarismi* & masticatoria, ne materia Catarrhi in stomachum trahatur. *Vesicatoria* ad primam & secundam cervicis vertebram apponi possunt.

Alia à *Ventriculo*, quæ *Cognoscitur* ex signis affecti ventriculi. *Oritur*, vel à *cibis corruptis*, seu per se; *tum*, quia natura valdè irritatur, reliqui in corpore humores concitantur, mala dispositio ventriculo inducitur. Diarrhœa periculosa est: seu propter assumendi modum, & *tum* minus est periculi. Vel ab *humoribus*, ob vitiatam concoctionem *excrementitiis* ibidem collectis, qui interdum etiam aliunde mittuntur, ab hepate propter malitiam non attrahuntur, & expultricem ad excernendum stimulant.

Curatio nihil singulare habet.

Alia

Alia *ab Epate*, quod vel *obstruitur*, aut in sima parte, ubi de obstruentibus agendum; aut in gibba, & tum Diuretica prosunt. Vel *bile nimis abundat*, & tum intemperati epatis signa aderunt. In *Curatione*, laudatur ratione adstrictionis, *Caseus antiquus*, comminutus, aqua aliqua refrigerante & adstringente ablutus, & in sartagine tostus. Diuretica ne sint acria.

Alia à *Liene*, qui humorem melancholicum collectum, vel aliunde acceptum deponit, ita ut dejectio, picis instar interdum nigra sit, propter sanguinem ex aperto in hypochondriis vase in intestina effuso, ibique in nigredinem exusto; *& tum* Lienis affecti signa adsunt. Sanguis extra vasa elapsus & concretus, si sistatur lipothymiam & alia gravia mala infert. Scorbuticum malum interdum concurrit. Ne humor mordax intestina exulceret, clysteres detergentes & temperantes sæpe injici debent.

Alia *ab Vtero*, quando humores & *menses detenti* ad epar deducuntur, inde ad intestina. *Tum periodi* interdum servantur. Ratio mensium in Curatione habenda est.

PUNCTUM III.

De Dysenteria.

D*Ysenteria est alvi frequens cruenta, & purulenta, cum dolore ventris, & intestinorum exulceratione, à materia acri, erodente, & peculiariter intestinis infesta, dejectio.*

Nomen Dysenteriæ etiam Diarrhœæ tribuitur, in qua humores qui excernuntur tormina inferunt, licet exulceratio absit: & cum hac, si sanguis interdum excernitur, fit id à reseratione vasorum potius, quàm intestinorum exulceratione.

Signa sunt, frequens alvi dejectio, quia inteſtina ab humoris acrimonia ſtimulantur; interdum continua, ſi materia ſuppeditatur, interdum periodicè de tertio in tertium rediens. Dolor ventris ac tormina præſertim excernendi tempore, & paulò ante excretionem. quæ excernuntur, ſunt modo bilioſa & varia, modò mucoſa & cruenta, modò toto genere à naturali excrementorum genere aliena. Febris interdum ſtatim in principio, interdum ubi per aliquot dies affectio duravit, propter inquietudinem & putredinem oboritur. Differentiam à *fluxu hepatico*, vide in hujus capite. Ab *abſceſſu*, ad cujus eruptionem eliquationes quaſi puris conſequuntur, differt, quod in iſto dolor pulſatilis juxta affectum locum præcedat, neque morſus neque decurſus adſint, &c.

Cauſa ſunt humores acres inteſtina erodentes, iiſdem peculiariter infeſti, & neſcio quid antimoniale, helleborinum, vel aliquid pulmoni marino, pulmoni, & cantharidibus veſicæ infeſtis, ſimile continentes. Hi per contagium dyſentericum infecti, in venas & arterias penetrantes, fermentationem efficiunt, & ſimilem ſibi diſpoſitionem, per μίασμα, toti maſſæ ſanguineæ imprimunt, ac eandem cum aliis humoribus more purgantium concitant: pravam quoque diſpoſitionem inteſtinis affigunt, ita ut chylus præterfluens, in humorem vitioſum mutetur, nec fæces alvi naturalem elaborationem & qualitatem recipiant. Interdum occultis aſtrorum influentiis, in corporibus humanis tales redduntur. Hinc pueri lactentes, qui in aërem liberum nunquam venerunt, & lacte materno tantum alebantur, dyſenteria interdum afficiuntur. *Dant* autem iis *ortum*, *Aqua* per plumbeos & veteres canales derivatæ. *Aër* vernus poſt hyemem ſiccam & aquiloniam pluvioſus & auſtralis, tum propter prohibitam

humorum exſiccationem; tum propter vim putreſcentem in humido validam: Calidus & ſiccus, inde initio autumni & fine æſtatis morbus excitatur, & in calidiſſimis regionibus potiſſimùm viget. *Cibi* pravi & inſoliti. hinc in Ægypto & India, quia carnibus animalium, quæ caſſia fiſtulari nutriuntur, veſcuntur, frequens. *Fructus* autumnales, tum quod facilè putreſcant, tum quod eos qui putreſcunt, adſtrictione retineant. Uvarum & muſti uſus, quod fermentationem faciant, & à rubigine, carbunculo, nebulis, facillimè afficiantur.

Curatio eſt *difficilis*, in mulieribus, propter mollitiem & virium dejectionem: in pueris, propter humidiora, & ideò putredini obnoxia inteſtina; in ſenibus, propter magnitudinem cauſæ, id eſt, humorum acrimoniam in corpore indiſpoſito, & virium dejectionem. *Dubiæ ſpei*, ſi dejectiones ſint ſinceræ, id eſt, nulla aquoſa humiditate *permixtæ*. ſi ei effuſio puri ſanguinis adveniat, *venas enim majores* eroſas indicat. ſi cibi faſtidium *cum febre affligat*, quia ventriculo in conſenſum tracto, concoctio labefactatur, & ulceroſa aliqua in inteſtinis putredo adeſt. ſi vomitus bilioſus initio oboriatur, quia magna vis bilis æſtuantis indicatur, quæ ventrem ſuperiorem & inferiorem turbat. ſi dejectio ſit continua, vel ea ceſſante novus fluxus dilutus, cruentus, inſtar hepatici, aut fœda Diarrhœa ſubſequatur. ſi cum febre, aut variis alvi dejectionibus aut epatis inflammatione, &c. invadat. ſi mulieri gravidæ accidat, nec poſt ſecundinæ & fœtus excluſionem remittat. *Alicujus*, ſi excrementa mutentur, niſi mutentur in prava. ſi ructus vel crepitus ventris ſuperveniat, quia naturam coctionem incipere indicio eſt. ſi lienoſis ſuperveniat, quia humores melancholici tranſponuntur, ubi bene ſanguis melancholicus, in inteſtinis concretus, ab atra bile diſtinguendus eſt. ſi maniam excipiat,

piat, quia materiam à capite ad inferiora transferri indicio eſt. *Nullius ferè*, ſi ſua ſponte, nulla præcedente febri, neque concoctione bona apparente, atra bilis excernitur, quia nihil à cancro exulcerato differt. ſi convulſiones & deliria ei ſuperveniant. quia materiam ad caput ut genus nervoſum ferri, indicant. ſi carunculæ dejiciantur, quia nec ſubſtantia inteſtinorum regigni, nec cicatrix tam magnæ exulcerationi obduci poteſt. ſi quis ex aliquo morbo acuto relevatus, ea corripiatur, quia vires ſuſtinere non poſſunt. ſi in progreſſu morbi ſingultus superveniat. ſi piſtula nigra, ſimilis orobo, poſt aurem ſiniſtram, cum ſiti magna, appareat: quia mortem in vigeſimo futuram ſignificat.

Peragitur Curatio, I. *Humorum* ad inteſtina ruentium *revulſione & derivatione*, ubi locum habet *venæſectio*, ſi ſanguinis adſit copia. ſi vehementer cum humoribus ad inteſtina ruat. ſi vel ſit, vel metuatur, inflammatio. ſi febris continuo affligat. ſi calidum epar materiam ſuppeditet. *Nota tamen*, paulatim eſſe evacuandum, tempeſtivè & intra primos dies, ne vires dejiciantur. medianam vel epaticam anguſto foramine ſecandam: malleoli, ſi evacuatio ſolita ſubſiſtat tundendam. II. *Humorum erodentium evacuatione*, ita ut ferociora, quia humores ad inteſtina movent, vitentur. purgatio ab initio, antequam major exulceratio ſequatur, fiat; & ut humor tollatur, ſæpiſſimè. Laudantur, ſyrupus *roſarum ex infuſione roſarum pallidarum* paratus, *Myrobolani*, *Tamarindi*, *Rhabarbarum* in infuſo, ſine toſtione primò, mox toſtum, ſi paulò adſtringendum. *Mechoacanna*, cujus uſu frequentiore alvus ſiccatur. Decoctum *Myrobalanorum*, quod apud Sennertum vide. III. *Humorum eorundem abſterſione*, per clyſteres, ex hordeo, vitellis ovi, melle roſato, ſaccaro, & aliis, prout exulceratio major eſt

vel minor, factos. IV. *Doloris mitigatione*, cui inserviunt, *Lac vaccinum*, modò corpus sit purgatum, & febre præsente, cum aqua plantaginis misceatur, vel cum silicibus decoquatur, cum vitellis & mucilagine, seminum cydonior. per clysterem injectum. *Thapsus barbatus*, sævum hircinum eidem inditum, clyster ex *capite vervecino*, apud Sennertum descriptus. V. *Fluxus adstrictione*, per medicamenta in Diarrhœa relata, quibus adde *sorba* cruda, si fluxus est desperatissimus, *Nucem moschatam* in cineribus tostam, si febris abest, *Decoctum argillæ furnariæ* in lacte chalybeato, *Theriacam recentem*, si inflammatio non accessit, Pulvisculum *stercoris canini* per triduum ossibus nutriti, cum lacte caprillo haustum. *Laudanum opiatum*. Ista verò ita adhiberi debent, ut modò calida, modò frigida dentur. Refrigerantibus calida concoctionem juvantia misceantur. Omnia in parva quantitate, ne fluxus subito sistatur; *sæpius*, quia diu in intestinis non hærent, exhibeantur. VI. *Mundificantium*, *ulcus cavum implentium*, &c. usu, in quibus observa, cum detergentium usu dolor exasperetur, reddito clystere, alium ex lacte injiciendum esse. VII. *Topicorum applicatione*, de quibus *notandum*. Adstringentia in macilentis potiùs, quàm obesis valere, cum in his penetrare non possint. Nec facultate nec actu admodum frigida eligenda. Acetum vel vinum album tenue iis admiscendum. Cataplasmata in Dysenteria à bilis acredine non valere, cum mordacitatem relinquant. VIII. *Diæta*, in qua locum habet, panis bis tostus, lac amygdal. dulcium, saccari farina, &c.

Differentiæ Dysenteriæ sunt variæ.

I. Alia est *Fiens*, quando exulceratio in superficie tantum intestinorum incipit, & mucosum quid exiguo admodum cruore perfusum ejicitur. *Mu-*

eus iſte, vel eſt pinguedo inteſtinorum abraſa; vel mucus, quo inteſtina ad faciliorem excrementorum tranſitum oblinuntur: vel denique pus ex ſanguine & humoribus ad inteſtina affluentibus, & ibi ab iiſdem φλεγμονώδη δὲ διάθεσιν patientibus, temperie everſa, ortum.

Alia eſt *facta*, quando eroſio altius penetrat, & vel fibræ pelliculæque interioris tunicæ cum ſanguine exeunt: vel fruſtula ſubſtantiæ carnoſæ de propria inteſtinorum ſubſtantia deciſæ, cum ramentis membranoſis, crureque plurimo, ac purulentia excernuntur, quæ extremus malignitatis gradus eſt.

II. Alia eſt *Inteſtinorum tenuium*, in qua dolor propter ipſarum membranoſitatem acutiſſimus, alvi longior poſt tormina excretio, Cruor cum ſtercore exquiſitè propter longiorem viam miſcetur, ſanguis magis nigreſcit. Medicamenta purgantia per os ſunt exhibenda. Incurabilis ferè eſt.

Alia *Craſſorum*, in qua dolor eſt minor, propter ipſor. carnoſitatem; præcipuè circa umbilicum percipitur, propter ſitum. alvi poſt tormina cita fit excretio. Cruor & purulenta materia alvi excrementis ſupernatant. *Nota*, plerumque inteſtina craſſa attingi. attactis medicamenta oprimè per clyſteres exhiberi. interdum ventriculum & partes vicinas in conſenſum trahi. interdum ventrem è regione ulceris & foraminis ob communicatam illi puttefactionem perforari.

III. Alia eſt *ab Externis*, nempe aut *venenis*, cujus curatio peragitur vomitu. Obtundentibus dum vellicant, ut lacte, Oryza juſculis pinguibus. Antidotis, præcipuè *Smaragdo præpar.* ad gr. vi. ſed per decem horas à cibo abſtinendum & ſudandum. Aut *Pharmacis purgantibus* vehementioribus; & tum, ſi Curationem ſpectes, prodeſt

post abstergentia Lactis tepidi potus, Theriaca recens,&c.

Alia *ab Internis*, de quibus inferiùs.

IV. Alia est *Epidemia & maligna*, in qua Alexipharmacis agendum, inter quæ C. C. Terra sigillata, *Corallia*, *Sapphirus*, *Scordium*, *pulvis Bezoardicus aureus*. purgantibus eadem misceantur.

Alia *simplex*, cui superiora applicentur.

V. Alia est à *Bile flava*, à qua plerumque incipit, quæque nunc in ventriculo, nunc in intestinis gignitur, nunc ex vesicula, venis mesaraicis, toto corpore ejicitur.

Alia à *Bile atra*, quæ si ratione κρίσεως febrilium morborum excernatur, curari potest. nonnisi præmissa temperatione purgari, & quidem lenioribus debet.

Alia à *Bile prasinâ & æruginosâ*, quæ quamvis exsurgente natura ejiciatur, tamen non *statim*.

Alia à *Pituita salsa*, quæ interdum *in capite à calore* majore, interdum in ventre producitur: ad intestina delata, & lentore suo ipsis diutius inhærens, ea exagitat, tandem exulcerat. Difficulter curatur. *Agarico* & *Mecchoacanna* benè exstirpatur.

PUNCTUM IV.

De Fluxu alvi sanguineo & Epatico.

I. F*Luxus alvi sanguineus Cognoscitur*, tum ipso visu; tum ex eo, quod sine dolore & exulceratione excernatur. *Oritur* 1. Ob *copiam*, profectam *vel* ab intemperie hepatis calida; & tum, plethoræ signa aderunt. excernitur sine dolore, & corporis extenuatione; urina est tenuis, subaurea; sitis urget, tam ob absumtionem humidæ substantiæ, quàm ob epatis caliditatem. In *Curatione* victus imminuendus est. Epar per cichoracea & alia refrigerantia

rantia appropriata, lac chalybeatum, &c. corrigendum. ſi bilis admiſcetur, evacuanda. *Vel* à membri alicujus præciſione, & tum, ſanguis ordinariè mitti debet. *Vel* ab Evacuationis conſuetæ ſuppreſſione; & tum frictionibus agendum, ſuppreſſio aperienda. 11. *Ob ruptam vel apertam venam*, quod *Cognoſcitur* ex eo, quod vomitu etiam effundatur. aliquis vehemens caſus præceſſerit. lipothymia ob putredinem in ventriculo inducatur. Curatio eſt difficilis.

II. *Fluxus hepaticus*, eſt vel *Exquiſitus*, qui ex eo *Cognoſcitur*, quod id quod exit, ut lotura carnis animalis recens mactati dilutè rubeat, non concreſcat, frequentiùs effluat, non tamen tanta crebritate, ut in dyſenteria; ſine mordicatione, nec tamen ſine dolore gravante; palpebræ inflentur, pedes tumeant, excrementa ſint cruda. *Oritur* ab imbecillitate Epatis, & calidi innati in eo defectum, à cauſis diſſipantibus vel ſuffocantibus. *Curatio* feſtinanda, quia morbus ad cachexiam, hydropem, & tabem ducit. *Difficilis* eſt, incipientis & in juvenibus. *Nulla ferè*, inveteratæ, & in ſenibus. ſed & illis, quibus ſputum cruentum, ſubpallidum, ſive birioſum meracum, obvenit. Excludit purgantia, & ſolis medicamentis alterantibus, cibis miſtis (commendantur epata gallinarum., teſtes pullor. anſerum) perficitur. Vel *ſpurius*, in quo ſanguis *aut* eſt acris, ob permiſtionem bilis: *Aut* craſſus, ob diuturnam in hepate vel alibi moram: *Aut* Feculentus, ob epatis limoſitatem, quod lien partas fæculentas non attrahat.

TITULUS IV.

De Recti inteſtini affectibus.

CAPUT I.

De inteſtini recti morbis.

INteſtini recti morbi ſunt: *Inflammatio*, *Verrucæ*, *Rhagades & Fiſtula.*

I. *Inflammatio* fit vel à cauſis violentis, vel à medicamentis, & cauteriis corrodentibus. *Cognoſcitur* ex dolore acri & lacinante, in una eâdemque ſede defixo, deſidendi cupiditate inani, & qua præ obſtruentis tumoris magnitudine nihil minimumve dejicitur. *Curatio* eſt *difficilis*, tum quia pars acuto ſenſu prædita eſt, tum quia excrementa alvi, applicationem impediunt: tum quia ob loci caliditatem & humiditatem in ulcera morbus degenerat.

II. *Verrucæ* ſunt aut *Condylomata*, ſeu tumores pelliculæ ani, tubercula nimirum dura & occalleſcentia, ex humore melancholico excreſcentia, tædio quàm dolore moleſtiora. Aut *Thymi* ſeu verrucæ aſperiores, anguſtam baſin & latam ſuperficiem habentes, quæ in eadem facilè ſanguinem fundunt, qui ſi multum excreſcant, *Ficus* dicuntur; ſi ſanguinem fundunt, peſſimi ſunt, ſi præſertim cancroſitas accedat. Aut *Criſtæ* ſeu carnis excreſcentiæ ex præpoſtera Venere ortæ. *Tolluntur* vel *Cineribus ſtercoris murium*, cum vino coctis & applicatis: vel *conchyliis oblongis* juxta flumina repertis, calcinatis, & eodem modo coctis & applicatis. Ne renaſcantur, *Cinere ſarmentorum* vitis cum aceto illiniri debent.

III. *Rhagades* ſeu *Fiſſuræ* ſunt oblonga ani ſine tumore ulcuſcula, eaque ſuperficialia vel profunda:

callosa,

callosa, vel callo carentia; humida & saniem fundentia, vel sicca & cancrosa. *Oriuntur* 1. A *fæcum duritie nimia*, quæ in exitu cutem rumpunt. 2. Ab *intemperie sicca*, acres humores, interdum & malignos conjunctos habente, ubi humectantia locum habent. 3. Ab *humorum acrium*, *erodentium*, & lentorem quendam, ob quam parti adhærent habentium *affluxu*, & tum pruritus & dolor acerrimus cum ardore infestat. Evacuantia lenia & humectantia esse debent. *Virulentiæ*, quæ se tetro odore & sanie prava prodit, ratio est habenda. Clyster ex *mucilag. tragac. semin. psylli ana unc. j. ß. Butyri non saliti unc.* iii. *saccari rub. unc. j. ol. violar. unc.* v. laudatur.

IV. *Fistulæ*, inflammationes, tumores & ulcera ani malè curata sequuntur. *Cognoscuntur* ex orificio angusto, sinu verò intus latente. Excernitur inde sanies aliquando aquosa, aliquando virulenta. *Dividuntur* in eas quæ *non penetrant*, seu in intestinum rectum, seu in vesicam, quod stylo immisso deprehenditur; quæ, si magnum incommodum non adferunt, decocto duntaxat agrimoniæ cum pauxillo aluminis, *mundandæ* sunt: & foramen, si nimis angustum, medulla sambuci, ne sanies retineatur, dilatandum: quod, si *curari debent*, universalibus præmissis, eluendæ, dilatandæ, & incidendæ sunt. Et eas quæ *penetrant*, vel *ad intestinum rectum*: & tum per eas fæces alvi excernuntur, liquor immissus per intestinum exit: vel *ad vesicam*; & tum urina per eas redditur. Vel *ad utrumque*, & tum crepitus è pudendo perinde ac podice emittitur. Hæ omnes rarò curantur. Inter consolidantia laudat *Ioël* pulverem *Mercurii præcipitati* inspersum, emplastro communi imposito. *Auripigmentum* præparatum, vel in oleum redactum, inspersum, emplastro dicto superposito. Si fistula est *in sphin-*

ctere, fæces alvi ſponte prodeunt. Vide de illis Hippocratem.

V. Huc pertinet & *Intertrigo*, quæ eſt *partium ano vicinarum excoriatio ob motum vehementiorem exorta*. Curatur ſævo cervino & hircino

CAPUT II.

De Recti inteſtini ſymptomatibus.

RECti inteſtini ſymptomata ſunt: *Pruritus ani, Teneſmus, Hæmorrhoidum fluxus, & eorundem ſuppreſſio.*

ARTICULUS I.

De Pruritu & Teneſmo.

P*Ruritus ani eſt ejuſdem doloroſa quædam titillatio.*

Signis opus non eſt. *Differentiæ* à cauſis ſumuntur. I. Alius eſt ab *Humoribus acribus, ſalſis & viſcidis*, ſphincteri adhæreſcentibus, qui evacuandi: podex verò decocto folior. malvæ, violar. roſarum, cum aqua plantaginis & pauco alumine eluendus. II. Alius à *fæcibus relictis*, quæ decocto verbaſci benè abluuntur. III. Alius à *vermibus*: de quibus ſuo capite. IV. Alius *ab Vlcere*, ad quod curatio obvertenda.

II. *Teneſmus eſt aſſidua per alvum ejiciendi cupiditas, cum dolore, in qua vel nihil, vel pauca mucoſa dejiciuntur.*

Signa non eſt quod addam. prolabitur interdum inteſtinum rectum, & urinæ ſtillicidium vel difficultas, propter vicinitatem ac conſenſum harum partium accidit.

Cauſa eſt, quicquid inteſtini recti extremitati affigitur,

figitur, & ejus facultatem expultricem ſtimulare poteſt: quid autem illud ſit, in Differentiis exponetur.

Curatio non eſt negligenda, quia ex neglecto ulcus ſordidum ſæpe relinquitur, quod interdum in fiſtulam tranſit. Reſpicit Cauſas & dolorem, qui mitigandus.

Differentiæ ſumuntur à Cauſis.

I. A *nimia inteſtini recti refrigeratione*, qui decocto flor. verbaſci chamæmeli, melil. anethi, cum ſemine lini, fœnugræci furfur. tollitur.

II. A *Calculo*, aut *Vermibus*: de quibus ſuo loco vide.

III. A *cauſa dyſenteriam inferente*, & tum eadem ferè, quæ dyſenteriæ, curandi ratio. Clyſteris quantitas ſit parva, ulcus abluatur, & conſolidetur. Valet *Mucilago ſemin. Cydonior.* & pſyllii, cum aqua plantag. ſolani, liquida extracta, addito bolo Armeno, vel aloë lota, per clyſterem injecta.

IV. Ab *humoribus bilioſis*, vel *pituitoſis & ſalſis*, eidem adhærentibus: ubi habet locum clyſter ex jure *carnis vervecinæ*, cum ol. ceræ gutt. aliquot injectus, &c.

ARTICULUS II.

De Hæmorrhoidum fluxu, & ſuppreſſione.

HÆmorrhoidum *fluxus eſt nimia ſanguinis per venas hæmorrhoidales dejectio.*

Signis hic affectus opus non habet. primò fluit ſanguis niger, feculentus & craſſus, & deſtillando quaſi effluit, dum podicem tergunt: dein bonus ac rutilus, tandem citrinus & pallidus. Inde crura labaſcunt, coxæ dolorem gravantem ſentiunt, faciei color

color vitiatur. Interdum periodos ſuas obſervat, interdum negligit.

Cauſa eſt, quicquid vel expultricem venarum & arteriarum, jecoris vel lienis irritat; vel retentricem earundem lædit.

Curatio ſuppreſſionem indicat, quæ *Revulſione* per venæſectionem, & *adſtringentium* externo & interno *uſu* perficitur. *Extra* à proprietate valent, *Cingulum ex foliis hellebori nigri* conquaſſatis, recentibus, nudo corpori circumdatum, ad quod ſi puſtulæ excitentur, dolor ſuis remediis tollatur. *Spongiæ*, quæ in balneorum hypocauſtis ſub ſcamnis naſcuntur, ſi in olla nova in pulverem comburantur, & inſpergantur. *Colcothar*, ſive craſſamentum illud ab olei vitrioli deſtillatione relictum, ſi eo tangantur, unâ relictâ. *Intra* commendatur *Eſſentia Martis*: de qua apud Hartmannum. Confectio è *ſcoria ferri*. Conſerva roſarum antiqua cum bolo armeno, &c.

Differentiæ à partibus & Cauſis ſumuntur.

I. Alius eſt *Internarum*, quæ à ramo ſplenico oriuntur, per meſenterium circa colon & inteſtinum rectum extenſa, in muſculis ani & inteſtino interiore, ſociam arteriam habens, ipſa unica, terminatur. *Cognoſcitur*, ex pondere circa ſedem, egerendi difficultate, clyſteribus, glandulis, aut inſtrumento; ſed & ſi cucurbita, quod Zacutus fecit, applicetur.

Alius eſt *Externarum*, quæ à venæ cavæ ramo epigaſtrico procedunt, & in externas recti inteſtini partes ani ſcilicet muſculos, diſſeminantur: duæ autem ſunt, arteriam ſociam ab hypogaſtrica habentes. Videntur tamen omnes inter ſe communionem habere. *Cognoſcitur* ipſo viſu: & quia major eſt, periculoſior etiam erit. In *Curatione* externa commodum locum habent.

II. Alius eſt *vitio ſanguinis*, qui vel *multus*: &

tum,

rum signa plethoræ adsunt. Revellendum per venæ cubiti sectionem; vel si vires non ferunt, cucurbitularum lumbis, vel hypochondriis affixionem. Vel *Acris & tenuis*, & tum magis meridionalibus accidit, maribus præsertim qui sanguinei. Serosi humores, si vires ferunt, evacuari debent. sin minus, refrigerantibus & incrassantibus, inter quæ portulaca, trochisci de spodio & carabe, prævalent, utendum. Vel *fluit ex hepate*; & tum aquæ, in qua carnes recens mactatæ lotæ sunt, assimilatur. *Coralliorum syrupus* prodest. Vel ex *superioribus partibus*; & tum sanguis niger est & retorridus. Vel ex *Mesenterio*, & tum paucus, subalbidus & serosus. Vel ex *intestinis*, & tum cum excrementis commiscetur.

Alius *vitio venarum*, quæ vel *sunt apertæ*, in quo casu utendum κολλητικοῖς, ut fungo qui crepitus lupi dicitur, &c. Ustione & sectione, quæ tamen periculosa, in inveteratis præsertim ac diuturnis. Vel *Exesæ & ruptæ*, & hæc dejectio hominem in hydropem & alios morbos conjicit.

II. *Hæmorrhoidum suppressio est sanguinis per venas ani elabi conantis interceptio, unde istæ in tumorem cum dolore elevantur.*

Signa sunt, Tumor & tubercula in capitulis venarum ani, modò dura & verrucis similia, modò mollia moralia dicta, modò purpurea & uvæ granis similia, dolor punctorius, modò mitior, modò gravior, distentis venis, quarum ora tanquam ex capitulis prominent, & membranâ, quæ venarum orificiis prætenditur, intensa & compressâ.

Causa est sanguis fæculentus & crassus, elabi cupiens.

Curatio est *festinanda*, tum quia hydropem, si sanguis ad epar recurrat, minatur, tum quia nisi tempestivè succurratur, ratione magnæ attractionis, & humorum affluxus, inflammationem, apostema vel fistu-

fiſtulam inducit. *Peragitur* I. *Doloris mitigatione*, qui ſedatur mica *panis hordeacei* in lacte muliebri macerata, addito ovorum vitello & croco: tollitur, *laudano* in lacte muliebri diſſoluto, & cum melle adhibito, ſed maximè *butyro*, *ſaccaro*, *ſeu anima Saturni*, *ſcarabeis* pillularibus in oleo lini ad conſumtionem animalculorum coctis, *cineribus ſuberis* exuſti, cum axungia capi coctis, unguento ex linaria: de quo vide *Hartmannum*. II. *Apertione*, præmiſſis univerſalibus, per hirudines applicatas; vel antequam id fiat, per unguentum ex *medulla colocynthidis*, & oleo amygdal. dulcium. per ſuccum *cæparum* cum aloë miſtum, & panno aſperiori fricando appoſitum; Clyſteres acres plus inteſtina lædunt, quàm hæmorrhoides cient. Niſi vehementer tumeant & doleant, naturæ debent permitti.

In Differentiis *internarum* & *externarum* venarum habenda eſt ratio. *Illarum* ſuppreſſio ani expreſſione, & ſpecillo eidem immiſſo percipitur. *Harum* viſui occurrit.

TITULUS V.

De Meſenterii affectibus.

CAPUT I.

De Meſenterii intemperie & Obſtructione.

MEſenterii affectus ſunt, *Intemperies*, *Obſtructio*, *Inflammatio*, *Abſceſſus* & *Dolor*.

I. *Intemperies Meſenterii* plerumque eſt calida & ſicca, quæ à materia ſimili oboritur, quæ vel ibidem colligitur, vel aliunde transmittitur. *Colligitur* vel in *venis & arteriis* ipſius: & tum, quia pectoris maximus eſt cum hæmorrhoidali arteria conſenſus, quod truncus ex quo arteria oritur, à corde deſcendens,

dens, in primo ſtatim exortu, intercoſtales ramos propaget, pectoris & diuturni quidem ſentiuntur dolores: vel etiam *in glandulis*, laxitate ſua materiam facilè imbibentibus. *Curatio* non eſt negligenda, quia hydropem ſiccum præcedere ſolet. Nihil autem ſingulare habet; hoc excepto, quod per illas arterias non ſolum primæ viæ, ſed etiam univerſum corpus expurgari, ſive cathartica exhibeas, ſive clyſteres infundas, poſſit. & hæc fortè cauſa eſt, quod medicamenta purgantia umbilico applicata alvum movent.

II. *Meſenterii obſtructio* eſt duplex, Alia, *quando venæ lacteæ ſunt obſtructæ*: quod *Cognoſcitur* ex eo, quod fluxus alvi chyloſus & albus infeſtet, & atrophia, materiâ ad corpus nutriendum neceſſaria denegatâ, inſequatur; *Oritur* id, ſeu à chylo craſſo, crudo, lento, viſcido, ex ſimilibus cibis genito; ſeu à glandularum tumore eaſdem comprimente. Alia, *quando venæ meſaraicæ intercipiuntur*, quod *Cognoſcitur* ex eo, quòd materia coërcita, diſtentionis & gravitatis ſenſum excitet, arteriarum circa dorſum pulſationes ſint moleſtæ, à ſumto cibo malum incrudeſcat, & ventriculus comprimatur, &c. *Oritur* id vel à *vaporoſis* & craſſis flatibus; vel ab *humoribus acribus*; & *tum*, dolor eſt vehementior, interdum, evaporatione perſeverante, malum univerſam thoracis cavitatem occupat, ut aliquid ſuffocationi ſimile præſto ſit; interdum tumor circa os ventriculi concitatur, ructusque inanes, ſuppreſſis iis, quæ per inferiora excluduntur, producuntur. *Curatio* peragitur 1. *Aperientibus*, & illis quidem clementibus, robur Epati & ventriculo conciliantibus, penetrantibus, incidentibus, exſiccantibus, putredinem lenientibus, & pauliſper ſtringentibus. non dulcibus, ſed amaris, in electuariorum vel pillularum formam redactis, ſed ut liquor poſt hauriatur.

Tarta-

Tartareis, nisi salsedo vel acredo humor. obstet, *Oxymel* redolentibus. II. *Purgantibus*, nisi flatulentia obsit, & illis lenibus, non continuis, ὁμοιοτρόποις. per Epicrasin datis, liquidis. III. *Vomitoriis*, sed non violentis. laudatur *essentia genistæ* Plateri. IV. *Diureticis* crassos humores fundentibus, &c. Epar roborant, *pillulæ de scoria ferri* Leonii. *Antidotus ex chalybe Mercati*. Arcanum *ex vitriolo*, *sulfure*, *& salicibus* Penoti, &c.

CAPUT II.

De Mesenterii inflammatione, & Abscessibus.

Mesenterii inflammatio est ejusdem tumor, ab humoribus cum sanguine nutriente in spatia ipsius effusis, vel glandulis altius impactis, & calore externo accedente, putrescentibus, exortus.

Signa sunt, febris lenta, plerumque semitertiana, dolor lumborum, nunc in utraque parte, nunc in dextra, qui se ad anteriorem regionem ventris, supra & circa ventriculum extendit, alvus suppressa, egestiones chylosæ, quas ut plurimum ichor tenuis, modò sincerus & citrinus, modò fæcibus permistus insequitur. *Differt* à doloribus *ventriculi*, *uterinis*, *Colicis & Nephriticis*, signis in ipsis expositis. A *pinguedine ventris*, quia hic manu totus comprehenditur, quod summæ cuti inhærescat, secernique à musculis abdominis potest. A *musculorum abdominis tumore*, quia is, circa pressum, dolore afficit, nec alvum ita remoratur.

Causa in Definitione exposita est. *Effunditur* sanguis eò, quia ipsi ad intestina præclusa via est, seu ab adstringentibus, quod in dysenteria malè curata accidit; seu ab humoribus copiosis, crassis, lentis, confertim ad intestina ruentibus.

Curatio

Curatio non eſt *negligenda*; Periculoſa namque tum propter febrem,qua æger contabeſcit: tum propter putredinem,quâ meſenterium corrumpitur. Extenditur verò interdum ad quadrageſimum, interdum octogeſimum diem: interdum per vitæ tempus durat, febre & colicis doloribus mox redeuntibus, mox ceſſantibus. *Peragitur*,ut in aliis inflammationibus. modò nota. Refrigerantia benigniora eſſe debere, ne materia magis impingatur. *Purgantia* vel nulla, vel lenia, nec in principio, ne plus attrahatur; ſed inflammatione ad concoctionem tendente. Sed nec *Caſſia* in curationis auſpicio ſatis tuta.

Quantum ad *Differentias*, Aliquando *inteſtina ſimul inflammantur*; *& tum* omnia ſunt aſperiora. Aliquando *inflammatio circa glandulas hæret*;& *tum* leviora. Aliquando *jecur vicinum in conſortium trahitur*, & *tum* febris ardens magna ex parte præcedit, malo deinde ad ſuppurationem vergente, lenta inſequitur.

II. *Abſceſſus meſenterium* infeſtantes ſunt varii. Nam I. Si *locum* ſpectes, *vel* ſunt ſupra umbilicum, *vel* infra, *vel* circa. II. Si *conſtitutionem*, interdum meſenterium ex *multis magnis ſcirrhis* conflatum invenitur. Interdum *lapilli* in eo reperiuntur. Interdum *infinitos* habet *abſceſſus*, ſine ſenſu ac dolore, folliculo proprio incluſos, ac gypſeam, glutinoſam aut liquidam materiam continentes. *Cognoſcuntur* autem difficulter, & interdum nonniſi poſt mortem, ſi tamen venter intumuit, & ſymptomata adſunt,nec hydropis vel alterius alicujus affinis morbi, ſigna præſto ſunt, ſuſpicari de illis debemus. *Excluduntur* autem prodigioſè. *Aliquando* ſponte ad alvum hæc ſaburra erumpit, & non rarò facto circuitu revertitur. *Aliquando* inter peritonæum & abdominis muſculos copioſè profuſa,vel in cavitatem ventris rupto peritonæo defluit,aut per abſceſſum ex-

terius erumpit, &c. *Aliquando* ægro benè ferente id accidit. Aliquando eidem mortem accelerat. De eorum *Curatione* hæc in genere notanda. 1. Alvum ſemper debere eſſe fluidam. 2. Reſolventibus materiis, ſed levibus, vim aromaticam habentibus, blandè ſtringentibus, feſtinandum. 3. Inter detergentia, *Syrupum Mercati ex chalybe*, palmam obtinere. 4. Ad conſolidandum, *Terebinthinam Cypriam*, quovis modo præparatam, inprimis ſi materia peccans in lumbis ac circa renes delitefcit, omnibus præferendam. 5. Ad citiorem abſceſſus maturationem *balneum aquæ dulcis* frequentandum. 6. Vires etiam egregiè *Eſſentia perſicariæ* cum oleo chalcantino roborari. 7. Acidulas, quod facultate penetrandi & exterſoriâ ulcera erodant, & temperiem peſſumdent, vitari debere.

CAPUT III.

De Meſenterii dolore, & Omenti ac Pancreatis affectibus.

Dolor Meſenterii eſt triſtis ipſius ſenſus, qui à materia calida & acri, in membranas ipſius detruſa oritur, cum ventris & lumborum perpetuo dolore, per intervalla, autumnali præcipuè tempore accedente, affligit, interdum & in caput & totum corpus diſtribuitur.

Signa *Futuri* ſunt, Icterica diſpoſitio in oculis ac temporibus paſſim conſpicua, appetitus deperditus, hypochondriorum gravitas increſcens, alvi dejectiones raræ, urinæ rubicundæ. *Præſentis*, flatuum & excrementorum ſuppreſſio valida, dolor ventris & lumborum vehemens, remediorum per vomitum exturbatio, clyſterum ſucceſſus rarus, &c. vires ex pulſu æſtimandæ non ſunt. Eſt enim hic in omni gravi dolore exiguus. *Invaleſcentis*, Ægri ſpem omnem

nem deponunt. nephritis magna ex parte vires acquirit, vicini abdominis musculi, & peritonæum ab interna putrilagine saniem concipiunt, dolores in universum abdomen sese diffundunt, imò ad extremos artus, maximè tamen ad humeri articulos ac pedes transeunt, tandem convulsorii motus exercent. *Distinguitur* à doloribus *Vteri*, *Renum*, *Ilii*, *Ischiadico* signis, quæ ibi tradita sunt.

Causæ sunt, Humores acres, putridi, & qualitate omnibus visceribus, hepati inprimis & ventriculo inimica, imbuti, qui in mesenterium, quod nihil aliud est quàm peritonæum duplicatum & ad lumbos affixum, post quam eorum evacuationem per alvum frustra natura tentavit, deponuntur.

Curatio est *dubiæ spei*, si dolores sunt submissi, quia fortiores. si supra umbilicum sentiuntur, nec ullis medicamentis solvuntur. quia in hydropem siccum desinunt. si dolores renum ob vicinitatem mineræ superveniunt. si novis obstructionibus. succedentibus, malum indidem recrudescit. *Exiguæ* vel *Nullius*, si vomitus, frigidi sudores, & frequentes singultus afficiant. si diu durent, ægri febricitent & cibos aversentur: quia metus est, ne dolor ad caput progressus, repentè convulsorio modo illos occidat. si vigiliæ pertinaces sint, & vehementes. si motus naturæ inversus accedat. si hectica vel peritonæi & vicinarum partium suppuratio, oboriatur. *Perficitur* 1. *Causarum ablatione*, ubi locum habent 1. clysteres, qui ad emollitionem debent parari ex *lacte caprino* cum cassia & oleo violaceo; ad abstersionem, addendum aliquid hieræ picræ & mellis violacei. 2. Purgantia per intervalla, si obstructiones ex urina rubicunda perspicias, repetita, benigna, à quibus tamen *Manna* ob flatuum ubertatem exulare debet. 3. Præparantia & aperientia, ex decocto *scorzoneræ*, *Graminis*, *fragariæ* cum floribus cordialibus,

quibus præmittenda inunctio abdominis ex oleo *violaceo*, *anethino*, *chamæmel.* Butyri momento, quibus *ſpolium ſerpentis* prius incoqui debet. II. *Doloris mitigatione* per cataplaſma, inunctiones, fomenta, balnea aquæ dulcis, Narcotica etiam cum purgantibus miſta, &c.

II. *Pancreas obſtructione* præcipuè laborat, unde ventriculus ob vicinitatem afficitur, dolores, ponderis ſenſus, circa regionem ventriculi & in dorſo excitantur pulſationes: ob compreſſionem arteriæ cœliacæ, ut & difficilis reſpiratio ob conſenſum Diaphragmatis infeſtant. *Curatio* iiſdem remediis perficitur, quibus lienis obſtructiones.

III. *Omentum*, per rami ſplenici ſurculos, ſæpe feculentos à liene ſuſcipit humores, in illa præcipuè parte, quæ eſt inter lienem, ſeptum & ventriculum, in cavitate ſua in ſiniſtro hypochondrio ſub Diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu orta, nec exitum habente. Sæpe inde abdomen in ſiniſtra parte verſus umbilicum in tumorem attollitur; ſæpe, compreſſo ventre, ſonus & ſtrepitus auditur. *Evacuari* non poſſunt, niſi continuato *thermarum* vel *acidularum* potu evaneſcant. Si *putreſcat* vel *abſceſſum* patiatur, curatio eſt fruſtranea.

TITULUS VI.

De Epatis affectibus.

CAPUT I.

De Epatis morbis.

ARTICULUS I.

De Epatis intemperie.

MOrbi Epatis ſunt, *Intemperies, Obſtructio, Inflammatio, Scirrhus, Vulnera & Vlcera.*

Intem-

Intemperies epatis est ejusdem à temperamento naturali propter causas externas & internas deflexio.

Signa ex actionis ipsius læsione, & aliis (de quibus in Differentiis) petuntur.

Causa sunt *vel* non naturales & externæ: *vel* vicinæ partes, ut ventriculus, cor; idque vel per contactum, vel materiæ communicationem: *vel* materiæ ab aliquod epatis vitium, sive innatum, sive acquisitum, in vasis aut parenchymate collectio.

Curatio pro ratione Differentiarum variat. Remedia interna, quia epar loco profundiore situm est, efficaciora esse debent. *Perficitur* Alteratione, & Materiæ peccantis remotione.

Differentiam quod spectat, Intemperies est quadruplex.

I. Alia est *Calida*, & ista aut simplex, seu *sine materia*, quæ ex eo *cognoscitur*, quod cibi maximéque carnis fastidium insit, ac nihilominus inedia obsit, sitis vehemens infestet, corpus universum maximè palmæ manuum & pedum caleant, & vel simul madeant, vel arescant, alvus propter humidi ex chylo extractionem sit siccior. *Curatur* Refrigerantibus. inter quæ præcipua: Radic. *Taraxaci & fragor*. Fol. *cichorii*, *Endiviæ*, *Acetosæ* semina, *frigida majora & minora.* Lign. *santalinum.* Fructus, *Cerasa*, *Ribes*, *fraga.* Ex compositis, syrupi *Corallor. fragor. Acetosellæ*, *Citri*, *Cichorii.* Sal. *Corallor.* Pulveres, *diatrionsantal. diarrhodon Abbatis*, *diamargariti frigidi*, *Nitrum vitriolatum* Mynsichti. Inter externa, saccar. *saturni*, Cerotum *santalinum*, oleum *omphacinum*, Mixtura ex *Aqua Nenuph. hyoscyami, flor. liliorum alborum, plantag. rosarum rubear.* ana unc. j. ß. *salis saturni*, *Camphoræ in S. V. dissolutæ* ana scr. j. *salis prunellæ* scr. ß. addito pauculo *Tragacanthi*, composita, & dextro hypochondrio applicata, &c. Aut *cum materia*, quæ ex eo

cognoſcitur, quod oris amaror, cibi faſtidium, & ſitis vehemens infeſtet, febris aut tertiana intermittens, aut lenta, aut errabunda, qua corpus paulatim exareſcit, moleſta ſit. quod bilis vomitione & dejectione primum tenuis ac pallida, deinde craſſa, verè flava & fœtida prorumpat. *Oritur* à bile, ſeu in eo genita, ſeu à veſicula fellea, obſtructione laborante, vel aliunde, tranſmiſſa. *Curatur* 1. *Revulſione* per venæ in brachio ſectionem, ſcarificationem, vel frictionem, ſi aliunde humores affluunt. 2. *Alteratione* per cichoracea inprimis, ſi influxere. 4. *Evacuatione*, ſeu per *alvum*, ubi Syrupus *roſar. fol. Rhabarbar.* & *Tamarindi* locum habent: ſeu per *urinas*, ubi *ſerum lactis*, *radix gramin. hordeum obtinent.* 4. *Epatis* ne plura colligat *roboratione.*

II. Alia eſt *Frigida*, & iſta Aut eſt *ſimplex & ſine materia*, quæ ex eo *Cognoſcitur*, quòd major ſit cibi cupiditas, ſitis nulla pituitoſa, cruda, & ſæpe liquidiora excernantur. ſanguis generetur aquoſius & crudus. *Curatur difficilius*, quòd epatis naturæ & functioni magis repugnet, & curatur *Alterantibus*, ex quibus præcipua ſunt, Radices *pimpinellæ*, *acori veri*, Folia *abſinthii*, *agrimoniæ*, *centaurii minoris*, *Betonicæ*, *Capillor. veneris*; *paſſulæ*, *Caryophylli*, *Nux moſchata*, *Cinnamomum*, *Agallochum*. Ex compoſitis tinctura *caſſiæ ligneæ Mynſichti*, *Theriaca*, *Mithridatium*, Rotulæ *Aromaticæ Mynſichti*. Confectio *Rhabarbari Cratonis*, ſpecies *diamargariti calidi*. Aut *cum materia*, quæ *Cognoſcitur* ex cauſarum ſimilium prægreſſu, faciei & totius corporis colore albo, habitu cororis molli, dejectionibus pituitoſis, gravitate in dextro hypochondrio. *Ortus* & *Curatio* intemperies alias ſequuntur. Valet *Eſſentia Martis*, cujus præparationem vide apud Hartmannum.

III. Alia eſt *Humida*, quæ *Cognoſcitur* ex

pulſu

pulſu molli, ſanguine aquoſo, excrementis liquidis, urina ſpiceâ. *Curatio* fit per ſiccantia.

IV. Alia *ſicca*, quæ ſe contrario modo habet, nec de Curatione quicquam ſingulare occurrit. Compoſita enim plerumque infeſtat.

ARTICULUS II.

De Epatis obſtructione.

O*Bſtructio epatis, eſt vaſorum in epate anguſtia, à materia ipſorum cavitatem implente producta, alimenti diſtributionem impediens.*

Signa ſunt, dolor in dextra hypochondriorum parte gravativus & obtuſus, qui poſt ſumtum cibum magis aggravatur, præſertim ſi mox à cibo vehementior exercitatio ſubeatur. excrementa à naturali modo evariantia, ſæpius liquidiora & copioſiora, quia chylus non recipitur. Coloris inprimis in facie mutatio, propter læſam ſanguificationem & diſtributionem, &c. Eſt autem *frequens*, quòd vena è portis per jecoris ſubſtantiam in ramos tenuiſſimos diſſipata, obliteretur, huicque alii non minus tenues è vena cava conveniant, per quos omnes debet alimentum produci & exportari.

Cauſa. eſt materia cavitatem vaſorum vel etiam ipſam epatis ſubſtantiam implens, ſive ibi generetur, actione ipſius læſa, ſeu ob intemperiem, ſeu ob errorem externum: ſive aliunde confluat, ſeu ob attractionem, ſeu ob receptionem.

Curatio eſt *difficilis*, tum propter venarum in hepate anguſtiam, tum quòd plures eandem morbi inſequantur. *Peragitur De obſtruentibus*, inter quæ laudantur, Extractum *pillular. de Ammoniaco* Riverii, ex *gummi ammoniaci in aceto ſquillitico* ſoluti dr. iii. *ſpecier. hieræ picræ* ſ. dr. i. ſ. *aloës*

crudæ ſcr.iv. *myrrhæ* ſcr.j. *Croci* g. 6 cum *ſyrupo abſinthite* factar. Pillulæ *Tartareæ Quercetani*, à Sennerto reformatæ. Tinctura *Martis*, cujus deſcriptio apud Petræum, ab unc. j. ad. ii. iii. & plures. Pulvis *Deodati* ex *ſpeciebus Diarrhodon. diatrag.* ana dr. ii. *Agrimon. radic. Rubiæ, filicis pulveriz. ſemin. acetoſæ, portulacæ* ana dr. 1. *Magiſter. perlar. Corallor. Croci Martis citra corroſiva facti*, *Croci Martis* ex oleo ſulphur. parati ana ſcr. iv. cum ſacchari tabarzet. q. ſ. compoſitus, dr. j. ſuperbibita ſuperiore tincturâ, exhibitus : Pillulæ *de chalybe*. Decoctum ex *Tartari albiſſimi* mundificati & pulverizati lib. j. cum *chalybis crudi* unci iv. & aquæ fontanæ congiis duob. factum, & unc. ii. pondere in juſculo aperiente oblatum. Spiritus *aperiens Penoti*, &c. In *Curatione* hæc notatu digna obveniunt. 1. Univerſalia particularibus & topicis præmittenda eſſe. 2. Medicamenta nonniſi longiſſimè à cibo, ne humores crudos ſecum ad epar abripiant, propinari debere. 2. Emollientibus adſtringentia, ſpica nempe, ſpodium, addenda, ut tonus epatis ſervetur. 4. Attenuantia, diſcutientia & reſolventia, ne tenuioribus partibus diſcuſſis craſſiores remaneant, moderata eſſe debere. 5. Dulcibus, non ut cibis, ſed ut condimentis utendum eſſe. 6. Medicamenta liquida, vel tenuiſſimè pulverata exhibenda. 7. Topica nunquam actu frigida applicanda. 8. Poſt uſum chalybeatorum movendum corpus; niſi excrementa nigra ſubſequantur, ab iiſdem eſt deſiſtendum.

Differentiæ obſtructionis hujus ſunt variæ.

I. Alia eſt *Recens*, quæ faciliùs ſolvitur. Alia *Inveterata*, quæ putredinem & febrem excitat, & icterum, ſcirrhum & hydropem inducit.

II. Alia eſt in *cava epatis*, quæ exinde *cognoſcitur*, quòd foris nihil percipiatur, ob latitantem in profundo partem, ventriculus in conſenſum trahatur,

tur, unde cibi faſtidium, nauſea, vomitus, ſitis, excrementa liquida. *Curandum* eſt evacuantibus per alvum.

Alia in *gibba*, quæ exinde *cognoſcitur*, quòd abdomen eâ regione preſſum reſiſtat diaphragma inprimis, quod ipſi hepar annectatur, renitatur, excrementa alvi ſanguinolenta, propter levem chyli in ſanguinem mutationem, appareant. *Curatio* eſt facilior, ob medicamentorum penetrationem, & materiæ obſtruentis per latiorem viam evacuationem: Diureticis maximè eſt agendum.

III. Alia eſt à *Sanguine*, vel *puro*, cui ſolâ baſilicæ dextræ ſectione ſuccurritur, Vel *bilioſo & calido*, quæ cum dolore conjungitur; in jecore diutiùs præter naturam coërcitus, nec tempeſtivè expurgatus mirè craſſeſcit. Vel *pituitoſo* viſcido & craſſo, qui ex cibis craſſis, viſcoſis, multis, balneis, aut motu, in tenues venas impulſis vel raptis oritur: interdum ex cerebro in ventriculum procumbit, mox præterfluens, ſenſim in tenues jecoris venas cum alimento penetrat.

Alia à *Flatu*, craſſo ſub tunica concluſo, vel in venis hæſitante, quæ exinde *cognoſcitur*, qùod dolor ſit major, ſed non continuus, tumor dextri hypochondrii adſit tantus, ut univerſum hypochondrium oppleat, neque coſtarum extrema percipi poſſint: eſt tamen ſine gravitate, & preſſus cedit, nullum murmur edit, & nullam vomicæ latentis ſuſpicionem præbet. *Oritur*, vel à *cibis flatulentis*, à quibus cavendum: vel ab *imbecillitate epatis* materiam vincere neſcientis; & tum materia præparata evacuanda eſt: vel à *membris vicinis*, & univerſo corpore, in febribus præſertim pituitoſis, tranſmittitur. *Curatio* in genere Carminantia poſtulat, de quibus in Hydrope.

ARTICULUS III.

De Epatis Inflammatione.

E*Patis inflammatio est ejusdem tumor calidus ex sanguine impacto, & in ipsa epatis substantia putrescente exortus, cum febre continua, dolore gravativo, sensuque ponderis in dextro hypochondrio, affligens.*

Signa sunt, sensus *gravitatis* in dextro hypochondrio, à membranis quibus epar in nonnullis ad costas nothas annectitur. *Tumor* in eodem, qui major ægro in sinistrum latus decumbente apparet, minor corpore in dextrum reclinato, & epate sub costas nothas cedente. *Dolor* â jugulo ad costas nothas prætensus, ob conclusam materiæ congeriem, quæ succingentem thoracis membranam convellit. *Febris*, cujus vehementia inflammationis magnitudinem sequitur, & noctu ad incalescentem phlegmonem exacerbatur. *Tussis* arida, per intervalla ob vapores ad pulmones elevatos, & diaphragma compressum affligentes. *Difficultas spirandi*, quod febris majorem refrigerandi necessitatem adferat. Decubitus difficilior, tum in dextro latere, quod à ventriculo & intestinis epar comprimatur; tum in sinistro, quod epate suspenso membranæ tendantur. Pulsus celer & inæqualis ob auctam in affectu calido refrigerandi necessitatem, &c. *Distinguitur*, ab musculorum abdominis & pleuræ inflammatione, signis ibidem appositis.

Causa est sanguis impactus & putrescens, qui *vel* attrahitur, vel transmittitur, *vel* affluit, *seu* ob qualitatis vitium, tenuitatem nempe, fervorem & acrimoniam: *seu* ob quantitatem & exsuperantiam: *seu* ob causarum externarum impulsum, ut, dum medicamenta calida ventriculo apponuntur.

Cu-

Curatio eſt *difficilis*, quia pars princeps afficitur, & ipſius occaſione hydropis aut atrophiæ metus imminet. *Exiguæ ſpei, vel Nullius* ferè, ſi ſingultus ſuperveniat, quia epar ad maximam inflammationem perveniſſe, & ſic ob nervorum κοινωνίαν os ventriculi in conſenſum trahi, indicio eſt. ſi ventris ſolutio accedat, quia hæc excretio materiæ crudæ à virtute imbecilla proficiſcitur. ſi febris ardens & continua comitetur, quia vehementer inflammatum iſtud viſcus eſſe ſignificatur. ſi ad *ſuppurationem* perveniat, quod ex eo *cognoſcitur*, quod id poſt diem vigeſimum, ſi natura debilis non eſt, accidat; dolores & febres, cum aliis ſymptomatibus, noctu tamen magis invaleſcant; rigores, quos caloris exacerbatio ſequitur, nullo ordine, nullaque ratione invadant; quia ex abſceſſu ulcus oritur ſordidum, quoniam alimento & humorum colluvie perpetuò alluitur; & cum ſubſtantia jecoris ſolida, utpote ſpermatica reparari nequeat, incurabile. ſi ad *indurationem* tendat, quod ex eo *cognoſcitur*, quia poſt dies XL. febris & dolor falſè deliteſcunt, abſque ſenſibili evacuatione, remanet in loco tumor & durities cum proſtratione appetitus, & quotidiana corporis extenuatione. *Alicujus*, ſi per reſolutionem abituram ſpes eſt, quod à primo invaſionis momento, ad diem decimum quartum circiter accidit, & ex remiſſione ſymptomatum & urinæ colore cognoſcitur. *Peragitur* iiſdem, quibus aliæ inflammationes curantur. *Obſerva* tamen, 1. Baſilicam vel mediam cubiti dextri primâ ſtatim vel ſecunda die tundendam. 2. Repellentia mitiora eſſe debere, ne vel viis epatis nimium conſtrictis obſtructio efficiatur, vel nimium refrigerantibus ſcirrhus producatur, vel ſanies ex ipſo phlegmone reſudans, in hepar regeratur. 3. Eadem debere eſſe clementer adſtringentia, illis quæ modicè aperiunt & abſtergunt, caſtigata. 4 Non eſſe actu fri-

frigida, nisi sit erysipelas, & fervor insignis, applicanda. 5. Rupto ad renes abscessu, serum caprinum cum emulsione seminum quatuor propinandum. 6. Fissâ & exesâ epatis substantiâ, si pus in abdominis cavitatem excidit, ad ustionem & incisionem abdominis accedendum: de qua vide Authores. Discussioni bene inservire creditur, Cerotum ex *ol. Mercurii* d. j. *dulced. saturni* d. ii. s. *ol. de galbano* unc. s. *ceræ rubeæ* ex *cinnab.* q. s. formatum, & visco juniperino, cum *succo ungulæ caballinæ, aut galbano* exceptum & impositum.

Differentiæ hujus inflammationis sunt aliquot.

I. Alia est *Magna*, in qua omnia sunt vehementiora. Alia *Exilis & obscura*, in qua tuberculis & abscessibus furunculorum instar, nullo hypochondrii tumore vel dolore, epar obsidetur, febris adest non admodùm ardens, cum siti & fastidio. *Solvitur* sanguinis profluvio per directum ex dextra nare exorto, primis septem diebus, interdum nono, undecimo, rarissimè decimo quinto, si præsertim patiens viginti quinque annis minor sit.

II. Alia est *in gibba*, in qua spirandi difficultas, quam Paulus irruptum suspirium vocavit, tussis & gravis dolor jugulum premens, magis infestant. decubitus dexter, ut quo pars affecta premitur, difficilior est. dolor contactu & pressu exacuitur. Urina est reses, quæ si simul sit cum contento ervino, colliquationem attestatur. tumor promtè percipitur, interdum prominens & oculis conspicuus est. Hæmorrhagiâ narium, si è directo sit, sudoribus bonis, & urinis copiosis *solvitur*. *Diuretica* Catharticis sunt longè utiliora.

Alia est *in Cava*, in qua nausea, sitis, cibi fastidium, singultus, biliosa vomitio aut dejectio acriùs urgent, decubitus sinister gravis & laboriosus est, tumor non promtè contactui obvius est. Excrementis

mentis alvi biliosis, cruentis, sudoribus & vomitibus solvitur. *Clysteres* lenientes exhiberi possunt, *purgantia* per os exhibita cavenda.

III. Alia est à *sanguine puro*, quæ *Exquisita* dicitur, & in qua omnia mitiora. Alia à *Mixto*, quæ *notha*, illoque vel *Bilioso*: & tum febris est ardens, marasmi metus angit, sinceræ bilis vomitio, & interdum per alvum dejectio, quæ vel diarrhæam vel dysenteriam infligit, afficit. Vel *Pituitoso*, quæ rara est, & in qua Topicis mastiche, nardus, absinthium, & ex his parata olea addi debent, &c.

ARTICULUS IV.

De Epatis Scirrho.

Scirrhus epatis est ejusdem tumor durus, indolens, ab humore crasso in visceris substantia impacto & indurato genitus.

Signa sunt, Tumor *sinistri* hypochondrii, qui tactu si gracile & adipis expers sit, abdomen deprehenditur, & faciliùs erecto vel in dextrum lätus inclinato ægro, quam decumbente supino animadvertitur: jecoris autem situ & figura circumscribitur, & in sinistro decubitu, mole sua ventriculo & præcordiis incumbit. Dolor obscurus, quia partes vicinæ sensu præditæ à tumore epatis comprimuntur, &c.

Causa est in Definitione exposita. Non subitò autem, sed pedetentim tumorem infert. Nam primò tenues jecoris venas infarcit. dein auctus in omnem visceris substantiam redundat. hinc multò plenior cumulatus, jecur in amplam molem, uti turgidum appareat, distendit, denique siccatus, & tenui parte vi caloris dissipata, reliquus totus obdurescit.

Curatio, quæ est exiguæ spei, *Instituitur* I. *Lenientibus* præparantibus & evacuantibus: prout in obstructione dictum. II. *Emollientibus* & dis-

diſcutientibus, cum moderatè adſtringentibus, ne ex illis ſolis putredo & cancer; ex his ſolis indurationis majoris periculum oriatur. Laudantur, *Ladanum* cum *balſamo Indico & cera*, Emplaſtrum *de Cicuta, & mandragora cum ammoniaco*. Unguentum *de Cicuta Fabricii Hildani*, &c. III. *Deobſtruentibus*, inter quæ valet *Tartarum vitriolatum* cum paſſulis, cinnamomo & agrimoniæ foliis. *Tartarum Tartarizatum Bartoleti*, quod per urinam pellit, &c.

Differentias quod ſpectat.

I. Alius eſt *Incipiens* cum dolore conjunctus, qui *Nothus* dicitur, & Curationi cedit. Alius *Confirmatus*, *Exquiſitus*, indolens, qui hydropem inducit, nec curari poteſt.

II. Alius eſt à *materia bilioſa*, qui ex eo *cognoſcitur*, quod cauſæ bilioſum ſuccum coacervantes antecesſere, bilis exſuperantis & concalefacti jecoris ſigna adſunt. Ictero ſuccedit & febrem lentam comitem habet, ac in hydropem, qui aſcites *dicitur, præcipitat*.

Alius à *materia pituoſita*, in quo cauſæ craſſum ſuccum coacervantes præceſſere, jecoris refrigerati ſigna adſunt. Cachexia & leucophlegmatia inducitur. Morbus citra ullum incommodum diu perſiſtit: & ſi in hydropem vertitur, primò in cachexiam, deinde in leucophlegmatiam tranſit.

Alius à *materia melancholica*, cujus etiam ſigna aderunt.

III. Alius eſt *in gibba*, ubi Topicis aliquid proficitur. Alius *in ſima*, in quo interna etiam remedia adhiberi debent.

Huc pertinet *Tumor Epatis* abſque ſcirrho, qui ex eo *cognoſcitur*, quod brevi tempore naſcatur, minus renitatur, digiti manus ſub extrema coſta configi nequeant. Occupat ambientem duntaxat epatis membranam, interdum tamen totum hypochondrium

drium replet. *Oritur vel* à viſcido humore, *aut* à cibis ejusmodi nato. *aut* tali per alterantia frigida circa evacuationem adhibita facto : *vel* à cruditate tenui, à cibis, potu & aliis frigus inducentibus exorta : vel à flatu tenui. *Curatio* aperientibus & evacuantibus perficitur.

ARTICULUS V.

De Vulneribus & Ulceribus Epatis.

V*Ulnera Epatis*, quæ in ſenili & cachectico corpore ſunt valde *periculoſa*, ob longam verò ſanguinis effuſionem *lethalia*, vel ſunt ab *Externis cauſis*, quæ adſtringentibus & glutinantibus, (roſæ rubræ ſiccæ laudantur) curantur vel à *Contuſione*, quæ vomitum vel dejectionem per alvum vel urinam ſanguineum conjunctum habet, vulnere periculoſior eſt, & in abſceſſum degenerat. In *Curatione* exigit. 1. Venæ in cubito ſectionem. 2. Potiones ex adſtringentibus compoſitas. 3. Subſiſtente profluvio concreti ſanguinis per ſua medicamenta diſſolutionem.

Ulcus epatis eſt ejuſdem à pure vel ſucco eroſio.

Signa ſunt, ulceroſus in dextro hypochondrio dolor, Tuſſis, color faciei ictericius, putridorum, ſanioſorum & cruentorum per alvum vel urinam dejectio, atrophia, quia nec ſanguis conficitur, nec homo alitur.

Cauſæ ſunt, quæcunque ſubſtantiam epatis erodunt: de quibus in Differentiis agetur.

Curatio non eſt negligenda, quamvis *exiguæ ſit ſpei*. Perpetua enim colluvie, quoniam alimento continenter alluitur, ſordeſcit. Inſtituitur, ut in cæteris ulceribus.

Differentiæ ulcerum epatis ſunt variæ.

I. Aliud eſt *in ſuperficie*, quod minus periculoſum. Aliud *in ſubſtantia*, quod exitiale, quia pars ſpermatica regenerari non poteſt.

II. Aliud

II. Aliud est *in gibba*, quod *cognoscitur* ex urinis purulentis absque signis exulcerationis in vesica & renibus, difficili respiratione, septi transversi dolore. Aliud *in Cava*, quod *cognoscitur* ex cruenta interdum purulenta alvi excretione, intestinorum ob materiæ acrimoniam dolore, punctionis & gravitatis circa epar sensu.

III. Alia quod *inflammationem sequitur*, quæ in abscessum desiit: & hoc periculosum est, si præsertim materia in substantia jecoris contineatur. Aliud, quod à *succis acribus & erodentibus* oritur, quod exinde *cognoscitur*, quod sensim serpat viribus constantibus; febris in progressu oriatur, typum non servans, quæ tandem in hecticam desinit. Ciborum, maximè carnium fastidium affligat, &c. *Oritur* alimentorum vel corruptorum vel septicorum vitio, vinum generosum viscus calefacit, & exsiccat, putridumque quendam lentorem & saniem exaggerat.

CAPUT II.

De Epatis symptomatibus.

TITULUS I.

De Imbecillitate Epatis.

SYmptomata Epatis sunt, *Imbecillitas*, *Cachexia*, *Hydrops*, *Icterus*, *& Atrophia*.

Epatis Imbecillitas, seu ἀτονία, est facultatum ejusdem à causis suis inducta læsio.

Signa ex excrementorum alvi, urinarum & coloris in toto corpore consideratione sumi debent: ut in Differentiis patebit.

Causæ hepatis facultatis lædentes, sunt intemperiei morbi, sive illa sit calida, sive frigida; cui ac-

accedit error externus, quando nempe vel chylus in ventriculo non rectè elaboratur: vel bene elaborato, aliquid vitiosi permiscetur, &c.

Curatio debet perfici Epar roborantibus eidemque appropriatis, ut sunt *Epar lupi*, *vituli*, *gallinarum*, *cochleæ*, *passulæ*, &c.

Quantum ad *Differentias*,

Alia est ratione *facultatis sanguificatricis*, quæ vel læditur ab *intemperie frigida*, seu calidi nativi defectu; & tum alvi excrementa, carnis recens mactatæ loturæ sunt similia, quæ frigiditate se intendente cessant, cruditates fiunt, quibus primum pedes, dein & & cæteræ partes, quòd venæ jecori malè affecto, utpote suæ origini condoleant. Huic curando inservit *Geranium Rupertianum tusum*. *Lixivium è sarmentis vitium* cum vino, &c. Vel ab *intemperie calida*, in qua chylus quasi aduritur, excrementa sunt fæci sanguinis similia, &c.

Alia est ratione *facultatis Attractricis*; & tum Liquida defluunt ab alvo cremoris specie, etiamsi nulla ventriculi sit offensa, nulla mesenterii obstructio.

Alia *ratione Retentricis*, & tum alvus, raro tamen, liquida & saniosa, carnis loturæ recens mactatæ similia, reddit, &c.

ARTICULUS II.
De Cachexia.

CAchexia est universi corporis in aquosam & tumidam mollitiem, nutritionis culpâ, diffusio.

Subjectum est corpus universum; sed illæ partes inprimis, quæ oculis incurrunt, ut cutis & musculi.

Signa sunt, color propter pituitositatem sanguinis aliquando albus, aliquando propter bilis aut melancholiæ mixturam lividus aut plumbeus. Tumor cum gravitate & inertia, in pedibus & manibus præsertim, ob humorum serosorum descensum, &

ipſorum à corde diſtantiam: ſed & circa oculos in facie, genis, palpebris, quod patres illæ laxitate ſua humores ſeroſos facilè recipiant.

Cauſa eſt Nutritionis vitium. Quamvis enim quod apponitur, concreſcat & adhæreſcat: tamen, propter nimiam cruditatum copiam, non aſſimilatur. Scilicet, *ſanguis eſt pituitoſus, crudus, & ſeroſus*; iſque talis generatur, vel propter *alimenta impura*, corrupta, & ſerum abundans generantia: vel propter *viſcera*, quæ aut ſunt *Impura, ſeu* à ſcirrho, ut dictum eſt; *ſeu* à corrupti humoris effuſione, ut in menſium ſuppreſſione animadverſum, purulentam materiam ex ureterum obſtructione, in venas regurgitantem, ſanguine infecto, totum corporis habitum infeciſſe: *ſeu* à corrupta ipſorum ſubſtantia. Sic enim vitioſus corruptusque ſanguis profertur, & in partes ſingulas evectus, illicque concreſcens, vitiatam ſubſtantiam pro utili reponit: hinc cachexia pro ſanguinis conidtione varia. Pituitoſa *virgines* afficit, & leucophlegmatiam denunciat. *Aut ſunt Imbecilla*, quod læſa fuerint ſeu morborum diuturnitate, ſeu nimiis evacuationibus, ſeu diuturna incarceratione, &c.

In *Curatione* diligenter obſervandum, 1. Ut ratio illorum morborum, à quibus cachexia procedit, habeatur. 2. Si humores abundant, hydragogis, præſertim evacuentur. 3. Ad deobſtruendum, laudatur *pulvis Cacheticus* ex chalybis præpar. p. j. Caſſiæ ligneæ p. iii. ſacchari albiſſimi p. iv. pulvis ſtercoris anſerum juniorum. 4. Sudores feliciter *Antimonio diaphoretico* cientur. 5. Cachexiam virginum pellit *aqua ex nucibus juglandibus* recentibus in taleolas diſſectis, in vino albo per viginti quatuor horas maceratis, deſtillata, ſaccharo Canario dulcorata, & ad ſolem per aliquot dies expoſita, & unc. iii. pondere, in ſequente exercitio, ſumta.

ARTICULUS III.

De Hydrope in genere.

HYdrops vel *in genere* ſpectatur, vel *in ſpecie.*

Hydrops in genere conſideratus, eſt tumor corporis vel partis ejus præter naturam, ob humoris aquoſi & ſeroſi, vel flatus collectionem, exortus.

Signa ipſius ſunt, Tumor & inflatio corporis, gravitas, difficultas ſpirandi, dolor extenſionis in dextro vel ſiniſtro hypochondrio, fœdus faciei color ex virore albicans, vel ad citrinum aut plumbeum declinans, urina pauca & tincta, ſitis aſſidua, partim ex defectu humidi naturalis & nutritii, partim ex adſcenſu calidorum ſalſorum halituum os ventriculi exſiccantium, partim ob diminutam aëris adductionem, unde cor & pulmo ſiti quoque æſtuant. De *Tumore verò pedum* notandum. 1. A corporis exercitatione potiſſimum & veſperi tumere, quod aquoſus humor pondere ſuo deorſum vergat. 2. Noctu detumeſcere peracta coctione, ob augmentum caloris, adjuvante ipſius lecti calore. 3. In convaleſcentibus ſeu ex acutis, ſeu ex diuturnis morbis, quod languens calor tantùm concoquere non poſſit, quantum ab ægro aſſumitur, & crudum ac ſeroſum quod inde oritur, ad pedes convolet ſine inſigni periculo, modò maturè ſuccurratur, ſæpe intumeſcere.

Cauſa eſt nutritionis vitium ab epatis intemperie frigida profectum, quæ inducitur *vel* Extinctione caloris, ſeu immediata, à ſex non naturalibus, ſeu mediata, à totius vel partium aliarum morbis; vel *Diſſolutione*, ſeu Diſſipatione, ſeu à nimio calore, ſeu aliis cauſis.

Curatio non eſt *difficilis*, ſi hydrops eſt recens. *Difficilis*, ſi ex alio morbo corpus labefactatum comprehendat. ſi eſt inveteratus. *Obſervandum* in ea :

1. A lenioribus incipiendum. 2. Quia chronicus morbus, longiore tempore remedia uſurpanda. 3. Ne natura nimis aſſueſcat, varianda. 4. Interdum per aliquod tempus, ne natura opprimatur, ceſſandum. Modum vide in ſpecialibus.

ARTICULUS IV.

De Aſcite.

HYdrops in *ſpecie* conſideratus eſt, vel *Aſcites*, vel *Tympanites*, vel *Anaſarca*.

Aſcites eſt abdominis ab humore aquoſo, ſeroſo & ſalſo, in abdominis capacitatem, Epatis, lienis & Renum vitio effuſi, cum pedum, femorum, & ſcroti aliquando tumore diſtentio.

Signa ſunt, Tumor ventris, qui ab inferioribus partibus utpote à fonte caloris corde, remotiſſimis incipit. ſuperiorum partium gracilitas, *raucus*, percuſſo ventre, veluti ab utre ſemi*pleno ſonus*, ægro circumvoluto de latere in latus, *murmurantis & fluctuantis* aquæ ſonitus. Morbo invaleſcente, ſuccedit diſpnœa ob copiam aquæ Diaphragmati incumbentem, Tuſſis, interdum ſeu ex compreſſione diaphragmatis, ſeu ex aquæ in thoracem penetratione, unde ſuffocatio brevi oritur. Impreſſio digitorum manifeſtum poſt ſe in carne veſtigium relinquit.

Cauſa eſt aquoſus & ſeroſus humor: unde hydropici parum per urinam emittunt, qui poſt magnos hauſtus multum emittunt, hydrope non afficiuntur, & quidam abſtinentia à potu ſanitati reſtituti ſunt. *Colligitur* iſte humor, ſi *Locum* ſpectes inter ventriculum & renes, per quæ alias naturaliter ſerum evacuari ſolet. præſertim in vena ſplenica, meſaraica, & fortè arteriæ ſplenicæ ramis, & radicibus earum venarum circa cava viſcerum, gaſtricis & Epiploicis. Unde poſt febres quartanas & diuturnas, quarum cauſa

causa in venismesaraicis, hydrops sequitur: si *Causam*, colligitur à nimio potu & humidis cibis, accedente vitio viscerum, quæ serum vel attrahunt vel continent: quo fit, ut illud in ventre subsistat, & pòst in cavitatem abdominis effundatur. *Effunditur* autem in abdominis capacitatem, seu spacium illud, quod est inter peritonæum, omentum & intestina, per ramos epiploicos & gastro epiploicos præcipuè: ita tamen ut nec *Omentum*, quod venas à sola vena portæ habet, & facile saburram mesenterii & lienis excipere potest; nec *pancreas*, quod in medio splenicam venam ad lienem transeuntem, cum cæliacæ arteriæ sinistro ramo habet, extra culpam sit. *Effusus* humor, quamvis frigidus sit, quia tamen multas partes salsas continet, & calorem à vicinis partibus mutuatur, calidus etiam est. quin temporis diuturnitate putrescit. Unde corruptio viscerum, febris, sitis, dum vapores os ventriculi percutiunt, suscitatur.

Curatio est *Melioris spei*, si æger est juvenis & robustus. si servus, qui famem, sitim & alia tædia ferre potest. si plus humoris per urinam excernitur, quàm assumitur. si aqua quæ in venis est, salvis visceribus, in ventrem seu alvum confluit. *Nullius ferè*, si ex acuto morbo exsistat, quia viscera absumto humido radicali frigidam & hecticam intemperiem, quæ corrigi non potest, contrahunt. si aqua in omentum erumpat, illudque corrumpatur. si lienosis post diuturnam dysenteriam advenerit, quia pravi humoris transitu caloris innati symmetria in intestinis & visceribus perit. si eidem tussis superveniat, quia aquosam humiditatem in tantum crevisse, ut in thoracem penetret, & asperas arterias jam occupet, indicat. si abscessus vel maculæ in crurib. erumpant. si levatus remediis, integrè renascitur, quia viscera corrupta & vel scirrho vel marasmo

& hectica intemperie obſeſſa eſſe ſignificat. ſi à colliquatione oriatur, quia vires omnes exſolvuntur, & corpus langueſcit, *Perficitur*, 1 *Aquæ in abdomen effuſæ evacuatione*, præparatione humorum craſſorum, ſi interveniunt, præmiſsâ. Evacuantur autem, 1. *Per alvum*, mediçam. hydragogis. *Mitioribus*, ut *Mechoacanna*, *Ialapa* quæ adſcr. *iß* dari poteſt. ſucco *ireos* depurato, qui ad dr. iii. cum ſyrupi de Endivia dr. vi. Aqua Petroſel. unc. ſ. & ſpecier. diarhod. Abbat. ſcr.j. exhiberi poteſt. *Floribus*, *Perſicorum* ſiccis, & in vino coctis. *Fortioribus*, ut *gummi gotte*, quod à gr. vi. ad xv. (vide de eo *Reudenium*) datur. Extracto *Eſulæ Rulandi*, *Trochiſcorum Alhandel.* ſeu *ſpiritus vitæ aureus* ejuſdem. *Elaterii*, Maſſariæ laudatiſſimo, à gr. i. ad iii. Magiſterio ſeu Cryſtallis *Lunæ Tentzelii*, decreſcente maximè lunâ exhibito, à gr. iv. ad v. *Mercurius vitæ*, longa digeſtione fixior, *Crocus metallor. Abſinthiacus Mynſichti*, ejuſdem *Tartarus Emeticus*, &c. quæ omnia paribus diebus, non nimis frequenter, nec viſceribus nimium corruptis danda; an bene ferant poſt ipſorum uſum, videndum; & viſcera ſemper roboranda ſunt. De *Paracentheſi* vide Authores. 2. *Diureticis*, quæ hydragoga ſequi debent, inter quæ palmam ferunt, Pulvis *terreſtrium vermium* dr. j. pondere cum decocto Aſparagi vel fœniculi exhibitus. Sal *fraxineus ſalinatus*, *Billichio* prodente. *Vinum* per Cinerem ex *ſtraminis fabarum* man. vi. ſummit. geniſtæ, juniperi ana m. ii. ſ. matris ilvæ m.j. ſ. combuſtis, bis terve colatum, & un. vi. pondere exhibitum. 3. *Sudoriferis & exſiccantibus*, ut ſunt, Radix *Aſclepias* in vino macerata & decocta. *Antimonium diaphoreticum*, Decoctum *ligni ſaſſafras*. *Theriaca* jugland. nucis minoris magnitudine cum olei ſulfur. guttis aliquot in vino. *Lapide ſerpentis*, de quo apud Joëlem. Extra *Emplaſtrum de Cineribus Mynſichti*.

fichti. II. *Partium*, ne aqua iterum colligatur, *roboratione.* Valent, Trochiſci de *Abſinthio*, *Diacubebæ Paracelſi*, &c. III. Diæta, quam in authoribus vide.

Differentiæ à partibus, quorum vitio ſerum colligitur, ſumuntur.

Alius eſt vitio *Renum*, ſerum non attrahentium, ſeu quod *Exulcerentur*, & tum aliquid puris in urina apparet; mictio quàm in cæteris cauſis longè parcior eſt: ſeu quod *Vreteres rumpantur*; & tum ſubito oritur. plerumque id in caliculi exturbatione fit.

Alius vitio *Lienis*, qui cum, tanquam ſpongioſus, aquam ex ventriculo, officio eo à natura ſibi delegato, per vas breve trahere debeat; quæ hinc per arteriam ſplenicam in cœliacam, mox à trunco arteriæ aortæ per emulgentes arterias ad venas derivetur; illud vel *nimis avidè*, ob καῦμα in venis obortum, perficit: quod *cognoſcitur* ex alvi profluvio pertinaci, quod nec tumorem ventris nec dolorem propter intemperiem hecticam tollit, & vel ab imbecillitate venarum alimentum non attrahentium, vel ejuſdem corruptionem & continuam bilioſi excrementi evacuationem cum æſtu inteſtini jejuni & meſenterii affligit. Vel *omnino negligit*, *ſeu* propter obſtructionem viarum ad eum tendentium à craſſis humoribus factam: *ſeu* ob caloris diſſipationem, à ſcirrho, nimia evacuatione, calidorum uſu, partium vicinarum intemperie, morbis acutis: *ſeu* ob caloris ſuffocationem ab uſu frigidorum nimio, à menſtruis ſuppreſſis, à ſuperfluis evacuationibus, &c.

Alius eſt *vitio Epatis*, ſerum ſeu ob eaſdem cauſas non arttahentis, aut retinentis: ſeu ob idem καῦμα nimis allicientis: & tum, Tuſſiendi deſiderium adeſt. Excrementa ſunt pauca & ſicca, propter ſero-

ſitatis in abdomen miſſionem,& cæterorum à calore epatis exuſtionem.

ARTICULUS V.
De Tympanite, & Anaſarca.

Tympanites eſt abdominis ex multo flatu, à calore vel debili vel torrefaciente excitato, in illius capacitate concluſo, diſtenſio.

Dicitur & *Hydrops ſiccus*, quamvis plerumque cum aqua conjungatur.

Signa ſunt hæc. Cutis inſtar pellis tympani extenſa apparet,& percuſſa ſonum tympani edit, umbilicus multum extrinſecus prominet. major eſt ventris inflatio, ſed minor gravitas. compreſſio non adeò conſpicuum poſt ſe veſtigium relinquit, ſed fovea ſtatim repletur, ructus & crepitus cerebrò prorumpunt, borborigmi & rugitus obmurmurant. *Diſtinguendus* eſt à *Thoracis poſt vulnera diſtentione*, quæ pectus, dorſum, lumbos, ſcrotum, brachia, collum, imò totum habitum interdum occupat. Ex eo oritur, quod aër, qui rectà per os ad pulmones tranſire,& ex pulmonib. iterum per os exſpirari debebat, patente inter muſculos duos, vel muſculos & cutem via, è vulnere quaſi è folle, in ſpacium intercutem & muſculos inflatur, & hinc porrò in vicinam penetrat.

Cauſa eſt flatus, qui, ſi *Ortum* ſpectes, vel à calore debili, vel ab eodem nimio & torrefaciente, qui id quod ſubtile eſt violenter agitatum in vapores reſolvit, ut in atra bile ventriculo ſubſtrata videtur; oritur. ſi *Locum*, nec in ventriculo eſt, quia per ructus ejiceretur: nec in inteſtinis, quia per alvum excluderetur, ſed inter meſenterii & inteſtinorum tunicas plerumque generatur. Nam in hydrope ſicco, tormina circa umbilicum, labores, & lumborum dolor affligunt: at meſenterium antrorſum

tenui-

tenuibus inteſtinis, in dorſo, lumborum vertebris à quibus naſcitur, unde diſtentio, annectitur. Invenitur tamen & in inteſtinorum cavitate, & eo per orificia venarum meſaraicarum, ſe inſinuat.

Curatio requirit, I. *Materiæ* flatus procreatricis *eductionem*: ubi locum habet *vinum* Ferdinandi *antipneumaticon*: de quo in Hiſtor. 38. *Spiritus ſalis* coagulatus, cum aqua abſinthii, & ſpiritu ſambuci. II. *Flatuum diſcuſſionem. Extra* per cucurbitulam magnam ventri appoſitam: per frictiones cum *allio* in vino generoſo decocto & contuſo; per fomentum ex *urina pueri & lapide prunellæ*: de quo vide Hartmannum. *Intra*, per decoctum *ligni Ebeni*, ſpiritum *ligni guajacini*, arcanum *cumini & carvi*, Liquorem *florum tapſi barbari*, &c. III. *Calidæ viſcerum intemperiei*, ſi adeſt, *emendationem*: ſi imbecillis eſt, *roborationem*.

II. *Anaſarca*, *ſeu* ὑποσαρκίδιον *& Leucophlegmatia*, *eſt molis corporeæ præter naturam per totum corpus æquale incrementum, vitio alimenti exortum.*

Signa ſunt, incrementum molis corporeæ, majus quàm in cachexia, per totum corpus æquale, ita ut pedes & tibiæ initio tumeant, corporis mollities, laxitas, pallor, & ad laborem minimum debilitas, febris aſſidua, lenta, cum pulſu parvo, crebro & inæquali, urinæ albæ, tenues, crudæ, &c.

Cauſa eſt alimenti vitium, quod propter immodicam epatis & venarum refrigerationem (de qua in intemperie dictum) pituitoſum & crudum eſt; imò corpus aqua lenta & concreta ſuffunditur: & quamvis nutrimentum & concreſcat, & nutriendæ parti adhæreſcat: tamen non aſſimilatur.

Curatio eſt *facilior* quàm in aliis, quod humor pituitoſus propiùs ad ſanguinis naturam accedat, quàm ſeroſus: quin & accedente in principio, integris adhuc viribus fortiore diarrhæâ, ſolvitur morbus. *Ab-*

ſolvitur, I. *Materiæ aquoſæ* per corpus ſparſæ *evacuatione*, tum per Evacuantia inferiora, inter quæ Extractum vel ſal *Gratiolæ*, Rhabarbaro admiſtum, laudatur: tum per vomitoria, quæ alibi vide: tum per venæſectionem, ſi ex cauſa plethorica aut ſanguinem retinente oritur, ne frigidioris copia calor obruatur, quod in principio faciendum eſt. Tum per ſudorifera, ut decoctum vincetoxici, in Laconico præſertim uſurpata, ante cujus ingreſſum benè *Aquæ Weckeri* (de qua apud Hartmannum) aliquid exhibetur. II. *Viſcerum*, Epatis inprimis & ventriculi, *roboratione*: de quibus ſuis locis. *Ferdinandus*, Ægri in acervum tritrici demerſionem ad materiæ exſiccationem laudat.

ARTICULUS VI.

De Ictero.

ICterus vel eſt *Flavus*, vel *Niger*: de quo *in ſymptomatibus* Lienis dicetur.

Icterus flavus eſt humoris flavi vel videſcentis in habitum corporis, à cauſis ſuis procedens, effuſio.

Dicitur, à nomine aviculæ & *galgulus*: à varietate coloris in arcu cœleſti, *arquatus*: & quia molliter in aulis tractatur, *Regius*, vel quod mulſa regio potu ſanari creditus eſt.

Signa ipſius ſunt, Totius corporis flavedo, citrinitas, aut pallens viriditas, quæ in albo oculi & interno ejus angulo, ubi venæ majores, obſervatur. Venarum ſub lingua diſtentio. hypochondrii dextri dolor, vel eriam durities. ſalivæ amaror, cum vomitu bilioſo, ſingultu, & dolore capitis.

Cauſa humor concolor, qui in habitum corporis, ob cauſas in *Differentiis* dicendas, effunditur.

Curatio pro ratione Differentiarum variat. *Reſpicit* tamen duo: I. *Cauſam*, quæ amovenda. II. *Symptoma*,

ptoma, quod tollendum, poſtquam univerſalia præmiſſa fuerint. Laudatur pro facie & oculis fumus ex *aceto calido*, cui Roſmarinus incoctus: *ſpecifica* ſunt, Extractum *Aquilegiæ* & *Chelidoniæ*, quod cum pauculo Bezoar ditioribus exhibetur. Emulſio *ſemin. Aquileg.* cum ejuſdem aqua ſtillatitia. in pauperioribus pulvis *lumbricor. terreſtrium*, *pediculi* tres vel quatuor vivi in ovo ſorbili, *ſi Zacutho* credendum, quod remedium ſordidiſſimum eſt. *Tinca viva* umbilico impoſita, donec moriatur. *Aranea viva* in teſta nucis de collo ſuſpenſa, & ſcrobiculo cordis impoſita donec moriatur. Inter *Magica* ponuntur, *Vrticarum* ab ægro permictio. *Panni* in ejuſdem urina intincti, & aëre expoſiti, & alia plura, de quibus vide *Petræum*.

Differentiæ ex Cauſis ſumuntur.

Alius eſt ab illis *quæ bilem copioſam generant*; quæ ſunt, Aut *Externæ*, ut Dulcia, cibi potusque calidi. Venena inprimis, ut fel leopardi, viperæ, & venenator. morſus: & tum *Alexipharmacis* agendum eſt, veneni naturæ ſpeciatim oppoſitis, in quibus etiam manifeſtarum qualitatum ratio eſt habenda. Aut *Interna*, ut ſunt 1. *Epatis intemperies calida & ſicca*, & tum urinæ vehementer ſunt coloratæ & craſſæ. fæces alvi croceo colore tinguntur, pedes & manus calent. 2. *Inflammatio* & *Apoſtemata* ejuſdem: de quibus ſuperius.

Alius ab *illis*, *quæ ſanguinis depurationem bilisque ſecretionem & excluſionem* præpediunt, ut ſunt, 1. *Compreſſio* veſiculæ felleæ à ſcirrho epatis vel alio tumore, quæ vide ſupra. 2. *Obſtructio* ejuſdem, à pituita craſſa, bile copioſa, calculis & aliis cauſis, quæ fit *vel* in meatu exporrecto ad hepar per quem allicitur, & tum fæces tinguntur: *vel* in illo ad duodenum, tendente per quem ejicitur, & *tum* fæces albicant. *Vel* fit vitio Epatis, & *tum* hypochondrium dextrum tenditur, ſi durum evadit, hydropem prænunciat:

nunciat: *Vel* vitio folliculi ipſius, & *tum* ſubitò invadit, alvus pigrior eſt, fæces, quia non tinguntur, albicant. *Curatur* I. *Deobſtruentibus*, inter quæ prævalet *Cuſcuta*, decoctum *fragariæ* cum marrubio & paſſulis, ſuccus *radicum urticæ* in vino contuſarum, cum croco, *Anſerculorum ſtercus* verno tempore collectum exſiccatum, & dr. j. pondere datum, *Cremor Tartari* vino chalybeato dilutus, ſpiritus *Tartari*, &c. II. *Purgantibus*, per vices cum deobſtruentibus adhibitis, inter quæ *Rhabarbarum & Hiera picra* optima.

Alia *ab iis*, *quæ bilem repente ab interioribus ad circumferentiam corporis expellunt*, quod præcipuè fit in Febribus acutis, in quibus *vel* ejicitur Criticè, ac tum præceſſere ſigna coctionis, & ſolvitur morbus. *Vel* ſymptomaticè, propter copiam & acrimoniam; & *tum* ante ſeptimum diem accidit. Si *ſine rigore* fit, *vel* à debilitate naturæ, *vel* ab inflammatione eſſe cenſetur. ſi *cum rigore*, materia febrilis è viſceribus & venis ad cutem ejicitur. In *Curatione* ratio eſt & febris & Epatis habenda.

ARTICULUS VII.

De Atrophia.

ATrophia *eſt totius corporis exſiccatio & extabeſcentia, ob fruſtratam ejus nutritionem exorta.*

Subjectum eſt totum corpus, ratione præcipuè partium molliorum, pinguedinis & carnis. Partes duriores exſiccari quidem poſſunt; ſed ita imminui, ut inde totum corpus decreſcat, non poſſunt.

Signis opus non eſt. Cum viſui affectus appareat.

Cauſa eſt fruſtratio nutritionis, quæ *vel* vitio alimenti, quando illud aut deficit, quod non aſſumatur, non attrahatur, non apponatur, diſcutiatur, &c.

aut

aut vitiosum est: *Vel* vitio facultatis nutrientis, quando calor nativus aut humidum radicale deficit, provenit.

Curatio respicit I. Symptoma ipsum, ubi locum habent, *Balneum* ex decocto capitis & pedum vervecis, salicis rubræ. Aquæ dulcis, in quo cineres corylorum, semen lini, ossicula vervecum contusa ebullierunt. *Diæta humectans*, ex emulsione amygdalorum dulcium, seminum quatuor frigidorum majorum. Lacte caprillo, &c. *Curatio magnetica*: de qua apud Hartmannum, in Chymiatria. *Inunctiones* unguento Amati Lusitani, apud Sebastianum Austrium de morbis puerorum. p. 555. II. *Causas*, de quibus in Differentiis.

Differentiæ Atrophiæ sunt variæ.

I. Alia est *Universalis* totius corporis: de qua nunc dictum. Alia *Particularis*, quæ à peculiari partis vitio proficiscitur. In Curatione locum habent Fomenta, Dropaces, Picationes, & Percussiones, quibus partis siccitas corrigitur, calor obtusus excitatur, & alimentum allicitur.

II. Alia est à *Vermibus Dracontiis*, qui pueros exagitant.

Alia à *Ventriculo*, chylum non benè elaborante.

Alia ab *Epate*, quando istud aut calida & sicca intemperie laborat, & bile multâ perluitur. aut obstruitur vehementer, ut nutrimentum difficulter penetret.

Alia à *Liene*, cui eadem accidere possunt.

Alia à *Mesenterii obstructione*, quæ Indis Orientalibus est familiaris, plerumque bulimiam cum lienteria conjunctam habet; sed & in abscessum (qui integrum mesenterium ita absumit, ut intestina nullo ordine confusa, tenuibus duntaxat pelliculis inter se cohæreant) abit. In Curando *gramen crucis*: de quo apud *Alpinum* de plantis Ægyptiis cap. 40. lauda-

laudatur. Vide de his & *Bontium* in Medicina Indorum p. 156.

Alia à *Corde*, quod fit in Hectica.

Alia à *Pulmonis ulcere*, quod in phtisi accidit.

Titulus V.

De Lienis affectibus.

Caput I.

De Lienis morbis.

Articulus I.

De Lienis Obstructionibus.

Morbi Lienis sunt *Obstructio*, *Inflatio*, *Inflammatio*, *Scirrhus*, *Vlcera & Vulnera.*

Lienis obstructio est ejusdem ab humoribus crassis infarctio.

Pars affecta est Lien, vel secundùm venas & arterias, vel secundùm totam substantiam.

Signa sunt ista. In principio gravitas hypochondrii & dolor lienis infertur: hinc humor cum sanguine permistus, & in totum corpus diffusus, livido colore ipsum tingit, respirationem difficilem post exercitium reddit. in ventriculum effusus, nauseam & vomitum: in intestina, diarrhæam efficit. interdum, propter siccitatem, alvum adstringit.

Causa est Humor terrestris & crassus, qui sæpe ab aëre paludoso & cibis crassis colligitur, & propter lienis imbecillitatem & viarum interceptionem expelli non potest. *Interdum* propter lienis calidam intemperiem, & chyli incocti attractionem, quod post decubitum frequentem in latus sinistrum, & nimiam exercitationem accidit, cumulatur. *Interdum* ob hæmorrhoidum consuetum fluxum interceptum, vel mensium suppressionem subsistit.

Curatio

Curatio inſtituitur, prout in aliis obſtructionibus. Nota tamen. Cauſarum à quibus prodit, rationem habendam. Vomitoria, cum recta ſit à liene ad ventriculum per vas breve via, prodeſſe. Ex *purgantibus polypodium* & *Epithymum* cum paſſulis, *ſennam* cum cremore Tartari valere. Ex *aperientibus* flores *geniſtæ*, & Electuarium *de chalybe Saxoniæ* laudari. Emplaſtrum *de Ammoniaco* in aceto ſquillitico ſoluto rectè applicari, præmiſſo aliquo conveniente fomento. Electuarium *roborans Solenandri* vide apud Hartmannum.

II. *Lienis inflatio eſt ejuſdem in tumorem à flatu elatio.*

Signa ſunt iſta, Tumor & diſtentio cum aliquo dolore, ſed ſine ſenſu gravitatis & ponderis percipitur. Murmur & ſonitus editur. Compreſſus lien cedit.

Cauſa ſunt, *vel* Aquæ frigidæ largior hauſtus: *vel* cibi flatulenti, ut piſa, caſtaneæ, fabæ, bulbi. *Vel* Humores craſſi & viſcidi, qui à calore imbecilli vinci poſſunt, & in vapores reſolvuntur, qui lienem, quia ſpongioſus, facile inflant.

Curatio ut in aliis. Chymici *Spiritum ſaturni* ardentem in extracto ſilicis laudant, & eodem regionem lienis ter in die inungunt. Purgatio in cauſa externa improbatur. Inunctio per oleum rutæ, capparum, &c. ſufficit.

ARTICULUS II.

De Lienis inflammatione, & Scirrho.

L*Ienis inflammatio eſt ejuſdem à ſanguine in ſubſtantiam ejus effuſo, in tumorem elatio.*

Afficitur Lien interdum *totus*, interdum *non* item.

Signa ſunt, Tumor in ſiniſtro hypochondrio verſus anteriora quaſi protuberans, & hominum quaſi medium cingens, ſic à renis ſiniſtri qui dextro elatior

dolore

dolore & inflammatione diſtinguitur: Pulſatio & palpitatio illius lateris, ob *arterias* quibus abundat, Febris continua quartanæ periodum ſervant. Reſpiratio, ob Diaphragmatis compreſſionem difficilis.

Cauſa eſt ſanguis effuſus & putreſcens : qui *vel* purus eſt, *vel* mixtus, & ſuis ſe ſignis prodit.

Curatio aliarum inflammationum methodum ſequi debet; modò largior â purgatione potus fugiatur, ne humor ad ſubſtantiam hepatis feratur.

II. *Scirrhus lienis eſt tumor ejuſdem durus, ab humore craſſo, glutinoſo & indurato procedens.*

Signa ſunt, Tumor renitens cum duritie oblonga in ſiniſtra parte, & quidem ſine dolore; cui accedunt difficultas reſpirationis, oris ſiccitas, pedum inflatio, decubitus in ſiniſtrum latus gravis, ſudor moleſtus, &c.

Cauſa eſt Humor craſſus & glutinoſus, qui *vel* ſtatim erat talis, à cibis craſſi ſucci, laboribus, vigiliis, quæ illud, quod ſpirituoſum eſt, *in humoribus* abſumunt, ortus: *vel* poſt, cum per ſe tenuis, aut caloris vi, aut medicamentis nimium diſcutientibus, aut naturâ tartareâ, ad indurationem eunte, eſt induratus. Hic in totum corpus cum ſanguine diffuſus, illud lividum & coloratum reddit : & ad tabem, quod officio ſuo ſanguificationis, oppreſſus lien ſatisfacere non poſſit, adducit.

Curatio eſt *difficilior*, ſi ægris Diarrhæa oboriatur, & lienteria, vel aqua intercus excipiat. *Reſpicit* ea, quæ Scirrhus Epatis. Inter *Digerentia* laudantur intra, Radix *filicis*, *Lamii* ſeu urticæ mortuæ pulvis in cibo. lignum *Tamariſci* in aqua chalybeata decoctum ad tertias. *Compoſitum ex radic. filicis unc.* j. *Cuſcutæ dr.* ij, *in vini potentis unc.* viij. *ad tertiæ partis conſumtionem* decoctum. *Externè* inter emollientia valet unguentum *Fabricii*, *ex gummi Ammoniaci unc,* j. *ol. amygdal. dulc. lilior. alborum*, pin-

pinguedinis gallinæ ana unc. ii. succi Cicutæ unc. iv. *Aceti scillitici unc. ii.* compositum.

Differentiæ sunt eædem, quæ scirrhi epatis.

I. Alius est *Recens*, qui dolore ad jugulum usque se extendente affligit. Alius *Inveteratus*, qui omni dolore caret, nec facilè hominem, nisi epar in consensum trahatur, tollit.

II. Alius Lienem duntaxat *secundùm suam substantiam* afficit, qui etiam lienis figura circumscribitur, quamvis & hic interdum secundùm longitudinem ut teres appareat; interdum secundùm latitudinem, interdum secundùm omnes dimensiones intumescat. Alius in *alias quoque partes vicinas* effunditur, ut omnem plerumque ventris sinisttam regionem complectatur.

ARTICULUS III.

De Ulcere & Vulnere Lienis.

DE *Vlcere* nihil est qnod observes, nisi Inflammationes & tumores sequi, pus interdum per urinam vomitum vel alvum fundere. Expurgari, abstergi, consolidari.

Vulnus vel est *in superficie*, quod minùs lethale est. Vel *in substantia*, quod propter effusionem sanguinis est mortiferum. Ubicunque tandem sit, nigrum sanguinem fundit, plerumque simul ventriculum afficit. sitim, & dolorem ad jugulum, excitat. Pus interdum per urinas excernitur, deductum per arteriam cæliacam, ad arteriæ magnæ truncum, & hinc ad emulgentes. Vulnerariis potionibus etiam sanatur.

Caput II.

De symptomatibus Lienis.

Articulus I.

De Dolore Lienis & Ictero nigro.

Symptomata Lienis sunt, *Dolor* Lienis, *Icterus niger*, *Affectio hypochondriaca*, *&* *Scorbutus*.

I. *Dolor Lienis* à solutione continui, & tensione membranæ oritur. Hæc tum ab *Externis*, percussione, casu, &c. infertur: ab *internis*, inflammatione nempe, inflatione, tumoribus, ulceribus, &c. Diligenter verò *distinguendus* est, tum à doloribus illis, qui in sinistro latere, præsertim post cibum vel equitationem percipiuntur, qui proveniunt vel à flatibus, vel ab humoribus serosis, qui in spacia peritonæi eo loci tunicis pertinaciter adhærentis influentes, ipsos à musculis distendunt: tum à Musculorum dolore, qui si isti parum premantur, *sentitur*. *Curatio* Narcotica non exigit. Cum *enim exili tantummodo* tunica vestiatur, exquisitus ille dolor non est.

II. *Icterus niger est cutis totius corporis in nigrum mutatio*. *Cognoscitur* ex ipso colore. *Oritur* ab iisdem causis, à quibus Icterus flavus, nisi quod ibi epar, hic lien peccet. *Curatur* autem *difficilius*. quia, si vesiculæ felleæ vitio fit, major adest bilis corruptio; si vitio lienis, humor est contumacior, & metus est hydropis. Medicamenta è *Chalybe* sunt in illo commoda: sed & balneum siccum, post quod corpus emulsione *seminis canabis*: facies, aqua *florum fabarum* cum vino mixta, abstergenda est.

Articulus II.

De Affectione hypochondriaca.

Affectio hypochondriaca est vitiosorum, in venæ portæ, arteriæ cœliacæ & mesentericæ ramis, ob læsam

læsam lienis coctionem, absque putredine collecta, & per vaporum emissionem multa symptomata inferens, colluvies.

Hypochondriaca dicitur, ob locum utriusque hypochondrii, quo pars illa corporis, quæ sub nothis costis ad ilia usque utrinque protenditur, & cum musculis viscera ipsa complectitur, intelligitur. Dicitur & πάθος φυσῶδες, apud Dioclem & Ætium, propter familiaritatem flatuum, in sinistro hypochondrio contentorum. Tum *Melancholiæ* nomen sortitur, cùm cerebrum per consensum afficitur: ut superius dictum est.

Signa ex symptomatibus facultatis naturalis, vitalis & animalis petuntur. Adest 1 *Ventriculi cruditas*, ob eundem à liene per venam portæ malè nutritum, quam excipiunt continua exspuitio pituitâ humiditate os opplente, vomitus crassiorum partium humoris, vel in ventriculo geniti, vel à liene transmissi, & interdum ita acidi, ut dentes stupeant, quem antecedit ejusdem ebullitio in ventriculo, flatus vicinas partes distendens, ut interdum in lipothymiam homo incidat: tenuium humoris partium per ἄδηλον διαπνοὴν discussio, cum febrili horrore interdum, quem calor quidam sequitur, sudore mox evanescens. 2. *Ventriculi dolores*, qui ad dorsum usque procedunt, ingestis cibis redeunt, concoctis iisdem vel ejectis sedantur. renes in consensum communione membranarum trahunt. 3. *Alvi adstrictio*, tum ob vasorum in utroque latere siccitatem: tum, quia cibus in humorem pituitosum & viscidum mutatur, & sic ab intestinis non promovetur, & pertinaciùs iisdem adhærens, constrictionis causa est. 4. *Æstus hypochondriis* quasi inflammatorius, qui motu, cibo, potu, calidioribus magis ingravescit; quem interdum sequitur malarum & totius faciei rubor ob vaporum ascensum. Ephemera febris sudore

evanescens, ob eorundem ex largiore potu per totum corpus dispersionem. 5. *Vrina* modò tenuis propter vias obsessas, & flatus retentos, unde paroxysmi initium: modò turbida, propter humoris admistionem, cum arenarum rubrarum interdum subsidentia, in qua tartareæ sanguinis partes coagulantur. 6. *Flatulentia*, & in sinistro hypochondrio præsertim fluctuatio, flatibus in cavitate, sub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu exorta, inclusis. 7. *Anxietas*, tum quòd cibus semicoctus inflatus resolvatur, & angustiam pariat: tum quòd ad vasa vicina calida intemperie laborantia deductus, à calore igneo quasi ebulliat, & hypochondria distendat, ac sic angustiam in partibus, quæ nervos à sexta conjugatione habent, excitet. 8. *Cordis palpitatio*, vel ob ventriculi consensum: vel ipsius partis contra vaporum malignitatem certamen; quæ nonnullis magis crescente lunâ propter serum copiosius in massâ sanguinea ebulliens frequentior. 9. *Pulsatio in sinistro hypochondrio*, quem vel cæliacus ramus post iram & motum præcipuè excitat: vel arteriarum in Mesenterio, per glandulas, magnam, præsertim quæ in centro, compressionem. 10. *Palati*, *oris*, & *linguæ siccitas*, propter vaporum resolutorum per œsophagum & asperam arteriam adscensum. 11. *Respiratio difficilis*, tum propter nervorum musculis pectoris dicatorum, affectionem; tum propter materiæ pravæ in musculorum spacia effusionem. 12. *Cerebri perturbatio*. Nam vapores resoluti, si sunt acres, *Epilepsiam* concitant. si obscuri, spiritus obfuscant, & *deliria melancholica* inducunt. si copiosi, *vertiginis* authores sunt. si sicci, vigilias producunt, quæ post mediam noctem plerosque molestare solent, quia chylus distributus & ad secundam coctionem, lienem & vasa vicina perductus, humores in iis latentes agitat, & vapores

ex iis elevat, qui versus cerebrum feruntur. si in œsophagum, musculos laryngis & asperam arteriam, *strangulationis* metum, ob illius distentionem, istorum contractionem inducunt. si in nervos linguæ, brachiorum, secundùm nervorum ductum, insiliant, *stuporem*, & formicantem nunc in hoc, nunc in illo digito, pulsum inferunt. Et hæc sunt symptomata, quæ tamen non omnes invadunt.

Causa sunt Humores pituitosi, biliosi & melancholici. Melancholici tamen præsertim, non tantum primis & secundis qualitatibus, ut sunt adusti, viscosi, fixi: sed & secundùm *δυνάμεις ἀκρότητας καὶ ἰσχεῖς*, amaritie nempe, salsedine, acerbitate & aciditate nocentes. *Colliguntur*, si *Locum* spectes, in venæ portæ, arteriæ cæliacæ, & mesentericæ ramis, majoribus præsertim, & quæ sinistrum hypochondrium perluunt; nec vase brevi, seu arterioso, seu venoso, nec omento, quod venas amplas à vena portæ habet, exceptis. Si *Causam*, colliguntur I. Propter *lienis coctionem* læsam, & quidem *Vel* propter intemperiem calidam, qua succum crudum aquosum prius, crassum posterius attrahit: qui in venis vehiculo destitutus, subsistens, incrassatur & aduritur, flatibusque generationem præbet. *Vel* propter siccitatem, duritiem & scirrhositatem, calore ipsius defervescente, per quem chylus non attractus subsidit, & excrementa non repulsa remanent, quod in sedentaria vita accidit. hinc circa annum ætatis trigesimum iste morbus plerumque invadit. *Vel* propter errorem externum, cum chylus non coquitur, seu vitio ciborum, seu ventriculi, seu affectuum animi, qui dum cibus coquitur calorem ad alias partes avocant, bilem in ira commotam cibis permiscent, lienem qui arteriis multis abundat in actione sua turbant. II. Propter *Vitium glandularum*, quæ vasa mesenterii fulciunt, dum illa vel tumore comprimunt,

vel in vita ſedentaria compreſſæ, anguſtiora reddunt.

Curatio eſt *difficilis*, propter ſymptomatum congeriem. *Facilior*, ſi ſit incipiens. ſi in ætatem nec provectam, nec declinantem inciderit. ſi hæmorrhoides, varices, menſes ſuperveniant. ſi mares potiùs quàm fæminas, pingues & albos, quàm fuſcos afficiat. ſi hæmorrhagia naris ſiniſtræ accedat. ſi urinæ nigricantes, citra febrem liberaliùs profundantur. *Reſpicit* I. *Chirurgiam*, ratione cujus *ſanguis mittendus* eſt: ubi nota, venam brachii ſecari poſſe, ſi magna pars materiæ, venæ cavæ communicata eſt,& circa epar φλόγωσις aliqua affligit. Hæmorrhoidales externas optimè aperiri, quia eidem inteſtino recto inſertæ, communicationem oſculorum cum internis habent. II. *Pharmaciam*, ratione cujus 1. *Humor corruptus* in prima corporis regione hærens eſt *educendus*: ubi locum habent Enemata & vomitus, ſi præſertim copia in ventriculo. 2. *Viæ aperiendæ*, & humor per inciſionem & attenuationem præparandus, ubi nota. Omnia in forma potiùs liquida uſurpanda; quod ſi in ſolida, hauſtus liquoris poſtea ſuperbibendus. A lenioribus incipiendum,in vehementioribus deſinendum.Inter illa ſunt, Ex *ſimplicibus* Radic. *Scorzoneræ Filicis maris*, Herbæ, *Fumariæ*, *ſcolopendriæ*, Flores, *Borragin. Bugloſſ. Poma Burſtorfiana.* Ex *Compoſitis* ſyrupus *pomorum redolentium*, *Fumariæ*, ſpecies *Diacurcumæ*, Eſſentia *Fumariæ*, *chamædryos*, &c. de quibus ſupra in Lienis & Epatis obſtructionibus. Ex his *Acidulæ*, *Thermæ*, *chalybs*,qui, præmiſſa primarum viarum evacuatione, in conſerva borraginis à ſcr. ii. ad dr. j. ſ. jejuno ventriculo primò tertio quoque die ad vigeſimum antequam aſſueveris, vere & autumno exhibendus: pòſt, hauſtus vini addendus, & duarum horarum ſi fieri poteſt deambulatio, quartâ poſt ſum-

tionem

tionem ſubſequente prandio. ſi non deſcenderint excrementa nigra, deſiſtendum: ſin planè ſupprimantur, alvus movenda. 3. *Humor præparatus evacuandus*, per medicamenta purgantia, benigna, humectantibus caſtigata, per epicraſin, circa ultimam lunæ quadraturam exhibita, balneis & fomentis humectantibus interpoſitis, myrobalanis & caſſia excluſis. in cruditate nidoroſa magis cholagoga, in acida phlegmagoga & melanogoga, ſubſequente ſecundâ poſt horâ cibo, ne medicamentum ultra epar adſcendat. 4. *Vapores effumantes*, à capite & præcordiis *divertendi*, per frictiones, Clyſteres, Cucurbitulas, Cauteria, & medicamenta alia, ut *Elixir proprietatis*, conſerv. *roſarum* cum ſpirit. ſulf. & vitrioli. 5. *Partium, quas infeſtat roboratione*, & *ſymptomatum averſione*: de quibus ſuis locis.

Differentiæ à partibus ſemuntur.

I. Alia eſt *per Eſſentiam*, quam hactenus explicavimus.

Alia per *Conſenſum* aliarum partium, & hæc

II. Alia eſt *ſtomachica*, quæ *Cognoſcitur* ex ſputi poſt paſtum frequentia, ructibus acidis & æruginoſum quid reſipientibus, orificii & faucium vellicatione, quâ ſic affecti hauſtum frigidum deſiderant, vehementibus ventriculi doloribus, qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt, concoctis cibis quieſcunt, mox aliis ingeſtis revertuntur, &c. *Curatur* Evacuatione, divertentibus per ſanguinis miſſionem & cucurbitas, ſi dolor ingens affligit. Extergentibus, ſiccantibus, roborantibus.

Alia *Epatica*, quæ *cognoſcitur* ex dolore hypochondrii dextri, eduliorum faſtidio, febre lenta & erratica, doloris ad humeros & claviculas extenſione, &c. In *Curatione*, quam in intemperiebus vide Si hæc ſit calida, ſerum lactis cum ſucco limonum vel pomorum redolentium recens expreſſo, confert.

Alia ab *Vtero*, cujus ſanguis vitioſus facillimè, vel è venis in arterias propter anaſtomoſes, vel ex arteriis in hypogaſtricam quæ ventriculo, pancreati, omento, tenui inteſtino, &c. ramos largitur, mox in cæliacam regurgitat. *Cognoſcitur* ex illis accidentibus, quæ hyſtericis accidere ſolent. In Curatione habenda eſt affectuum uteri ratio.

Alia *Hæmorrhoidalis*, ex hæmorrhoidum ſuppreſſione accidens: de qua ſuo loco. Vide *Matthæum Martini* de morbis Meſenterii abſtruſioribus, accuratè iſta pertractantem.

ARTICULUS III.

De Scorbuto.

SCorbutus eſt cachexia ab humore melancholico, peculiari modo corrupto, orta, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum tumore, & ſanguinolentia, dentium laxitate, & aliis ſymptomatibus affligens.

Scorbutus veteribus notus, partim ſub *oſcedine*, partim ſub *ſcelotyrbe* & *ſtomacace*; partim ſub *volvuli ſanguinei* nomine venit, & nationibus mare & paludoſa loca incolentibus familiaris eſt.

Signa in definitione poſita ſunt, & agetur de iis inferius. His adde *Vrinas* & *Pulſus nimis variantes*. *Illud*, nam initio ſunt tenues & citrinæ materiâ tartarea in iis ſubſiſtente, nunc craſſæ & albæ. humoribus magis corruptis rubræ, & propter ſalſedinis aduſtæ admiſtionem, cum lixivii ſplendore; & tum abſque omni putredinis nota & ſiti, arenulæ rubræ, matulæ ſæpe adhæreſcunt. Interdum turbidæ ſunt & permanent: interdum clareſcunt, & rubrum ſedimentum quod farinam laterum refert, ad fundum deponunt: interdum multa cruda & pituitoſa excrementa ſupra ſedimentum quaſi ſuſpenſa hærent: quibus verò hæmorrhoides ſuppreſſæ male-

lo occasionem dedere, iis guttatim cum dolore & ardore profluunt, & materiam tartaream, mucosam, salsam & nigricantem continet. *Hoc*, quia pulsus nunc debilis est, inæqualis ac sæpe vermicularis: deliquio verò animi imminente, propter summam ejus necessitatẽ, & quod cor vapores expellere conetur, fortior.

Causa est *Humor melancholicus*, illeque 1. *Crudus*, quod ostendit tum victus, tum etiam symptomata, quæ melancholicos affligunt. 2. *Serosus* & ichorosus, ut sit instar lixivii, quod ex aqua & salsis, fæculentis, ac adustis partibus constat: quod ex doloribus vagis & ulceribus animadvertitur. 3. *Pituitosorum* interdum ac vitiosorum humorem *socius*. Nam venâ apertâ, sanguis in scorbuticis quasi glutino albo virescente vel flavescente obducitur. 4. *Peculiari*, postquam diu ibi mansit *modo*, *corruptus*. Hinc multi splenis obstructione & humoribus melancholicis laborant, qui scorbuto non afficiuntur; & in iis regionibus, quibus humoris atri ex aëris fervore collectio est familiariis, scorbutus ignotus est. 5. *Contagiosus*, quod in aliis melancholicis morbis non invenies. 6. Ex *cibis sale volatili destitutis*, *ac proinde* πνδυμάτωσιν in coctione impedientibus: unde tartarea & fæculenta, in primis viis subsistunt, & post ad lienem in tanta copia, ut secerni non possint, confluunt, *progenitus*. Sanè cibi fumo & sale indurati, in quibus aut parum est salis volatilis, aut quod fuit, fumigatione absumtum est, ita ut nihil nisi sal fixum & tartareum remaneat, aër crassus, loca maritima, ad ipsius generationem faciunt. Medicamenta, quæ adhibentur trita & gustata, vaporem acrem, subtilem, & citò evanescentem, qui à sale volatili procedit, dimittunt: eadem exsiccata vel decocta, minus: recentia & condita, exactiùs operantur. 7. *Primariò* in mesenterio, omento, primis viis, locisque inter ventriculum,

epar, & lienem mediis & utrique viſceri vicinis; *ſecundario*, in totius corporis venis reſidens. *Illud*, Nam ſi chylus πνιδμα πότει ſua minus ſit depuratus, ſeu ob imbecillitatem partium, ſeu errorem externum; in illis propter craſſitiem ſubſiſtit, appulſu alterius augetur, eundemque fæculentia & ſalſitate ſua, quam concipit, inficit. Vicinum epar & partes coctioni dicatas, tum contactu tum fumorum emiſſione debilitat & inquinat, unde qualitas illa ab iiſdem cibis & chylo communicatur. *Hoc*, nam colluvies illa, per aliquod tempus ibi detenta, beneficio humoris ſeroſi, ad epar defertur: inde per venas & arterias in totum corporis habitum, tot ſymptomatum cauſa futura diſtribuitur.

Curatio tria reſpicit. I. *Diætam*, quæ debet eſſe incidens, attenuans, abſtergens, deobſtruens: ubi nota. Eſum columbarum ſylveſtrium laudari. Veneris exercitio hunc morbum quibuſdam in locis curari, fortè propter naturalis caloris ἐκλάμψιν. ſaccarata & lacticinia fugienda eſſe. II. *Chirurgiam*, ratione cujus vena baſilica, mediana, ſalvatella, vel malleoli ſecanda eſt; ſed ita, uti ſi maculæ jam prodierunt, ſuperſedeatur; ſi nulla ſit ſpes hæmorrhoidum, & febris afficiat, in actum deducatur. parcè, ne vires collabantur, evacuatio inſtituatur. III. *Pharmaciam*, ratione cujus I. *Præparanda eſt materia peccans*, primis viis ablutis, ita, ut à lenioribus incipiatur; magis attenuantibus, ſi morbus jam invaluerit, vel in craſſo aëre homines vivant, agatur; illa, quæ tota proprietate agunt, adhibeantur; & potiùs in ſuccis, eſſentiis, conſervis, quàm decoctionibus & extractis, in quibus medicamentor. ſal volatilis evaneſcit, propinentur. *Appropriata* ſunt *Cochlearia*, ſeu *Britannica*, quæ laudatiſſima, *Beccabunga* ſeu *Anagallis aquatica*, quæ aliquid humiditatis obtinet, *Raphanus ruſticanus*, ſeu *Armoracia*, *Chelidonium minus*,

nus, *Numularia*, *Sinapi*, *Trifolium aquaticum*, &c. Ex *compositis* ſunt, Electuarium *Danicum* ex baccis quas multiber vocant, confectum, ſyrupus *Sceletyrbicus Foreſti*, nec non *Antiſcorbuticus Mynſichti*. Eſſentia *Chamædryos & Fumariæ*. Spiritus & conſerva *Cochleariæ*. Tinctura *Martis Mynſichti*, appropriatis roborata, &c. 2. *Evacuanda* eſt, *ſeu* per inferiora, ubi locum habent *Pillulæ Tartareæ* Quercetani: *ſeu* per ſudores reliquias diſcutientes, qui ſeu in Laconico, ſeu extra, *Theriacâ Saxonicâ Mynſichti*, Eſſentia *fumariæ* cum ſale abſinthii benè excitantur: *ſeu* per *Diuretica*, cum aquis appropriatis exhibita. 3. *Partes*, ut epar, ventriculus, &c. roborandæ ſunt.

Symptomata quæ ſcorbuticos affligunt, ſunt varia, quæ per periodos ut plurimum afficiunt, non omnia in omnibus reperiuntur: alia magis ſunt familiaria, alia minus: ſunt autem ſequentia.

I. *Difficilis reſpiratio*, & pectoris anguſtia interpolata, quæ abſque ſtertore, ſibilo & tuſſi afficit: interdum caliginem oculis ſuffuſam, lipothymiam; ac ægrorum de ſanitate deſperationem, conjunctam habet. *Oritur* à vaporibus vel humoribus in cavitate omenti hærentibus, & ſeptum tranſverſum comprimentibus, qui poſt vehemens exercitium moti, ſymptoma exacerbant. *Curatur* Thoracicis & Antiſcorbuticis, quibus adde aliquid de confectione *Alkermes Eichſtadii, & croci.*

II. *Gingivarum pruritus, tumor, & putrefactio.* Cum enim caro ipſarum ſit mollis ac laxa, facilè ab humoris tenuiore & acriore parte eo adſcendente eroditur. Pueros maximè infeſtat, & cum dentium nigredine, ſideratione & vacillatione, alveolis à pravo humore occupatis, quæ tamen ſubito evaneſcit, ob humoris recurſum, afficit. *Curationem* ejus juvant, Aquæ appropriatorum, ſi iis os colluatur. plantarum adſtringentium in vino auſtero decoctio, addito

dito ſpiritu vitrioli & alumine, quæ efficaciſſima.

III. *Macularum in cruribus copia*, quæ adultos ut plurimum infeſtant. Primò rubicundæ & pulicum morſibus ſimiles, mox purpureæ & ſublividæ evadunt, tandem ad nigrum colorem declinant. ob majorem copiam interdum pectus, collum, brachia & faciem invadunt; interdum ſubito evaneſcunt; interdum ad annos multos durant. nonnunquam in ſquammas abeunt: & quo magis lividæ, eò magis pernicioſiores ſunt. *Oriuntur* à parte humoris deſcendente, & à natura ad ignobiliores detruſâ. *Curari* diſcutientibus & emollientibus, ut balneis ex *baccis juniperi*, *naſturtii*, *cochleariæ*, *chamæmeli*, &c. poſſunt. Si *ulceroſæ* ſunt, difficulter curantur, cum ab iis totum crus gangrænâ corrumpatur.

IV. *Dolor crurum*, qui tenſivus obtuſus, ὀςεόκοπος, in profundo latens, ſub noctem ingraveſcit, ob humoris melancholici circa id tempus motum. *Oritur* à ſeroſis humoribus, interdum à capite deſcendentibus, & membranis adhærentibus; interdum è ſede colluviei per venæ cavæ crurales ramos extra venas effuſis, & crurum muſculis inſinuatis. *Mitigatur* cataplaſmate ex *lacte coagulato*, cum floribus chamæmeli, naſturtio aquatico, & baccis juniperi in lacte coctis. *Exaſperatur* pinguibus ante macularum eruptionem adhibitis.

V. *Dolor ventris*, qui interdum ita lancinat, ut ægri in peritonæi rupturam inciderint. per intervalla cum pulſu & urina ſcorbuticis infeſtat. ad quadrageſimum uſque diem interdum durat, nec coli ductu circumſcribitur. & quidem, cum ventris depreſſione, ut cum umbilico introrſum revellatur, & hic lumbis quaſi annexus videatur; cum diſtenſionis ſecundùm longitudinem perceptione, inteſtini recti ſurſum revulſione, ut nihil planè prodeat.

Ori-

Oritur, ab effusione materiæ istius per venas mesaraicas, quæ in intestina non hiant, inter duas intestinorum tunicas. Hinc distentio, convulsio, vellicatio, partium vicinarum in consensum tractio, febrium, quarum in viscerum vasis focus, antegressus. *Curatur* Remotione causæ. Mitigatione per laxantia, & clysteres, quibus excretio stimulari debet. *Elixir proprietatis* valdè prodest.

VI. *Dolor pedum circa talos & plantas*, qui est macularum prodromus, & ob tenuitatem materiæ partes quasi penetrat. Medicamento ex *floribus sambuci manipul. ii.* in vino coctis, additis *saponis* dr. ij. facto, & panno loco dolenti applicato.

VII. *Dolores Hypochondriorum incircumscripti*, quod flatus exitus non habeant. *Nephritici*, vel quod materia per vasa emulgentia ad renes descendat: vel quòd congesta, & accessu causæ externæ, ad majora vasa detrusa ad renes defluat. *Lumborum*, qui interdum à sanguine vitioso eo loci contento; interdum per modum catarrhi, à capite per venas in spinalem medullam descendente, oriuntur. Hinc à scapulis dolores incipiunt, & sensim ad lumbos serpunt.

VIII. *Dolores capitis*, qui circa vesperam infestant, ei cum calore quodam febrili, qui sudationibus matutinis evanescunt, junguntur. Illos præcipuè qui ex hæmorrhoidum suppressione hoc malum contrahunt, affligunt. Ex vaporibus eo ascendentibus oriuntur. Ut in majore dosi *beccabunga* exhibeatur, calefacientium dosis minuatur, aperientibus hypochondria illinantur, exposcunt.

IX. *Arthritis*, de qua nota. *Vagam* esse, si præsertim topica frigida apponantur. Plerumque cum levi paralysi, cum dolore cessante & redeunte jungi. Ab humoribus serosis, tenuibus, & ad motum promtis

ori-

oriri. Mire *deprehendi.* Nam ſi loco maximè dolenti lumbricus vivus imponatur, exſilit, circumgyratur, incurvatur, tabeſcit, & emoritur. Inter *Sudorifera* appropriatum eſt, quod ex *rad. ſuccisæ* unc. j. *Aristolochiæ rotundæ* dr. iii. *Herb. ſalviæ nob. Beton.* ana m. j. *Abrotani*, *Rutæ*, *vincæ pervincæ*, *Sabinæ*, ana p. j. &c. paratur, vide *Horſtium*, de arthritide ſcorbutica vaga, Tomo primo Obſervationum.

X. *Paralyſis*, quæ interdum crura, interdum totum alterutrum latus involvit. *A paralyſi vetrum differt*, quod aliquis motus remaneat, interrupta ſit, paulatim prius tentet, antequam ſedem figat. ſequatur, non tam fixum ſtuporem, coli & ventris dolores tumores quavis parte erumpentes, & facilè evaneſcentes. *Oritur* à materia ſcorbutica in medullam ſpinalem per ramum, qui ab arteria aorta non longè à ramo meſenterico porrigitur, & ſerpit in ſpinam ejusque vertebras. *Curatur*, ſi tendines rigidi non ſunt, ſemel atque iterum purgato corpore, *uſu* beccabungæ & cochleariæ. ſi indurentur & rigeſcant, emollientibus cataplaſmatibus, præmiſſis *fomentationibus* ex aqua, in qua fol. ſalviæ, beton. roriſmar. cum flor. ſambuci & meliloti, decocta ſunt.

XI. *Convulſio & contractio*, quæ ita interdum invaleſcit, ut ægri nullum articulum extendere poſſint, & quaſi in orbem contrahantur. *Conjungitur* aliquando cum rigore cardinis oris, in quo gena inferior ſub via audiendi revertitur, ita ut os ſtrictiùs conniveat, quo minus in rectum queat expandi. *Oritur* à rigiditate tendinum, quando in tartareo illo, ſed ſeroſo humore, iſto diſcuſſo, ille relinquitur & exſiccatur. *Curatur* emollientibus & diſcutientibus.

XII. *Sopor profundus*, qui nonnunquam cum febre lenta continua; aliquando intermittente, affligit. Cum paroxyſmo advenit, & recedente ceſſat.

Na-

Nasturtio aquatico, quod in limpidis aquis nascitur, curatur.

XIII. *Cordis palpitatio & lipothymia*: de qua sciendum, quod maximè corripiat, dum ægri in lecto surgunt, humoribus commotis. interdum tanta sit, ut subito extinguantur. Certo scorbutum indicet, si in morbo ad sensum parvo affligat. Medicamentis sexies vel octies de die datis, cum antiscorbuticis oppugnari debeat.

XIV. *Vomitus*, qui potiùs est vomendi inanis cōnatus, nullam ventriculi gravitatem vel dolorem antecessorem habet. Ventriculum roborantibus medicamentis non tollitur, lacticiniis potiùs, quod humores demulceant, sedatur.

XV. *Sputatio nimia*, quæ *Oritur* partim ex vaporibus ad os elevatis ex locis ventriculo vicinis: partim ex cibis in ventriculo corruptis, & secundùm ductum membranæ œsophagum investientis in os evectis; partim ab humore seroso ex liene per vas breve in ventriculum effuso. *Præcavetur*, acrium & calidorum medicamentorum, quæ materiam fundunt, fugâ.

XVI. *Alvi fluxus tam diurnus, quàm nocturnus*, qui profert fæces compactas, sed copia cibum excedentes, coloris nunc herbacei, nunc cineritii, *Oritur*, *vel* quod alimentum debilitate epatis non attractum corrumpatur: *vel*, quod humor serosus à liene ad intestina refluat: *vel* quod serum, quod halitus forma per ambitum dissipari potuit, frigore poros densante ad intestina repellatur, vel vasis præsertim matutino tempore, per corpus calore patens, ab eodem constrictis, versus majora vasa retrudatur, & secum, quicquid in via invenit, ad intestina rapiat. Et tum in *Curatione*, *Adstringentia* sunt maximè *noxia*. Victus ratio sicca usurpanda, Vinum absinthites decocto cichorii dilutum prodest. *Vel*

quod

quod dum à calore febrili ſeroſus humor effervescat, & exhalare non potis eò convertatur; & tum ſyrup. roſarum ſolutivus, & cichoracea valent. Eſt interdum *ſanguinolentus*; ſed ſine dolore, & cum aliis ſcorbuti ſignis. *Oritur* à ſanguine fæculento in venis abundante & per extremitates earum in inteſtina effuſo.

XVII. *Febres, quæ longè ab aliis febribus differunt.* Nam frigoris ſenſus ad ſex vel ſeptem horas ſe extendit. Pulſus eſt tardus, debilis, inæqualis in declinatione, magnus & durus in vigore, urina qualem ſupra diximus, interdum ter, quater interdum in die infeſtant. frequentiſſimè ſunt ex continuæ & tertianæ typo mixtæ. Continuæ, ſi purgantibus medicamentis vel calidis potionibus exaſperentur, enecant.

XVIII. *Hydrops*, qui & cum tumore duriore manifeſto, & tenſione lienis, epatis, vel ventris, & cum majore reſpirandi difficultate, quàm alias, quæ poſt uſum purgantium maximè excruciat, & quia à vaporibus craſſis procedit, diſcuſſis ceſſat, affligit.

XIX. *Eryſipelas*, quod interdum ſingulis ſeptimanis, interdum menſibus infeſtat. ab humoribus ichoroſis, peculiari modo corruptis, procedit. In *Curatione* prodeſt aqua florum ſambuci cum aqua Carduibenedicti.

XX. *Vlcera*, quæ ſicca ſunt, nec pus vel ſaniem fundunt. magis eos, qui temperamento ſunt bilioſo, infeſtant. non tantum crura, ſed & alias partes occupant. interdum ita gangrænoſa fiunt, ut nec ferrum quidem inflictum ſentiant. *Curari* debent citra ullam mordicationem aut dolorem. becabunga ſola in cereviſia cocta, bis de die impoſita, multum præſtat: ſed & unguentum *Diapompholygos*; in putredine magna aliquid *Mercurii præcipitati*, vel *ſpiritus vitrioli* admiſcendum.

XXI. Tu-

XXI. *Tubercula dura in toto corpore*, & tumores magni, qui in inguine, glandulosis corporis partibus, musculorum specie hærent. sine dolore sunt, dum ægri quiescunt, cum cruciatu dum ambulant. si subitò erumpant, & mox evanescant, paralysin præsagiunt. Cataplasma ex *radice consolid. majoris bryoniæ*, *absinthii*, *medulla panis albi*, in lacte coctis, in curatione laudatur.

XXII. *Atrophia*, quæ in principio, quod facultas ob vitiosum nutrimentum frustretur, procedit. in progressu, quod partibus ab humorum defluxu, vitiosa dispositio sit impressa, oritur. Ad *Curationem* commendatur *Lac caprinum*, si capra antiscorbuticis alatur. Reliqua omitto. Vide de hoc morbo Sennertum, Horstium, & alios.

TITULUS VIII.
De Renum affectibus.

CAPUT I.
De Renum morbis.

ARTICULUS I.
De Renum angustia.

Renum morbi sunt, *Angustia, Inflammatio, Calculus, Vulnus & Vlcus.*

Angustia est vasorum in renibus à causis suis inducta obstructio vel compressio.

Signa ipsius sunt, urinæ retentio vel paucitas, & exinde tensionis, & gravitatis circa lumbos sensus, in uno vel utroque latere, &c.

Causæ in Differentiis explicabuntur, continens, in Definitione posita est.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Differentiæ ſumuntur à cauſis obſtructionem vel compreſſionem inferentibus.

I. Alia eſt à *tumore* , *phlegmone* , *ſcirrho* , *comprimentibus*, *nimia ſiccitate* dum ſubſtantia corrugatur & contrahitur ; quæ ſuis ſe ſignis prodent. quamvis ultima difficillimè cognoſcatur.

II. Alia ab *Humoribus* , viſcidis , craſſis, lentis, quæ *Cognoſcitur* ex ipſorum redundantia, doloris & febris abſentiâ. *Curatur* 1. Evacuatione per alvum vel vomitum. 2. Deterſione , inciſione , & Diureſi. Laudantur , Aquæ ex *petroſelino* , *ononide*, cum ſyrupo *de Raphano Fernelii* , ſpiritus *ſalis*. Tartarum *vitriolatum* cum julebo violato, &c.

III. Alia eſt à *grumo ſanguinis* , qui extra ſua vaſa excidit , & ibidem concreſcit. *Cognoſcitur* exinde , quod mictio ſanguinis præceſſerit , & cauſæ inferentes , ut concuſſio , lapſus , &c. *Diſſolvitur*, aqua *chærefolii* , *Rubia tinctorum* cum ſemine naſturtii, ſpermate ceti, & mumia, ut *fiat pulvis*.

IV. Alia à *Pure*, quod ibi generatur , *vel aliunde* affluit. *Cognoſcitur* è ſignis ulceris vel abſceſſus in renibus , & urina aliquando purulenta. *Curatur* abſtergentibus.

V. Alia à *Calculo* : de quo in ſequentibus agetur. Obſerva interim. Interdum id *arenulas* facere, quæ *vel* in propria renum ſubſtantia proveniunt; quæ exinde *Cognoſcuntur*, quod duræ ſint & rubræ, & illinc fluentis urinæ impetu raptæ , in cavum ferantur ; pòſt in veſicam detrudantur , & in urinâ redditâ ſubſideant , & digitis difficulter comminuantur. *Vel* ex aduſtione humorum in venis & epate oriuntur , quæque in declinatione febrium tum acutarum tum diuturnarum excernuntur. *Cognoſcuntur* exinde, quod non ſubſideant, ſed ſubſtantiæ urinæ permiſceantur , matulæ urinariæ inſtar pulveris adhæreſcant, & facilè digitis comminuantur.

A R-

ARTICULUS II.

De Renum inflammatione.

R*Enum inflammatio, seu Nephritis est eorundem à sanguine in ipsorum substantiam effuso, & ibidem putrescente intumescentia, cum vehementi dolore, fibrosis aut arenosis excretionibus conjuncta.*

Signa sunt, Dolor circa lumbos ad primam vertebram gravativus & extensivus, qui hisce à *Colico differt*, quod in ventrem medium aut in omnem illius regionem murmure nullo evagetur, non semper citata & expurgata alvo mitescat, immanitate & ferocia peritonæum convellat, creber admodum ac frequens est. Febris continens inordinata, quæ modò crescit, modò imminuitur, circaque noctem magis exasperatur. Viscerum & ventriculi subversio. Pituitosorum primò, deinde biliosorum per vomitum rejectio, Urinæ cum malum incipit paucitas, tenuitas, aquositas, interdum suppressio, mox ea copia & crassities cum compulsu ad mejendum ex ardoris quodam sensu. Stupor & obdormitio cruris propinqui, propter compressionem nervi. Difficilis corporis erectio. Decubitus in ægram partem dolorem demulcens, in adversam exasperans.

Causa est sanguis sive purus, sive mixtus, sive per viam collectionis in renibus coacervatus, sive per viam fluxionis seu à toto, seu à parte detrusus, ut sæpissimè alibi dictum. *Occasionem* fluxui raro dant, Renum firmitudo & durities: sæpe medicamenta Diuretica, quæ sanguinem ad renes deducunt.

Curatio est *facilior*, si hæmorrhoides superveniunt. si abscessu rupto per vias urinæ pus album, læve, æquale, non fœtidum evacuatur. si ad resolutionem tendit. *Difficillima*, si abscessu post suppuratio-

nem rupto, pus per emulgentes ad epar & inteſtina viam moliatur. ſi ad indurationem tendat. *Nulla* ferè, ſi urina alba, tenuis, aut purulenta, abſque febris & ſymptomatum remiſſione, & crurum ac femorum extenuatione, profluat. *Inſtituitur*, prout in aliis inflammationibus. *Obſervandum* tamen, 1. Modicè refrigerantia & adſtringentia cum anodynis pro repulſione uſurpanda. Extra quidem, ne humores circa externas carnoſasque partes conſiſtentes, intrò in renes compingantur. Intra autem, ne, cum adſtrictionem ſuam circa ventrem aut hepar venasque incipiant, vel ſanguinem ad renes deturbent: vel meatus anguſtos coarctando, iſchuriam pariant. 2. A purgantibus, quia humores accendunt & exagitant, abſtinendum: lenientia tamen & benigna, ſi bilis in meſaraicis & ventriculo hæret, ne eo devolvatur, exhibenda. 3. Diuretica, nonniſi perfectè ſedata inflammatione eſſe propinanda. Habet hic locum *Tartar. vitriol.* ſcr. ſ. cum julepi roſacei & aquæ cinnamomi dr. ii. & alia.

Differentiæ à parte affecta ſumuntur.

I. Alia eſt in *dextro rene*, in qua lumbi in dextro latere dolent, dolor magis ad epar aſcendit, crus dextrum ſtupet.

Alia in *Siniſtro*, in qua dolor ad veſicam deſcendit.

Alia in *utroque*, in qua ſymptomata utrobique urgent.

II. Alia eſt in *carnoſa renis parte*, in qua major gravitas afficit.

Alia in *partibus*, *in quas arteriæ terminantur*, in qua pulſans dolor urget.

ARTICULUS III.

De Calculo Renum.

C*Alculus renum, est substantia solida & lapillosa, mucilaginea, limosa, tartarea, facultate* λιθοποιητικῇ *instructa, in renibus, adjumento caloris exorta.*

Signa sunt præcipua quinque. 1. *Dolor*, qui in lumbis afficit, sensum gravitatis, propter renum substantiam sensus expertem infert; in descensu in ureteres, propter ipsorum, qui densa & crassâ membranâ constant, distractionem augetur; si præsertim sit crassiusculus, salebrosus & asper. A *Colico* distinguitur, quòd nec sit tam gravis, nec tam amplus, quòd figatur, & regione renum circumscribatur, & si in vesicam incidit, ductum ureterum sequatur, nec cum flatibus afficiat. 2. *Vrina cruenta* propter vulnerationem partium, quas transit. quæ principio est pauca & aquosa, mox suppressa, remoto è renibus calculo turbulenta, & arenosum sedimentum habens. 3. *Stupor* crurum, qui in dolore colico non accidit, quia musculus, cui ren incumbit, quique cruri flectendo dicatus est, & in cruris partem interiorem inseritur, comprimitur. 4. *Testiculi* ejus lateris, propter vicinorum vasorum, quæ ad testes tendunt, iisque inseruntur, retractionem, *retractio*. 5. *Nausea & vomitus.* Nam renes cum ventriculo mediante peritonæo, cujus membranam utrumque viscus participat, connectuntur, & bini sextæ conjugationis nervi à stomacho orti, in internam renum tunicam implantantur. *Arenularum excretio* fientis calculi signum est.

Causa est, non *pituita*, multi enim ea infestantur, quibus cum calculo nihil commercii: & multi sunt calculosi, qui accuratam victûs rationem

ſervant: ſed *ſuccus lapideſcens*, hinc calculoſi ſæpe urinam reddunt, quæ mucum refert, mox in lapidem concreſcit. *Provenit* autem is ex fæculentia alimentorum, quæ ſi retineatur, huic vel illi parti ſe agglutinat, per novum materiæ appulſum quotidie augetur: aucta ſenſim exſiccatur, atque ubi materiam viſcoſam, craſſam, terreſtremque apprehendit, eam coagulat, & adveniente poſtea ſpiritu ſalis microcoſmici interno, & quem ob naturalem ſuam viſciditatem, ſeu mucilaginitatem Tartarum iſtud facilè recipit, inque ſe recondit: tandem in perfectum tophum coagulatur.

Curatio eſt *difficilis*, ſi bullæ per aliquot dies ſtabiles in urinis viſuntur; quia magnam tartareorum ac mucilaginoſorum humorum copiam, unà cum flatibus in renibus abundare, indicant. ſi urina manet ſubtilis, & ſic aliquando perdurat, quia ingentem obſtructionem arguit. ſi ex eo ulcus renum exoritur. ſi æger eſt ex parentibus nephriticis. *Reſpicit* 1. *Præcautionem, ne vel generetur, vel augmentum capiat.* Et tum 1. Victus ratio eſt habenda, in quo Cibus & potus ad calculum faciens fugiatur. Cibi oppoſiti ſint in uſu. Inter eos laudantur, *Aſparagi* modicè decocti, cum oleo aceto & butyro, prima menſa ſumti, fructus *Cynosbati*, *Acini ipſius* in juſculis decocti. *Chærefolium*, *raphanus*, ol. *olivar.* & *Amygdal. dulcium.* 2. *Materia collecta, maturè, ne concreſcat, evacuanda.* Vomitu ſingulis menſibus bis vel ter adhibito, Medicamentis lenioribus, *caſſiâ* præſertim, *terebinthina*, & hydragogis. Comminuentibus ſi quid concrevit, inter quæ, Decoctum *ligni nephritici*, *hæderæ terreſtris*, ſuccus *de veronica* cum aqua, & alia (de quibus infra) laudantur. 3. *Renes ad ſuum ſtatum reducendi*, & hic valet, venæſectio ſi epar intemperiem calidam in iis excitavit. Aquæ fragorum, portulacæ, hordei exhibitio,

bitio, & frigidor. unguentorum inunctio. II. *Geniti calculi sublationem*, quæ perficitur I. Primarum viarum per evacuantia molliora, flatus discutientibus castigata, mundatione. 2. Venæ in brachio sectione, si plethora in toto, & dolor est ingens; malleoli vel poplitis, si ad partem affectam decubuit. 3. Viarum laxatione & lubricatione, intra syrupo *de Althæa*, *Liquiritia*, *Violarum*. Extra, *Vnguento* ex *unguenti dialthea* dr. ii. pingued. gallinæ, medullæ cervinæ recentis ana dr. j olei liliorum alborum dr. j. scorpion. scr. ii. ol. ceræ stillatæ & spirit. Terebinth. ana scr. j. ceræ & croci pauxillo, composito. *Balneo aquæ dulcis*, in quo sumi possunt, oleum Amygdal. recent. unc. ii. ol. Tereb. gutt. vi. cum vini calidi haustulo. 4. *Calculi remotione*, *comminutione*, *&* *expulsione*, per medicamenta id præstantia. *Præstantiora* sunt ex simplicibus, Magisterium *Tartari vitriolati*, *Oculorum cancri*, *Mandibulæ lucii piscis* & *lapidis Iudaici*. Lapis *prunellæ*, Essentia *Crystallorum*, Lapis *nephriticus*. Aqua *vitæ juniperi*. Horstius T. I. p. 481. Ex compositis, Confectio seu conserva *lapidis nephritici Zacuthi*. l. 8. c. 16. Liquor *Nephriticus Mynsichti* Armament. p. 338. *Mistura* ex magisterio Tartari vitriolati, solut. oculor. cancri, lapide prunellæ, sale volatili succini, & aqua saxifragiæ Untzeri. *Ejusdem vinum generosum* | in quo raphanus acris decortic. & in taleolas concisus, per integrum diem maceratus erat, cum magisterio oculorum cancri & spiritu salis exhibitus. *Mistura Muffeti Angli*, Cistæ Medicæ p. 34. *Libavii*, ex aqua saxifragiæ albæ, cum saccharo violaceo & rosaceo colata, cum pauxillo spiritus vitrioli. *Expulsorium calculi Zuingeri*. Cist. Med. p. 35. III. *Doloris amotionem*, quæ unguento superius ad viarum laxationem præscripto, hemicupio cum anodynis parato,

Cataplasmate Cratonis, ex parietaria, petrosel. cepis, &c. perficitur. IV. *Flatuum discussione*, si qui sunt. Vide de Calculo egregios, & sufficientissimos *Vntzeri*, *Francisci Collutii*, & *Beverovicii* tractatus.

ARTICULUS IV.

De Ulcere & Vulnere Renum.

DE *Vlcere renum* hæc observasse sufficiat.

I. Raròadmodum illud ex *abscessu phlegmones* à profluentis materiæ acrimoniâ renem exedente, ictu vel casu venas disrumpente, accidere: si tamen accidat, curationem, ut humorum allapsus diæta, venæ-sectione, & purgatione sistatur: Iidem allapsi, refrigerantibus, nephriticis temperentur, Terebinthina cum vitello ovi in liquorem, vel cum pulvere liquiritiæ in bolum redacta, evacuetur, requirere.

II. Semper verè à *calculo intùs coërcito fieri*, qui vel pondere renem contundit, vel attritu comminuit exeditque. *Tum* urina, antequam purulenta esse incipit, cruenta præsertim ab exercitatione & labore evadit. febris nulla vel obscura fatigat. si quando obstructo ureteris capite pus cohibetur, id sensim vel per emulgentem, in majores venas redundans, sanguinem habitumque corporis inquinabit; vel eâ sede congestum, ilia lumbosque distendet, è quibus etiam aperta cute, diu multumque manat.

III. *In Curatione* omnibus aliis palmam, *Decoctum petroselini*, à *Doringio in Mithridatotechnia* p. 150. descriptum, præripere.

De *Vulnere Renum* hæc notasse satis erit:

I. *Cognosci*, ex situ, urinæ suppressione vel difficultate, cruentatione, dolore ad inguina extenso.

II. *Dividi* in illud, quod est *in superficie & parte carnosa*, & tum sanguis multus effluit, urina

non

non egreditur, fortiora glutinantia ſtatim adhiberi poſſe. Et quod *ad ipſam uſque cavitatem penetrat*, & tum ſanguis cum aqua egreditur. In *Curatione*, ſanguis eſt ſiſtendus. Hoc ſubſiſtente glutinantia immittenda & imponenda, ac valet hic unguentum *ſanctum Andreæ à Cruce*, quod in Sennerto vide, &c.

CAPUT II.

De Renum Symptomatibus.

DE Renum ſymptomatibus, *Seri*, nimirum *læſa ſecretione*, *&* *dolore*, pauca occurrunt.

I. *Seri ſecretio* læditur, vaſorum emulgentium & renum vitio, quæ *vel* intemperie frigida laborant, & tum urina ſubitò non ſupprimitur: *Vel* anguſtia, de qua ſuperiùs. In Curatione Diuretica hora una vel altera ante cibum exhibenda ſunt.

II. *Doloris* ratio ex capite de inflammatione & calculo renum peti poteſt. In renis ſitu fixus alterutro latere ſtabilis eſt, niſi quod interdum vel ad coxendicem, vel ad teſtem, qui è directo jacet, ureteris tractu protenditur. Aſſueti propter dilatatos ureteres non ita facilè, niſi fortè ſit craſſius & ſcaber, afficiuntur; ſed qui nondum, aut certè raró & leviter nephritico dolore tentati ſunt, minimo calculo diſtorquentur, &c.

TITULUS IX.

De Veſicæ affectibus.

CAPUT I.

De Veſicæ morbis.

ARTICULUS I.

De Veſicæ Calculo.

VEſicæ morbi ſunt, *Calculus*, *Inflammatio*, *Ulcus*: quibus *Meatus urinarii anguſtia* adjungi debet.

Calculus veſicæ quid ſit, ex Calculi renum definitione percipi poteſt.

Signa ejus ſunt, pruritus dolorque acerbus in collo veſicæ, pube & perinæo, qui progreſſione & veſicæ diſtentione, ingenti cruciatu torquet, ægri pudendum ſcalpere & ſæpe diſtendere ſolent, ac urinam ſummo cum dolore guttatim reddunt; eaque calculo coëunte tenuis eſt & clara, colore ſubalbida, eodem concreto, oleaginis more ſubſidere ſolet, cum ſedimento arenoſo, albo, ſcabiei ſimili, ſi calculus ſit friabilis.

Cauſa & *Curatio* ex capite de Calculo renum petenda ſunt. Si comminui & expelli non poteſt, exſcindendus eſt: de quo vide Chirurgos. *Comminuendo* inſervit *compoſitum* ex ſalis Tartari albi unc. j. & Aquæ petroſelini libr. j. invicem miſtis, & per chartam bibulam colatis, colore croceo per cortices aurantiorum donatum; nec non *pulvis millepedum* ſeu oniſcorum, de quo *Laurembergii* peculiarem tractatum conſule; quin & *ſanguis hirci* lithotripticis herbis nutriti. deſtillatus, aſſumtis in cibo farciminibus, quæ ex ejus renibus, & cæteris viſceribus ac inteſtinis

testinis confici debent. *Dolori mitigando* prodest *Balneum*, quod illitus scroti, pectinis & perinæi, ol. *composito*, ex ol. scorpion. amygdalar. amarar. axungiæ cuniculi & gallinar. ana unc. j. ſ. & ſucci parietar. dr. ii. formato, insequatur.

Differentiæ Calculi occurrunt aliquot.

I. Alius est *Exiguus & levis*, in quo vaga & oberrans circa pubem & perinæum titillatio affligit, quique faciliùs comminui potest.

Alius *paulò grandior*, in quo incumbentis gravitatis pondus percipitur, ut idcirco difficilis & doloris plenus sit per salebrosa loca incessus, multóque difficilior saltatio. mictio crebescit, & urina vix potest cohiberi; quæ est alba, crassa, turbida, cum sedimento purulento, aut narium mucori persimili; quum mejendum est, obviam impulso calculo, urinæ fluor intercipitur, acerrimus dolor sub emictionis finem, quum calculus urinæ cursu incitatus, quasi proditurus, sphincterem violentiùs comprimit, alias universum pudendi ductum, alias glandem afficit. mejendi conatum, desidendi cupiditas, quod calculi magnitudo è perinæo rectum intestinum ut vesicæ cervicem exstimulet, comitatur. *Curari* is vix alia ratione potest, quàm sectione.

II. Alius est *concretus*, qui nihil arenularum in urina de se emittit. Alius *non concretus*, in quo aliquas illasque seu albas seu rubras, quæ à renalibus aliis vesicalis calculi signis discernēdæ sunt, urina deponit.

III. Alius est, qui in *ipsa vesica nascitur*, cui superiùs dicta competunt. Alius, *qui à renibus per ureteres ad eam descendit*, & tum signa calculi renum præcessere, dolor secundùm longitudinem ureterum à renibus ad vesicam protensus, aderat, nephriticus vel cessavit, vel minùs exercet. Hunc quidam herba Indiana *Payco* Monardi dicta, & aliis frangi posse, credunt.

IV. Alius

IV. Alius est, *qui vesicæ non adhærescit*, ideóque tutiùs per sectionem extrahi potest. Alius, *qui summæ vesicæ adhærescit, & quasi ex illa propendet*; & tum omnia symptomata superiùs recensita, sunt obscuriora: visi sunt qui nullo dolore illum gestarunt; imò, nulla fere ratione removeri absque ægri dispendio potest: de quo vide Tulpium observ. l. 2 c. 5.

ARTICULUS II.

De vesicæ Inflammatione, Scabie, Ulcere, & Fistula.

V*Esicæ inflammatio non tam ipsius substantiæ, quæ tenuis & exsanguis, insidet, quam sphincteri cervicis ipsius musculo.*

Signa ejus sunt, dolor in perinæo cum rubore & ardore acerbus, urinæ cum summo mejendi conatu suppressio, alvi (quia rectum intestinum *inflammationis* magnitudine coarctatur) adstrictio, *pubis atque pectinis* ad umbilicum propter urinæ copiam distentio.

Causa est eadem, quæ aliarum inflammationum.

Curatio est *difficilis*, quia affectus; est plerumque circa septimum inprimis diem, accedente febri, & urinæ atque alvi retentione, lethalis; si tamen sit levior, & inflammatione in pus mutatâ, abscessus intrò rumpatur, & per urinam evacuetur, melior spes est: sed &, Erysipelate juxta cutis superficiem oborto, ac urinâ copiosâ emissâ, repente interdum solvitur: *Instituitur* ad modum aliarum inflammationum. *Repellentia* non diu applicanda sunt, quia vesica membranosa est, & facilè constringitur, urina supprimitur, & nervi læduntur.

II. *Scabies vesicæ cognoscitur* ex pruritu in pectine, urinæ gravi odore, furfuraceo sedimento in fundo residente. *Oritur* ab humoribus acribus & salsis, superficiem illius internam erodentibus. *Curatur*

in

in senibus ægrè. Humores sunt partim evacuandi, partim demulcendi, per semina quatuor frigida, flor. violarum, fraga, vel intus assumta, vel extus per urethram injecta.

III. *Ulcus vesicæ* quid sit, non est quod dicatur. Patet ex superioribus.

Signa ejus sunt, squammulæ & pus, quæ cum urina duntaxat effluunt, & in urina subsident, & sic ab exulceratione meatus urinarii, in quo pus & sanies vel urinam prævenit, vel statim in primo exitu apparet, vel etiam sine urina effluit, distinguitur. Adest & indesinens circa vesicam, pubem, & perinæum cruciatus. Urina quoque est crassa, & modò à pure, modò à sanguine perfusa, &c.

Causæ sunt variæ: de quibus in Differentiis.

Curatio est *Exiguæ spei*, tum quia vesica est membranosa; tum quia urina, quæ mordax, continuo decursu, consolidationem impedit. *Instituitur* ad modum aliorum ulcerum.

Differentiæ à causis præcipuè sumuntur.

I. Aliud est à *Cantharidibus*, & *tum*, si recens est, lac copiose exhibendum, mox consolidandum: si inveteratum, ut alia ulcera curandum.

Aliud ab *Urina acriore*, quam vini meraci & ciborum calidorum usus intulit, & *tum* refrigerantibus diureticis agendum.

Aliud ab *Humoribus acribus vel salsis, superficiem ejus internam quasi erodentibus*; & tum 1. *Evacuandum* cassia & terebinthina. 2. *Temperandum* Nymphæa, lactuca, Endivia, &c.

Aliud à *Calculo*: de quo superiùs.

II. Aliud est *in fundo*, in quo dolor circa pubem percipitur.

Aliud *juxta meatum urinarium*, in quo tempore mictionis dolor magis deprehenditur, & inprimis ubi mingere incipiunt & desinunt.

IV. *Fi-*

IV. *Fistulæ* curationem vide in *Langio*, *l.* 3. *Epistolâ quinta.*

ARTICULUS III.

De Meatus urinarii angustia.

Meatus urinarii angustia, est ejusdem à causis suis profecta, & urinæ suppressionem inducens, interceptio.

Signa, *Causæ*, & *Curatio*, si in genere affectum istum spectes, nihil habent singulare.

Differentiæ ex causis petuntur.

I. Alia est *ab obstructione*, quæ fit I. Aut à *Calculo*; quæ *cognoscitur ex eo*, quod signa calculi præcessere, urina modò liberè redditur, modò incidente calculo ex fundo vesicæ in ipsius orificium, repente supprimitur, dolor ad radicem vesicæ magis urget. *Curatio* consistit in *Remotione* ejusdem *per* concussionem crurum, si magnus ad orificium hæreat; *per* deductionem ad meatus urinarii extremum, si parvus loco moveri potest; *per* fomenta laxantia, & calculum frangentia, si digitis loco moveri non potest. II. Aut *à grumo sanguinis*, quæ *Cognoscitur* ex eo, quod vulnus vel ruptura vasis præcessit. sanguis cum urina effusus fuit. Extra, cinis communis cum melle apponi potest. III. Aut *à Pure*, quod aut in renibus, aut in vesica fuit, aut rupto in superioribus abscessu eò delatum est. IV. Aut à *pituita crassa & viscida*, & tum Urina ferè totaliter supprimitur, signa pituitæ adsunt: incidendum, & attenuandum est.

II. Alia est à *Constipatione*, per carunculam, callum, verrucam, in meatu urinario enata, quæ *cognoscitur* ex eo, quod nec urina liberè excernatur, nec semen emittatur, graves dolores adsint, cathetere vel candela cerea immissâ exploretur. Quia verò

urina

urina semper similiter profluit à calculo; quia nunquam ferè totaliter intercipitur ab obstructione pituitosa, eâ ratione dignoscitur. *Curatur Absumentibus,& consolidantibus.* Ex illis laudatur, præmissis universalibus, inter quæ Chinæ & Sassafras decocta pono, *Ol. Mercurii* cum pauxillo sacchari saturni & camphoræ. *Pulvis* ex Mercurii dulcis unc. ſ. Antimonii crudi unc. j. Tutia præpar. dr. ii. conformatus: de cujus usu consule chymiatriam *Hartmanni.*

III. Alia est à *Compressione*, quæ fit; *aut* ab intestino recto frigido; *aut* partibus vicinis inflammatis; *aut* pene & collo vesicæ intumescentibus; *aut* cervice vesicæ contortâ; *aut* vesica in scrotum delapsa. *Curatio* ad morbos obvertenda est.

Caput II.

De Vesicæ symptomatibus.

Articulus I.

De Incontinentia Urinæ.

Vesicæ symptomata, *Incontinentia urinæ*, *Diabetes*, *Ischuria*, *Stranguria*, *Dysuria*, *Mictio cruenta*, *purulenta*, &c.

Incontinentia urinæ est ejusdem, propter sphincterem resolutum, vel vesicam compressam, sine acrimonia & doloris sensu, præter imperii arbitrium emissio.

Signis in tam manifesto affectu opus non est.

Causa in sphincteris resolutionem (de cujus causis in Differentiis,) & vesicæ compressionem conjicitur: quæ fit, *aut* à musculorum abdominis convulsione; *aut* à fœtus circa ultimos menses magnitudine; *aut* à tumore supra vesicam posito, quorum in Curatione respectus esse debet.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Diffe-

Differentiæ à Causis resolutionem sphincteris inducentibus & tempore sumuntur.

I. Alia est à *Nervorum*, qui è lumbis in eum inseruntur, paralysi, propter quam se contrahere nequit; & *tum* difficilior est curatu, si medulla spinalis affecta est, vel ipse musculus vulneratus. Causæ, ob quas fit paralysis, ex capite suo inquirendæ sunt, & pro earum varietate curatio varianda.

Alia *sola sphincteris laxitate & mollitie*; & *tum* neque acrimoniam, neque exsuperantiam urinæ, animalibus viribus sopitis, ægri ferri possunt. Laudantur in ejus cura, *Diacyminum*, *Thus* è vino potum; *Guttur galli* tostum & exsiccatum, ut in pulverem teri possit, sub noctem cum vino adstringente rubello exhibitum; *vesica capræ* in clibano exsiccata, & pulverizata dr. j. pondere, similiter exhibita.

II. Alia est *Diurna* etiam, quæ apoplecticos & paralyticos affligit.

Alia *Nocturna*, quæ pueris ob musculi frigidam & humidam intemperiem, vel inanimadvertentiam, accidere solet. successu ætatis, ficciore & robustiore vesicæ musculo, desinit. propter continuum potum, ad mortem adultos plerumque insequitur.

ARTICULUS III.

De Diabete.

DIabetes est celerrima & copiosissima potus non transmutati emictio, ab intensa renum attractrice exorta, & cum siti valida & perpetua affligens.

Pars affecta sunt Renes, ita tamen, ut & vesica, copia urinæ pressa, consentiat.

Signa sunt, mictus copiosus, parùm vel non mutatus, sitis valida, nec ulla ex liquoris alicujus ingestione satietas, dolor, punctura, & gravitas circa lumbos,

lumbos, totius corporis colliquatio ventris ariditas & ſiccitas.

Cauſa eſt inter Medicos controverſa, Nos, Renum attractricem intenſam, à validè calida earundem intemperie exortam, ponimus, quam affluxus humorum acrium & mordacium, bilis nempe & pituitæ, ſalſæ, renum ſubſtantiæ impactorum, inferunt: nimia amplitudo vaſorum emulgentium & ureterum, epatis caliditas, febres peſtilentiales, retentricis ventriculi infirmitas, juvant. Sic, cum renes copioſius ſerum è venis trahant, nec id ob imbecillitatem continere queant, ad veſicam ablegant; venæ rurſum è jecore, hoc ex ventriculo trahit. Unde hujus orificio inanito & exſiccato, ſitis continua oboritur, &c.

Curatio eſt *nimis Difficilis*, & plærumque in hecticam & totius corporis ſiccitatem tranſit. *Inſtituitur* I. Renum intemperiem corrigentibus, ubi & venæſectio locum habet. II. Humorum acredinem obtundentibus, & ſanguinem ac cum eo humorem ſeroſum ad motum tardiorem reddentibus. Prævalere creduntur, *Eſſentia croci Martis* à Crollio deſcripta, *Balnea ex aqua ferrariorum* parata, potus ſed exiguus ex *decocto* cornu cervi, ſal Coralliorum, &c.

Differentias quod ſpectat, unica illa eſt.

Alius eſt *Diabetes exquiſitus*, de quo jam egimus.

Alius *Nothus*, qui nihil aliud eſt quàm profluvium urinæ colliquativum, dum ſucci in venis aut ipſa corporis ſubſtantiâ in ſeroſam ſaniem tranſmutantur, quæ à renibus attracta, per eoſdem elabitur, inque veſicam deſcendit.

ARTICULUS III.

De Iſchuria.

Iſchuria eſt urinæ ob fruſtrationem facultatis expultricis ſuppreſſio, ita ut hujus necquicquam exire poſſit.

Signis in affectu manifeſto opus non eſt.

Cauſa eſt facultatis expultricis fruſtratio, cujus cauſas in Differentiis exponemus.

Curatio eſt *maturanda*, ne in totum corpus regurgitet, jecur opprimat, ſanguinem inficiat, & ſuffocationis periculum inducat. Sæpè humores putreſcunt, febres accenduntur, & niſi ante ſeptimum diem mingant, ægri pereunt. *Nulla* eſt, ſi ob lethales acceſſionum concurſus ſuboritur. ſi ob ſauciatam ſpinam aut vertebrarum luxationem accedit. ſi ſingultus vel teneſmus ſupervenit. *Reſpicit* I. *Ipſum ſymptoma*, ut urina provocetur. Hic occurrunt, compreſſio abdominis halitu compreſſo. *Catheteris*, niſi obſtet inflammatio vel candelæ cereæ oleo amygdal. dulcium illitæ immiſſio. Glandes & clyſteres acriores, propter communionem inteſtini recti cum veſica. *Fomenta* pubis & perinæi decocto parietariæ, meliloti, chamæmeli. *Cataplaſmata* ex raphano ruſticano tuſo, & in butyro frixo. Exhibitio, ſucci gammari piſtati & per ſetaceum tranſmiſſi, cum vino; ſalis corticum fabarum. *Decocti* Rhamni in vino: flor. tunicæ cum radice in umbra ſiccatorum: cum vino cydoniorum, &c. II. *Cauſas ſymptomatis*, de quibus in Differentiis.

Dividitur Iſchuria dupliciter.

I. Alia eſt à *veſicæ morbis*: quæ *cognoſcitur* ex eo, quod aſſiduum mejendi deſiderium premat, pubes collectâ urinæ copiâ diſtendatur, ac doleat, immiſſo cathetere copioſior urina cum levamento profluat.

fluat. *Morbi* illi ſunt: I. *Stupor*, propter quem ſtimulum non ſentit, ſeu ob nervi paralyſin & obſtructionem, ſeu ob ſpirituum averſionem; & *tum*, etſi veſica ſit plena, nullum eſt mingendi deſiderium, & nullus dolor percipitur. II. *Intemperies frigida*, *à* cauſis refrigerantibus contracta: & *tum* cauſæ præceſſere „ diuretica locum non habent, niſi corpore purgato. 201. *Anguſtia*, ſeu *propter* muſculi cervicem circumdantis tumorem; ſeu *propter* calculum, & alia quæ ſuprà allata ſunt. Ab hoc, emulſione ex ſeminis violar. purpurear. cum aqua veronicæ facta interdum tollitur. IV. *Extenſio nimia*; & *tum* urina præter voluntatem diutius retenta fuit. Fomentis parietariæ cum oleo amygdalarum dulcium agendum eſt.

Alia à *meatus urinarii anguſtia*, quæ *cognoſcitur* exinde, quod veſicæ compreſſione urina non reddatur, & quod catheter cum difficultate immittatur. *Curationem* ſuo capite vide.

II. Alia eſt *Exquiſita*: de qua modò actum eſt.

Alia *Notha*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quòd veſica inanis & vacua ſit, ita ut ne immiſſo quidem cathetere, urinæ quicquam effluat: nulla vel gravitas vel tenſio, vel dolor circa pubem vel premendo percipiatur. *Oritur*, vel *vitio Renum*, qui urinæ materiam, ſeu ob proprios morbos, de quibus ſuperiùs, ſeu ob errorem externum, quod nempe ſerum vel abſumtum, vel ad alias partes converſum ſit, non attrahunt, aut non expellunt. Vel *vitio Vreterum*, qui *vel* adſtringuntur, *vel* obſtruuntur; & *tum* laborans utriuſque renis dolori fuit opportunus, lumborum ſumma gravitas eſt, ac vehemens interdum dolor undique excruciat, nulla aut minima mingendi cupiditas urget. Cæterum *Specifica* in hoc morbo eſſe creduntur, *Vermes terreni* n. v. triti, & cum vino mulſo bibiti, *Teſta ovi* expurgata, è qua pullus exiit.

Vrina hirci calidè epota, omento & inteſtinis ad ventrem applicatis, &c.

Ad *Iſchuriam* pertinent, *Vrinæ imminutio*, quæ in febribus malignis & acutis ideò mala, quia nervoſum genus affici indicio eſt: & *Vrinæ tarditas*, quando illa per longiora quàm ſolet intervalla excernitur. Quia ab Iſchuria ſecundùm magis & minus duntaxat differunt: ideo de iis pluribus non agemus.

ARTICULUS IV.

De Stranguria.

STranguria eſt urinæ guttatim facta cum vel ſine dolore, & continuo ad mingendum ſtimulo, excretio, ab aſſidua expultricis veſicæ, propter affectum ſphincterem, ſtimulatione, vel retentricis minimo etiam onere gravatæ debilitate, exorta.

Signa manifeſti affectus ſunt evidentia.

Cauſa in definitione expoſita eſt, *nempe irritatio* expultricis, vel retentricis debilitas: unde verò iſta ſint, in Differentiis exponetur.

Curatio eſt *Exiguæ vel nullius ferè ſpei*, ſi ileo à crudorum & craſſorum humorum obſtructione provenienti, nulla inſequente febre, quæ humores attenuet, ſupervenerit. *Inſtituitur* pro diverſitate cauſarum, de quibus infrà.

Differentia ex Cauſis ſumitur.

Alia eſt *Dolorifica*, ab irritatione expultricis procedens, & *Oritur* I. Ab *urinæ acrimonia*; quæ, Aut à *Cauſis externis* infertur, ut cibo & potu calidiore & ſalſiore, ex cerevisia recente & defæcata. quæ cum commodè coqui non poſſit, & vim humores fermentandi, alvumque laxandi habeat, ſi ad renes citò deferatur, cruda ad veſicam fertur, & eam ſtimulat. *Tum* potus vini Hiſpanici vel Malvatici, Nux moſchata,

ſchata, Axungia hirci in umbilicum immiſſa, multum proſunt. Aut ab *Internis*, nempe I. *Humoribus acribus*, vel ibi productis, vel aliunde tranſmiſſis, qui viſcoſi lentore ſuo orificio veſicæ adhærent, & eandem interdum, diuturniore adhæſu exulcerant. *Cognoſcuntur* ex eo, quòd urina ſit rubra & flava, acris ſentiatur morſus, calor & ſitis adſit. *Curatio* exigit *Evacuationem* per caſſiam & terebinthinam. *Temperationem* per refrigerantia & humectantia, nec non balneum aquæ dulcis. *Vrinæ promotionem* per *Sal* glandium, ſtipitum fabar. ſcr. ſ. *Ol.* Ceræ gutt. iii. in decocto cicerum rubrorum; per *pulverem* lapillorum ex capitibus limacum expreſſorum in vino datum. 2. *Pure*, ab epate, renibus, vel aliunde tranſmiſſo; & tum ejus aliquid in urina apparebit. ſerum lactis cum ſaccharo roſarum prodeſt. II. A *Calculo*, qui veſicam excoriat, cujus eſt ratio habenda. III. Ab *Inflammatione*, de qua ſuperiùs dictum. IV. A *Vicinarum partium affectu*. Nam ad recti inteſtini & uteri inflammationem, purulentosque renes, ſtillicidium ſequitur. In procidentia uteri τὸ οὖρον στάζει καὶ ὀλίγον καὶ δάκνεται.

Alia *ſimplex & ſine dolore*, quæ *cognoſcitur* ex urina alba, aquoſa, ætate, complexione, victûs ratione frigida, cauſi antegreſſione: *Oritur*, vel à *veſicæ ipſius & muſculi cervicem claudentis refrigeratione*; & tum Diagalanga, Mithridatium, &c. bene intus ſumuntur. Ol. Rutaceum bene extra illinitur. Vel à *compreſſione veſicæ*, quod in gravidis accidere ſolet.

ARTICULUS V.

De Dyſuria.

D*Yſuria eſt urinæ ardentis, interdum paucæ, interdum copioſæ, cum cruciatu, ſine interruptione red-*

ditio, à causis tam externis quàm internis, meatum urinarium afficientibus exorta.

Signa sunt evidentia. Nam ipse dolor ab ægro facilè percipitur.

Causæ sunt, quæcunque continuitatem colli vesicæ aut meatus urinarii solvere, seu dolorem inter mingendum excitare possunt.

Curatio est *difficilis*, si in senes decrepitos incidat. si simul urinæ suppressio accidat. *Respicit* I. *Causam*, quæ amovenda, per superiùs dicta evacuantia, quæ Essentiæ Terebinth. dr. j. cum aqua Petroselini, & syrupo citri excipere debet. II. *Dolorem*, qui mitigatur lacte tepido per catheterem infuso, pudendi in vas lacte plenum immersionem, cataplasmate ex parietar. cum oleo scorpionum, &c.

Differentias causæ dolorem excitantes suppeditant.

Alia est *ab Externis*, ut Cantharidibus; & tum Lac prodest. veneno, & tum Alexipharmacis agendum.

Alia ab *Internis*, quæ sunt I. *Vrinæ acrimonia*: de qua suprà. Juvat aqua ex floribus fabarum vel siliquis recentibus cum syrupo de liquiritia vel papavere unc. vi. pondere ante cibum exhibita: nec non *Electuarium Fallopii* apud Schenk. in Exoter. Experim. Cent. iv. 19. II. *Inflammatio*, cujus dolor exacerbatur vesica ad urinam emittendam contractâ, & ab emissâ compressâ, quam sæpe sequitur Exulceratio. III. *Calculus* inter mingendum vesicæ cervici illisus. IV. *Semen* in masculis motum, sed in ductu hærens, & acrimonia contracta meatum erodens, quod in lue venerea accidere solet. V. *Materia alba & lactea*, quæ interdum tantâ copiâ emittitur; ut dimidiam matulæ partem ubi subsedit, occupet, quæque à vitiata concoctione, in qua partes salsæ & tartareæ, separatæ non sunt, sed à renibus attrahuntur, oritur. *Curatur*, universalibus præmissis, *vini Hippocratici* vel Malvatici usu.

ARTICULUS VI.

De Mictu cruento, purulento, & pilari.

M*Ictus Cruentus, est sanguinis unà cum urina excretio, ob ejusdem in vesica congestionem exorta.*

Signa sunt, quod urina non splendeat, habeatque aquæ, in qua recens mactatorum animalium caro abluitur, colorem.

Causa in definitione exposita est: & in Differentia plura dicentur.

Curatio est *maturanda*, si est malum inveteratum, ne in tabem vel cachexiam incidat. si copiose emittitur, ne in vesica subsistat, & putrescat. Ad *causam* obverti debet, *Symptoma*, cæteris paribus adstringentia, condensantia, & consolidantia reposcit, inter quæ *millefolium* folio albo. *Tinctura* smaragdi, *arcanum* agrimoniæ & quinquefolii. *Decoctum* Mynsichti, &c. excellunt.

Differentia à partibus sanguinem fundentibus sumitur.

Alius est à *Renibus*, qui ex eo *cognoscitur*, quòd copiosus sit, urinæ toti exquisitè permisceatur, ut eâ quasi dilutus tenuis sit, rubicundus, liquidus ac minimè concretus subsideat. *Oritur* vel à *vasis alicujus in iis anastomosi*: & *tum* copiosus & floridus redditur: aut violentia aliqua, aut vulnus præcessit: aut plethoræ signa adsunt; aut sanguis tenuitate peccat. Vel *ab ejusdem erosione*, & *tum* sanguis minore copiâ excernitur, in initio præsertim. Vel à διαπηδήσει; & *tum* urina leviter rubro colore tincta est. *Curatio* etiam venæ in brachio sectionem reposcit: quam adstringentium intus & extra usus excipere debet. *Trochisci* Gordonii valent.

Alius est *ab Epate*, vel imbecillo vel sanguine gra-

vato, vel iisdem morbis, ut jam dixi affecto; & *tum* signa adfectorum renum nulla adsunt. Caput de epatis morbis consulendum est. Huc pertinet Hæmorrhoidum suppressio, de qua suo loco; ureterum à calculis transeuntibus vulnus, à quo paucissimus sanguis effluit, &c.

Alius à *Sphinctere cervicis musculo*; & *tum* urina non æqualiter perfunditur, sanguis subsidens in grumos abit, dolor plærumque mejendo premit, ac velluti penis radicem adurit, alia vel ulceris vel ruptæ venæ signa adsunt. *Curatio* est eadem.

Alius ab *intimo virgæ meatu*: & *tum* sæpe sine urina exit. qui cum urina effluit, concretus statim subsidet.

II. *Mictus purulentus, est excretio saniei cum urina in vesica congesta.* Congeritur I. *Vitio ipsius vesicæ*, seu quod ista ulcere laboret, seu quod sanguis in vesica contentus in saniem convertatur; & tum pus minus permixtum urinæ, cum squammulis furfuraceis excernitur. II. *Vitio* ureterum; & tum paucum capillorum specie innatat. III. *Vitio meatus urinarii, vasorum spermaticorum, & parastatarum*, & tum primo loco sincerum prodit. IV. *Vitio Renum, jecoris, thoracis*, quatenus illæ partes pus per venas ad vesicam transmittunt; & tum pus accuratè urinæ permiscetur, si quid crassius seorsum est, sub finem manat.

III. *Mictus pilaris seu Trichiasis, est ubi cum urina, materia mucosa nunc pilis aut capillis, nunc tenuibus foliis similis excernitur.* Pili isti aliquando unius aut duorum palmorum longitudinem æquant. *Causa* illorum est crassa & viscida pituita, in venis à calore exsiccata & coacta, quæ in longo per angustas renum & ureterum venas transitu, in tantam longitudinem extenditur. Vide de eo *Epistol. Medicarum* sect. quintam *Horstii*. In Curatione, *Spiritus terebinthinæ cum syrupo Altheæ* præstat.

TITU-

TITULUS X.

De partium genitalium in viris affectibus.

CAPUT I.

De Earundem morbis.

ARTICULUS I.

De morbis Teſtium.

PArtium genitalium in viris morbi, habent ſub ſe morbos *Teſtium*, *ſcroti*, *&* *virgæ*.

Morbi Teſtium præcipui ſunt, qui ſequuntur.

I. *Intemperies*, & iſta, vel *Calida*, quæ *Cognoſcitur* ex propenſione in venerem, ſemine multo nimis & calido, teſtium calore, venarum circa illos à ſanguine turgeſcentia. *Curatur*, oppoſitâ diæta, & Medicamentis refrigerantibus, è *lactuca*, *Nymphæa*: *portulaca*, ſed inprimis *ſaccharo ſaturni &* *foliis ſalicis compoſita*. Vel *Frigida*, quæ *Cognoſcitur* ex ſemine pauco & aquoſo, ejuſdem cum nulla vel exigua voluptate emiſſione, exigua in venerem propenſione, præceſſere cauſæ refrigerantes, vel etiam immoderata & intempeſtiva venus. *Curatur*, oppoſita Diæta, & medicamentis ſumtis; intra, *Betonica*, *Calamintha*, *Majorana*, *Salvia*, *Vrtica*, *Nux moſchata*, *diamoſchum*. Extra, *ol. Coſtinum*, *Nardinum*, *de formicis*. Vel *Humida*, quæ *Cognoſcitur* ex eo quod ſemen nimis citò emittatur. Vel *Sicca*, quæ paucum & craſſum ſuppeditat. *Curantur* oppoſitis.

II. *Tumor*, qui aut eſt *Inflammatio*, in cujus Curatione, (de reliquis enim non habeo quod dicam, obſerva 1. Dum medicamenta illis applicantur, ligaturam ſemper verſus ſuperiora tendere debere, ut minus dependeant, & fluxus minor ſit. 2. Ad in-

tercipiendum fluxum, ad latus pubis, ubi venæ & arteriæ ex abdomine ad teſtes & ſcrotum tendunt, intercipiens ponendum eſſe. 3. Laudari, paribus cæteris, *Decoctum* agrimoniæ cum vino & aceto; *radicem* cucumeris agreſtis ſimiliter decoctam. *Herbam* Paridis viridem contuſam & applicatam, &c. Aut *Scirrhus*, ſeu alius tumor frigidus & durus, qui ex malè curatâ inflammatione ſæpe oritur. Tollitur *Cataplaſmate* radic. lactucæ ex mulſa coctæ, cum farina lini, hordei, fœnugræci, cæpis, &c. quod inſequatur *linimentum* ex Balſamo ſulfuris & *Emplaſtrum* Diaſulfuris. Aut *Inflatio*, cui curandæ inſerviunt folia *Hyoſciami*, & aquæ juniperi unc. j. pondere ſingulis diebus hauſtus, cum Rotul. Diacymini.

III. *Vlcera*, quæ quia in loco humido, ſunt periculoſa, & interdum in Cancrum ſeu gangrænam abeunt. Lavari debent *decocto* roſar. folior. veronicæ, & plantaginis. *Vnguento* Apoſtolorum mundari poſſunt.

IV. *Contuſio*, quæ cum ingenti dolore conjuncta eſt, ovalem ipſorum figuram corrumpit, & gignendi ſæpe facultatem demit. Occurrendum eſt maturè dolori, ne affluxus concitetur.

ARTICULUS II.
De morbis Scroti.

MOrbi ſcroti ſunt *Inflammatio*, *Excoriatio*, *Vulnera*, *Vlcera*, & *Hernia*. De illis non eſt quod aliquid dicatur. *Excoriatio*, epidermide eroſâ ſæpe à lotio fit, & pompholygis, vel myrti aridæ ſubtiliſſimè tritæ, cribratæ, & cum thure vel myrrhâ miſtæ, adſperſione curatur.

Hernia ſcroti eſt ejuſdem tumor, vel ab omento in ipſum delapſo, vel à flatu aut aqua ibidem collectis, aut maſſa carnea ibidem genita, exortus.

Spe-

Species ipſius ſunt quatuor, ſi *Differentias* ſpectes.

I. Alia eſt *Ventoſa*, ſeu πνευματοκήλη, quæ *cognoſcitur* exinde, quòd ſcrotum interdum etiam teſtes, valdè ſine pondere & gravitate diſtenditur; flatus, ſi ſcrotum manibus prematur, deprehenditur; & de loco in locum cum ſono movetur. *Oritur* à flatibus: qui vel ibidem colliguntur, *vel* à vicinis inteſtinis & abdomine tranſmittuntur; puerisque eſt maximè familiaris. *Curatur*, præmiſſis univerſalibus, Carminativis extra & intra adhibitis. Juvat *Cataplaſma* ex baccis lauri, farinæ fabar. & fœnugr. furfure, pulvere cumini, ammoniaco, terebinth. oxymelite, & oleo laurino ſimul miſtis.

II. Alia eſt *Aquoſa*, ſeu ὑδροκήλη, quæ *Cognoſcitur*, quòd fluctuatio percipiatur, ſcrotum lucidum quaſi appareat: tumor ſemper ejuſdem magnitudinis manet, nec per compreſſionem in abdomen recedit. *Oritur* ab aqua, quæ plerumque ex abdomine influit, propter cauſas quarum in hydrope mentio. *Curatur* 1. *Prohibitione*, ne aquoſus humor generetur, vel affluat. de qua vide Differentias. 2. *Aquæ illapſæ evacuatione*, vel inſenſibili, cui ſuperius etiam cataplaſma inſervit; vel ſenſibili, per ſcroti apertionem: de qua vide authores. *Dividitur* variè. 1. Alia eſt à *ſola aqua* ſcrotum diſtendente. Alia etiam à *flatu* eidem conjuncto, in cujus curatione utriuſque habenda eſt ratio. Alia à *Carne* circa teſticulum concreta, cujus curatio cautè inſtituenda, ne in cancrum abeat. 2. Alia eſt *cum Hydrope*, & tum Curatio ad hydropem obvertenda eſt. Alia *ſine Hydrope*, in qua etſi aquæ tanta copia non eſt, ut ventrem in tumorem attollere poſſit; aliquid tamen ejus in abdominis cavitate, ob partium imbecillitatem, accedente inprimis externâ cauſâ, percuſſione, &c. colligitur. Tumor *vel* totum ſcrotum occupat. *Vel* unum ſaltem la-

latus;& *tum* Humor in membrana erythroide testem continente hæret. Nunquam dexter, semper sinister intumescit. *Aut* vitium est in *sinistro rene*, per quem cum serum descendere non possit, per seminalem venam ab emulgente sinistri renis procedentem, in tunicam erythroidem delabitur: à cujus curatione vel abstinendum, vel scrotum in inferiore duntaxat parte incidendum. *Aut* non est; & *tum* scrotum, in superiore parte prope inguina, ut & humor evacuetur, & novi affluxus per cicatricem erythroidis impediatur, secandum est. Vide *Fabricii* Observationes. 3. Alia est, quando *aqua inter erythroidem tunicam & darton continetur*, in qua tumor est rotundior, instar ovi, testiculus visui & tactui occultatur, scrotum ipsum albidius est,& nihil vel parùm intenditur. Alia, quando *extra eam*, *inter ipsam & pelliculas adjacentes*, in qua testiculus tactui occurrit, scrotum magis intenditur. Alia, quando *in propria pellicula, seu tunica superagnata*, in qua tumor undique conglobatus, alterius testiculi imaginem refert.

III. Alia est Hernia *Carnosa*, seu *Sarcocele*, in qua aliquid carnosum nascitur. *Cognoscitur* ex tumore duro, sensim aucto, sine inguinis tumore affligente, qua ratione ab hernia intestinali distinguitur: plærumque in testiculo dextro fit, quod natura sanguinem per venam ejus seminalem, à cava ortam, commodissimè ad testes depellat. *Oritur* ex sanguine impuriore ad testes & scrotum affluente, sensim ex membranis vasorum exstillante, & à natura nunquam otiosa, in substantiam carni similem mutato. *Curatur* 1. *Repressione*, per repellentia & exsiccantia, pulvis radic. ononidis laudatur. 2. *Sectione*, de qua vide Authores. *Dividitur* in *Scirrhosam*, in qua nec dolor nec calor adest; & *Malignam*, in qua dolor punctorius percipitur.

IV. Alia

IV. Alia eſt *Varicoſa*, ſeu Cirſocele, in qua vaſa teſticulos nutrientia varicum more dilatantur. *Cognoſcitur* ex eo, quod venæ ſint turgidæ, & capreolorum more intortæ & conglomeratæ, tumor ſit obliquus & uvæ in modum convolutus, vere ac autumno inteſtinis à flatibus diſtentis; vel pedibus refrigeratis, dolor comitetur. *Oritur* ab humore melancholico craſſo in vaſa effuſo. *Curatur* difficulter, Exſiccantia, & teſtium in faſcia ſuſpenſio proſunt. *Sectio* vix ſine læſione teſtis fieri poteſt.

ARTICULUS III.

De morbis Virgæ.

MOrbi *virgæ* ſunt varii.

I. *Diſtortio*, quæ illis accidit qui veneri nimis indulgent, & diu diſtento ſunt genitali. *Tum* enim ſpiritus in ligamentis concluſus, in aliquam alterius ligamenti partem impetum faciens, eam relaxat, & fabæ vel glandulæ inſtar protuberare facit: quo fit, ut, quantum latitudini aſſuetæ particulæ adjicitur, tantum longitudini detrahatur. *Curatur*, Abſtinentia à venere, & illis quæ curandæ herniæ inſerviunt. vide *Arantium.*

II. *Inflatio*, & *Inflammatio*, quarum iſta interdum ex concubitu cum muliere, cujus uterus eſt immundus, & acribus humoribus repletus, oritur. Nihil de illis ſingulare occurrit.

III. *Verrucæ & Excreſcentiæ*, quæ *vel* ſunt in ſummo glandis, quæ in fungum cancroſum degenerant: *vel* circa glandis carnem, & ſub ipſo præputio extuberant: ſuntque molles, fungoſæ continuo madent, malè olent, & indies augentur; iiſque qui morbo gallico laborant, familiares ſunt. Chirurgiam expoſcunt.

IV. *Vlcera*, quæ ſunt varia. 1. Alia ſunt *Externa*,

na, quæ viſui patent, interdum tamen cum ſunt circa glandem & præputium, propter membri tumorem videri non poſſunt. Si glandis regio exulcerata eſt, medicamenta omnia ſiccantia eſſe debent. Alia *Interna*, in meatu urinario hærentia, quæ ex dolore à tranſeunte urina excitato, & pure ante urinam egrediente pene tumido & tenſo *cognoſcitur*. *Vel* ab apoſtemate inflammationem inſequente; *vel* ab urina acri; *vel* à calculis aſperis, & aſperis tranſitu lædentibus, oriuntur. *Curantur* ad modum aliorum. II. Alia *penetrant*, ut tam externæ quàm internæ partes exulcerentur, & ulcus ad urinarium uſque meatum penetret. Alia *non item*. III. Alia ſunt *Antiqua*, *ſordida*, & *putrida*, quæ hydromelite cum vino benè abluuntur. Alia *virulenta*, qualia in lue venerea obveniunt: in quibus præcipitato, cum linimento conveniente mixtum, donec quod calloſum eſt, abſumtum fuerit, utendum. Gangræna ſi accedat vel ſphacelus, ſecandum eſt.

CAPUT II.

De membrorum genitalium in viris ſymptomatibus.

ARTICULUS I.

De Læſa ſeminis generatione, & Virgæ erectione.

SYmptomata membrorum genitalium in viris ſunt *Læſa ſeminis generatio*, *Læſa penis erectio*, *ſalacitas*, *Priapiſmus*, *Satyriaſis*, & *Gonorrhœa*.

Læſa ſeminis generatio eſt, quando illud vel non generatur, vel non tale ut generationi inſervire poſſit. *Duplex* itaque eſt. Alia, *quando ſemen non generatur*: quod fit vel ob *defectum materiæ*, ſeu ob res non naturales,

turales, ut jejunium, vigilias; seu ob præter naturales exsiccantes & illam absumentes, cordis inprimis morbus, vel *ob ejusdem ab aliis partibus attractionem*: quod fit & in puerili ætate, & in pinguibus, in quibus omne alimentum in substantiam corporis mutatur. Vel ob *facultatis partium genitalium*, seu innatum, seu acquisitum *vitium*, ut vasorum semen generantium vel deferentium defectum, maleficia, incantamenta, &c. Alia, quando *non generatur fœcundum*, quod fit, *vel* propter materiam minùs commodam, nimis calidam, humidam, aut siccam, *Vel* propter intemperiem partium genitalium frigidam, quæ interdum nimia in prima juventute libidine, unguentis mercurialibus genitalibus illitis, &c. contrahitur. *Signis* opus non est. *Curatio* ad causas est dirigenda. Augent verò semen *Radix* Cynosorchi major, Cubebæ, vitellus ovi recentis cum vino & pauco oleo amygdalar. dulcium, *Essentia* Satyrionis Crollii, *Confectio* Magnanimitatis, & de *succulata Inda* Mynsichti.

II. *Virgæ erectio læsa, seu Impotentia virilis, quando illa nullo conatu erigi vel extendi potest.*

De *Signis* non est necesse agere. *Causæ* & *Curatio* in Differentiis exponuntur.

Differentiæ sumuntur à causis.

Alia enim est impotentia virilis à *semini defectu*, seu quod non sit, seu quod vel paucum, vel crudum non stimulet: de quo superiùs diximus.

Alia est à *Spiritus vitalis defectu*; *vel* quod paucus sit, propter cordis frigiditatem & siccitatem, *Vel* quod alio avocetur, quod in meditationibus, timore, verecundiâ, &c. accidit. *Vel* quod à penis substantia non recipiatur, seu propter membri stuporem; seu propter incantamenta.

Alia est à *penis resolutione* ex iis causis facta, quarum in Paralysi mentionem fecimus. Medicamenta huic

mor-

morbo ſervientia vide apud *Stockerum* l. I. c. 55. ubi Satyrionis unc. v. quod cum ſanguinis paſſerum unc. x. miſceri debet, & ſub brachio teneri poteſt, mentionem facit. Quidam mirificè venerem excitari dicunt, ſi dextri pedis pollex oleo, in quo cantharides diſſolutæ ſunt, illinatur. Sed & pudendorum *decocto* aquilegiæ ſimplex ablutio, quam fumigatio dente demortui pulverizato, & ſuper carbones injecto excipere debet.

ARTICULUS II.

De Salacitate, Priapiſmo & Satyriaſi.

S*Alacitas eſt nimia in venerem vitio ſeminis propenſio, interdum etiam tanta, ut in furorem vertatur.* Vitium ſeminis conſiſtit. I. In *ejuſdem copia, ſeu* ex ſanguinis abundantia, *ſeu* vaſorum ſemini generando dicatorum calorem, cujus medio plus attrahitur. In *Curatione* ſemen abſumentibus eſt agendum; in quibus *mentha, & ſaccharum ſaturni* excellunt. ſed & vena ſecanda eſt, & æger purgandus. II. In *acrimonia* à cibis calidis, medicamentis & rebus acribus contracta, quibus occurrendum. III. In *commotione,* dum exitum quærens pruritum excitat.

II. *Priapiſmus eſt erectio pudendi circa veneris appetentiam, à flatuoſo ſpiritu, fiſtuloſum penis nervum replente, exorta.* Spiritus iſte vaporoſus oritur, *vel* in ipſo nervo ab intemperie frigida: *vel* in virga & vaſis ex craſſo crudoque humore à calore non proportionato, & hic *oleum* rutæ deſtillatum locum habet. Plærumque ab ora arteriarum nimis patentia, & dilatata ſpiritum copioſum effundentia; quia fortè lumbis & renibus calefactis incaleſcunt, multoque ſpiritu implentur; quod copioſo ſanguine abundantibus accidit. In *Curatione*, præmiſ-

ſis univerſalibus, applicari debent, *Nymphæa, ſemen viticis*, &c. tefrigerantia.

III. *Satyriaſis eſt pudendi palpitatio, inflammatoriam vaſorum ſpermaticorum affectionem cum tenſione conſequens.* Accidit potiùs juvenibus, quàm aliis ætatibus. *Curatio* feſtinanda eſt, ne in ſeminariorum vaſorum reſolutionem aut convulſionem delabantur. Cavendum in ea à *purgantibus*, niſi fortè per vomitum averſio fieri poſſit; & ab urinam cientibus.

ARTICULUS III.
De Gonorrhœa.

GOnorrhœa eſt & nimia & invita ſeminis, ſuo & ſpermaticarum partium vitio exorta, profuſio.

Signa ſunt evidentia. Profunditur ſemen invitis, citra venerem & veneris inſomnia, citra colis tentiginem, nullo oblectationis ſenſu, aut ſaltem exiguo; unde gracilitas totius corporis, circa lumbos præſertim cum pallore & cavitate oculorum infertur.

Cauſa & *Curatio* in Differentiis explicabitur. Profluvium ſiſtit Magiſt. *oſſis ſepiæ* à gr. vi. ad ſcr. ſ. cum conſerva roſar. antiqua. *Antimon. fixum* cum aqua plantaginis.

Differentia ſumitur à Cauſis.

Alia eſt *Vitio ſpermaticarum partium*. I. *Intemperiei frigidæ & humidæ*, quæ *vel* à cauſis externis tali vi præditis, ut nimiâ venere, *vel* ab humorum affluxu, in quo caſu evacuatio & adſtrictio calefacientibus admiſtis locum habet, oritur, & retentricem ipſarum labefactat. *facilius* curatur, modò ſit recens, *Terebinthinæ pulvis* cum lacte per xv. dies exhibitus, prodeſt. II. *Laxitatis*, quando folliculi

ſemen continentes, vaſaque illud deferentia nimiùm ampliata & laxata ſunt.

Alia eſt *vitio ſeminis ipſius*, quod eſt I. *Copioſum*, ex intermiſſione Veneris, & ciborum benè nutrientium uſu; & *tum* venæ ſectio, inedia, exercitia, proſunt. II. *Acre & calidum* excretricem ſtimulans, quod ex ſanguine ſimili, ob epatis & renum calorem, provenit; & *tum* priapiſmus ferè conjungitur; cauſæ externæ præceſſere. *Cura* inſtituenda, bilis evacuatione, ſpinæ & lumborum medicamentis refrigerantibus inunctione. III. *Crudum aquoſum & tenue*: idque *vel* ob teſtium frigiditatem, ſeu propter aſſumtorum frigiditatem, ſeu ob hepatis intemperiem ſimilem; & *tum* ſemen ad mulieris ſaltem contactum exit, ſigna cruditatis adſunt. In Curatione ſiccantibus & roborantibus agendum. Laudatur *Eſſentia Terebinth.* dr. j. pondere in ſyrupo Agrimoniæ: *vel* ob humorum vitioſorum *in corpore*, quæ ad vaſa ſpermatica *mittuntur, abundantiam*; & *tum* Evacuantibus, & *bona diæta agendum*. IV. *Virulentum & malignum*, quale in lue venerea contrahitur, quod exinde *cognoſcitur*, quod principio virus album aut ſubcitrinum, è vaſis ſpermaticis ſine ſenſu excidit, tam vigilanti quàm dormienti, quod tempore putret & acrimoniam adſciſcit, ductum virgæ exedit & exulcerat, unde dolor exoritur, qui & in tentigine quaſi funem peni ſubtendit, & in emictione tanquam in dyſuria acriùs ſtimulat. Id interdum tam altè excavatur, ut foras in penis ſummam cutem emergat. *Oritur* à ſpermaticorum vaſorum & teſtium imbecillitate, ex venenata lue contracta, quæ efficit, ut quicquid in his vaſis colligitur, in fœdum virus faceſſat, quod contagione alium quemvis contaminat. Quoad *Curationem*, eſt iſta *Difficilis* in ſenibus, in omnibus, ſi is præter rationem ſupprimatur. Intus enim plerumque col-

colligitur abſceſſus, alias quidem circa teſticulum in epididymide; alias in perinæo, qui rupta cute materiam fundit. Abſtinendum ab *adſtringentibus*, ne retentum partes erodat. Exſiccantia & putredini reſiſtentia, ut ſunt, *Acetoſa*, *Theriaca*, *Mithridatium*, nec non quæ lui venereæ dicata ſunt, proſunt.

TITULUS XI.

De partium genitalium in fœminis morbis.

CAPUT I.

De Morbis Cervicis uteri.

ARTICULUS I.

De Tentigine & Cauda.

MOrbi uteri vel ſunt *pudendi* ſeu cervicis uteri, vel *ipſius uteri*. Ad illos pertinent, *Tentigo*, *Cauda*, *Anguſtia*, *Puſtulæ*, *Condylomata*, *Hæmorrhoides*, & *Vlcera*.

I. *Tentigo ſeu fruſtum magnum, & mentula muliebris, eſt clitoridis in nimiam molem excreſcentia.*

Subjectum eſt Clitoris, ſeu caro illa nervoſa, dura, quam in cervice uteri alæ pudendi junctæ amplectuntur, & in quarum apice iſta eſt; quæque in appetitu venereo turgeſcit.

Signis manifeſtus affectus non indiget. moles interdum eſt tanta, ut per rimam pudendi colli anſerini craſſitie dependeat, & virile membrum referat, nimium adeſt coëundi deſiderium.

Cauſa eſt affluxus nimius vel humoris, vel nutrimenti, ob laxitatem quæ frequenti contactu induci-

tur, & ad minimum veſtium attritum libidinem excitare ſolet.

Curatio reſpicit, I. *Sanguinis imminutionem*, & alior. humorum eductionem, quibus victus tenuiſſimus & refrigerans, & diſcutientia, folia inprimis *lentiſci*, *olivæ*, inſerviunt. II. Ejuſdem *excreſcentiæ ablationem*; ubi leniora primò cauſtica, ut *alumen*, *unguentum Ægyptiacum*, *Lixivium*, ex quo confici ſolet ſapo cum vitriolo Romano decoctum: adjecto in fine pauxillo opii, & formatis exinde trochiſcis, quo pulvere caro aſpergi debet, adhibenda: tandem caro præcidenda, vel ligatura, vel ſectione, cavendo inflammationem.

II. *Cauda eſt carnoſa quædam ſubſtantia ab uteri oſculo exorta, quæ muliebre pudendum replet, & quandoque extra inſtar caudæ progreditur.*

Signa & *Cauſæ* eædem quæ in tentigine, modò quod fæminæ acceſſum metuant. *Curatio* etiam eadem. ſi amputanda eſt, vel equino *crine*, *vel filo* ſerico, in aqua ſublimati intincto, *vel ferro id* faciendum.

ARTICULUS II.

De Cervicis uteri anguſtia.

A*Nguſtia cervicis uteri*, *eſt vel ejuſdem*, *vel orificii uteri*, *ſeu per compreſſionem*, *ſeu per coalitionem occluſio.*

Signa ſunt, negatus menſium fluxus, in illis in quibus per cervicem fluere ſolent. doloris *cum pondere* ſenſus.

Cauſa vel *Naturalis*, quando à nativitate afficit: vel *accidentalis*, de qua in Differentiis.

Curatio pro ratione Differentiarum variat.

Differentiæ à parte & Cauſis ſumuntur.

I. Alia eſt *Orificii exterioris*, quod pudendi dicitur,

citur, in qua menſes, qui & per cervicem & per uterum fluunt, fraudantur, nec concubitus, nec conceptus fieri poteſt; quia nec ſemen, nec mas recipitur.

Alia *Interioris*, quod uteri appellatur, in qua ſemen receptum illico effluit, conceptio omnino eſſe nequit.

II. Alia eſt *per modum compreſſionis*, quam infert, 1. Omentum pinguius uteri ori incumbens. 2. Crurum divaricatio. 3. Calculus in veſica. 4. Tumor in inteſtino recto: de quibus ſuo loco.

Alia *per modum coalitionis*, quæ fit I. Vel *ab ortu*, & *tum* aut *Caro*, quæ rubra conſpicitur, mollis tangitur, intercipit; aut *Membrana*, quæ alba videtur, dura tactu ſentitur. In *Curatione*, 1. Parte fomentis tepidis humectata, ſectio ſecundùm rectitudinem facienda eſt, cavendo ne collum veſicæ lædatur. 2. Humor eliciendus, & turunda ſuppurante medicamento imbuta applicanda eſt. 3. Pulvis adſtringens propter metum hæmorrhagiæ in promtu habendus. 4. Sequentibus diebus locus aquâ mulſa eluendus, & cicatrizantibus eſt agendum. II. Vel *poſt ortum*, ab *ulcere* inprimis: & *tum*, *Aut* latera cervicis coaluerunt, in quo caſu inciſione ſed cautiſſimè utendum: *Aut* calloſa ſubſtantia adeſt, quæ priùs ſcalpello abſcindenda erit. *Aut* fungoſa & luxurians caro; in qua primò ſiccantibus & diſcutientibus, ut Ariſtolochia, Thure, Myrrha, Maſtiche, utendum; poſt ſine dolore exedentia adhibenda, tandem ſecandum.

ARTICULUS III.

De Uteri Puſtulis, Condylomatibus, & Hæmorrhoidibus.

P*Uſtulæ uteri ſunt tubercula in cervice uteri exorta, quæ acrimoniâ pruritum & dolorem accerſunt.*

Signa ſunt, pruritus, dolor, ſquammarum farinacearum delapſus, quibus ſpeculum matricis, ut meliùs affectus exploretur, addendum.

Cauſa ſunt humores bilioſi, acres, & aduſti, craſſi: qui in loca humida & laxa evacuati, illis ſe inſinuant & immergunt.

Curatio reſpicit cauſas, præmiſſis univerſalibus, ubi inter præparantia prævalent, ſyrup. *fumariæ, Cichorii* cum decocto lupulor. Topica humorem discutientia & mitigantia, inprimis Balnea & inſeſſus, quæ excipiat, partis vino cum *nitro elutio*. Sæpius autem iſta iteranda..

Dividuntur in *Benignas*, & *Malignas*, ſeu venereas, quæ rebelles & contagioſæ. Ablui debent aqua, ex aloë quantitate unius ciceris, flore æris quantitate dimidii ciceris, pulverizatis, & cum vini albi unc. j. aquæ plantagin. capitum roſar. ana unc. j. permiſtis, & in phiala vitrea ſervatis, facta.

II. *Condylomata ſunt rugarum in cervice uteri, cum ardore & dolore intumeſcentiæ.*

Signis opus non eſt, quia oculis condylomata apparent, ſæpe, ſi plura ſint parvi racemi ſpeciem referentia. Rugæ nodorum inſtar, qui in pugno clauſo apparent, prominent: ſed magis, dum menſes profluunt, attolluntur.

Cauſa ſunt craſſi & aduſti humores.

Curatio in genere reſpicit *Cauſarum ablationem*, & *Repercuſſionem*, ac *Exſiccationem*.

Quan-

Quantum ad *Differentias*,

Aiia ſunt *Cum inflammatione*, in quibus dolor & ardor major eſt, condyloma eſt durum. In *Curatione* anodynis inſeſſibus & perfuſionibus agendum eſt.

Alia *ſine Inflammatioe*, quæ ſi *Recentia*, repellendum & exſiccandum: ſi *Antiqua* & Inveterata, emolliendum primò; mox digerendum & ſiccandum. Habent hic locum, *pulvis* ex teſtis ovorum uſtis, unguentum ex trochiſcor. de chalybe dr. j. in pulverem redacta, & cum oleo roſarum ac cera miſta, addita unc. ſ. ſucci verbaſci, *Vnguentum* pomi inſani, de quo à Caſtro l. 2. c. 25. de morbis mulier. Si his medicamentis non cedit, volſella reſcindendum eſt condyloma, & pulvis adſtringens inſpergendus.

III. *Hæmorrhoides uteri, ſunt tubercula hæmorrhoidibus ani ſimilia, in uteri cervice ob affluxum ſanguinis fæculenti excitata.*

Subjectum eſt cervix uteri. Nam ibi fiunt, ubi venæ deſinunt, ut in hæmorrhoidibus ani: & hæ ex affluxu attolluntur.

Signa ſunt manifeſta. Nam viſu ſi ſpeculum matricis adhibeatur, deprehenduntur. mulieres palleſcunt, & laſſitudine tentantur.

Cauſa eſt ſanguis fæculentus, qui cum interdum tempore non debito ad has venas confluit, ibidem ſubſiſtens craſſior redditur, ut penetrare orificia non poſſit.

Curatio inſtituitur I. *Revulſione*, per venæ in brachio ſectionem. II. *Derivatione*, per ejuſdem in talo vulnerationem.

Dividuntur bifariam.

I. Aliæ ſunt *Dolorificæ*, quæ ipſo dolore à menſibus diſtinguuntur, & mitigantibus eundem, inſeſſibus inprimis, nec non *Cataplaſmate* Caſtrenſis l. 2.

 c. 26.

c. 26. de morbis mulier. ſed & opio, quod tamen in hæmorrhoidibus ani ſecurius eſt, curantur. Aliæ *ſine Dolore*, quibus & dicta & dicenda applicari debent.

II. Aliæ ſunt *Apertæ*, quæ fluunt *vel* moderatè, ac *tum* naturæ res debet committi: *vel* nimium, ita ut vires dejiciant, & metus ſit ne malus corporis habitus inducatur; & *tum*, ad revellendum ſanguis ex vena brachii partitis vicibus demendus eſt. Purgationi Myrobolani, Tamarindi, Rhabarbarum inſerviunt. Sanguinem ſiſtentibus tandem agendum.

Aliæ ſunt *Cæcæ*, in quibus nihil planè ſanguinis effluit. *Curatio* perficitur, ſanguinis evacuatione. Partis per emollientia & venarum orificia aperientia ac materiam diſcutientia, emollitione & fomentatione. Earundem arte apertione: de quibus vide caput de Hæmorrhoidibus ani.

ARTICULUS IV.

De Cervicis uteri Ulceribus.

U*Lcera cervicis uteri* quid ſint, non eſt opus definire.

Signa illorum ſunt, dolor & perpetua in eodem loco mordicatio, quæ ſenſim, præſertim ſi quid abſtergentium infuſum ſit, intenditur. ſanioſorum humorum & puris per intervalla, cum ſanguine interdum, ſi ulcus magnum vel menſes prodeunt, effluxus, mictio frequens & ardens, ſi veſicæ orificium, dolor ſyncipitis ad radices oculorum ſe extendens, ſi caput in conſenſum trahitur, febricula quæ ſucceſſu temporis ſupervenit lenta, cum crebris horroribus, &c.

Cauſæ ſunt externa & interna omnia, quæ acredine ſua continuum in illa parte ſolvere poſſunt: de quibus in Differentiis.

Cu-

Curatio eſt *Difficilis*, quia in loco exquiſiti ſenſus, humido, & cum multis partibus conſenſum habente. *Inſtituitur* eo modo, quo libro primo in genere dictum eſt. Dolori inhibendo *Lac chalybeatum* infuſum conducit. Exſiccationi *Thermæ.*

Differentiæ ſunt variæ.

I. Alia ſunt *à Cauſis externis*, ut medicamentis, partu difficili, violento concubitu, &c. Alia *ab internis*, ut ſunt, Secundina corrupta, Lochia retenta, Fluor uterinus. Gonorrhœa virulenta, Lues venerea, Inflammationes in abſceſſum converſæ, Humores vel à toto, vel à parte affluentes, vel ibi genitæ; quæ omnia attendi in Curatione debent.

II. Alia ſunt *Superficialia*, in quibus parùm puris profluit, & medicamenta etiam illiniri poſſunt. Alia *Profunda*, quæ ſe contrario modo habent, & medicamenta injici debent.

III. Alia ſunt *Mitia*, cum pure pauco craſſo nec fœtido, in quibus & abſtergentia leniora, ut mel roſatum cum aqua hordei, ſerum lactis cum ſaccharo vel decocto lentium, & adſtringentia benigniora locum habent. Alia *Sordida*, cum pure copioſo, & cum dolore effluente, in quibus fortioribus agendum eſt. *Mundificativum apii*, apud Caſtrenſem. l. 2. c. 29. hic laudatur. Alia *Depaſcentia*, cum ſanie colorata, viridi, livida, fœtida, cum cruciatu effluente; in quibus *Aloë* & *Abſinthium* inter mundificantia primatum obtinent.

IV. Alia dicuntur *Rhagades*, quæ ſunt ulcuſcula parva & longa, cutim cervicis uteri exedentia. *Cognoſcuntur* tum ex dolore & cruore in congreſſu excitato: tum viſu, ſi cervix inſpiciatur: quin ſunt & illis ſimilia, quæ tempore hyberno in manibus oriri ſolent. *Oriuntur* multis modis. 1. *Externè*, à partu laborioſo, coitu violento, & tum Clyſtere adſtringente utendum. II. *Internè*, ab Inflammatione,

condylomatibus, Humorum acrium affluxu, qui prius purgantibus tollendi, antequam ad Topica accedatur. Laudatur in eis *pinguedo*, quæ ex cochlearibus ligneis ad coquendum in culina usitatis, si aliquantulum igni admoventur, & torrentur, edistillat: nec non unguentum pomadæ.

Alia quæ *Fistulam post se relinquunt*, quæ dolore caret, nisi ad partem nervosam accesserit. Ad vesitam interdum & rectum intestinum transit, & tum per eam excrementa ejiciuntur. Si *Antiqua* est curæ palliativæ, in qua statis temporibus corpus purgatur, relinqui debet. Callus verò, qui ei semper conjunctus est, si illa est sanabilis, post exsiccationem partis, per potiones vulnerarias, emollitus, absumendus, vel sectione vel ustione.

De *Cancro & Gangrana* nihil singulare occurrit. *Ille* à sanguine menstruo adusto, & cum tumores scirrhosi diu persistunt, generatur. *Ista* hoc in loco, ex inflammatione, cancro, & ulceribus ibidem malè curatis oritur. Cum enim hæ partes *sint humidæ*, & excrementis scateant, facilè eæ corrumpuntur & emoriuntur.

CAPUT II.

De morbis Vteri.

ARTICULUS I.

De Intemperie uteri.

MOrbi uteri sunt, *Intemperies*, *vasorum angustia*, *Inflatio*, *Inflammatio*, *Scirrhus*, *Hydrops*, *Procidentia*, *Vulnera & Vlcera*.

Intemperies uteri est ejusdem à temperie sua naturali ad præternaturalem intemperiem, à causis externis & internis exorta, deflexio.

Dividitur bifariam.

I. Alia

I. Alia eſt *Calida*, quæ *cognoſcitur* ex pronitate in venerem, menſtruorum paucitate, flavedine, nigredine, aduſtione, acredine, difficili & inordinato fluxu: unde progreſſu ætatis hypochondriacæ evadunt, pilorum in pube tempeſtivo exortu, faciei rubedine & labiorum ſiccitate, dolore capitis frequente, & bilioſi humoris in corpore abundantia. *Oritur* vel *ab ortu*, unde viragines & ſterilitas: vel *poſt Ortum*, à cauſis externis, inter quas calidor. uſus, nimia venus, medicamenta, quæ calorem & ſanguinem ad uterum concitant. *Curatur* I. *Diætâ oppoſitâ*. II. *Medicamentis refrigerantibus*, tam internis quàm externis, quæ lumbis & dorſo applicantur: ſed illis Moderatis, ne calor ad conceptionem neceſſarius debilitetur, ſubſtantia uteri frigida, quia membranoſa, violetur, vaſa quæ ob fluxum menſtruorum patere debent, denſentur, & nervi qui in lumbis & dorſo, lædantur. III. *Evacuantibus*, Rhabarbaro nempe, ſyrupo roſarum ſolutivo: Manna, &c. *Flores vitrioli Veneris* & *Martis* à gr. iii, ad vj. in aliquo ſyrupo appropriatum eſt in utero purgans.

Alia eſt *Frigida*, calida frequentior, quæ *cognoſcitur* ex minore veneris appetentia, & exigua in ea voluptate, menſium ſubſiſtentia, mucoſitate, pituitoſitate, & inordinato fluxu propter ſimilium humorum in utero collectorum copiam: unde obſtructio, flatuum in utero copiâ, ſeminis cruditate & aquoſitate, unde iſtius ſine voluptate fluxus, faciei colore pallido, & cæteris ſuperiori oppoſitis. *Oritur* & à cauſis iiſdem contrariis. *Curatur* I. *Diætâ oppoſitâ*, II. *Medicamentis calidis*, utero applicatis, inter quæ excellunt *Internè Radices* Ariſtolochiæ, Caryophyllatæ, Angelicæ, Eryngii. *Folia* Mercurialis, Meliſſæ, Dictamni Cretici, Pulegii, Salviæ, Rorismarini, Artemiſiæ. *Flores* Cheiri, Calendulæ, Salviæ, Anthos, Borraginis, *Aromata* Nux

moſchata,

moschata, Cubebæ, Crocus, Cinnamomum. Ex *Compositis ol.* Macis, succini, de Myrrha, Cinnamomi, *Fæcula* Bryoniæ, *Aqua* vitæ mulierum, *Extractum* Zedoariæ, *Externa* eadem in suas formas redacta.

Alia est *Humida*, quæ frigidæ plerumque conjungitur. *Cognoscitur* ex menstruorum copiositate, tenuitate & aquositate, locorum muliebrium ob excrementorum humiditatem, madore, & fluoris uterini, ubi & semen excernitur, passione, nulla ex venere delectatione, ad abortum fœtu grandiore pronitate. *Oritur* ab iisdem cum frigida causis, & *illis* præsertim quæ sunt vitæ otiosæ & sedentariæ accidit. *Curatur* ut superior. Observa tamen, *Rasuram eboris* & decocti salviæ in vino & aqua, fumum per infundibulum ante cœnam admissum, laudari. *Thermas sulfureas* palmam obtinere. In externis ab adstringentibus, ne humores excrementitios detineant, caveri debere.

Alia est *Sicca*, quæ *Cognoscitur* ex *seminis* & monstruorum paucitate, ad venerem *tarditie*, *oris* uteri siccitate, labii inferioris colore è rubro nigricante, cum perpetuis fissuris. *Oritur*, Interdum *ab ipso ortu*, unde ægræ temperies sicca, & corporis constitutio gracilis. Interdum *propter senium*, unde parere desinunt. Interdum *ab ipsis morbis*, inflammatione nempe, &c. Interdum ex *defectu sanguinis*, qui eum humectare debebat, *sive* quod per ipsum propter venarum angustiam & obstructionem non evacuetur; *sive* quod per cervicem evacuatus ad fundum non perveniat. *Curatur* I. *Diæta opposita*, in qua nimii labores, vigiliæ, inedia, mœror sunt vehementer vitanda. II. *Humectantium usu*, inter quæ excellunt, Borrago, Buglossa, Mercurialis Althæa, violæ: inter externa Balnea aquæ dulcis, & inunctiones ex oleo Amygdalor. dulcium, lilior. alborum, pingued. gallinæ, medullæ crurum vituli, &c.

&c. *Difficilis* eſt *Curatio*, ſi ſit ſiccitas diuturna & hectica.

II. Alia eſt *Simplex*, ad quam ſuperius dicta ſpectant.

Alia *Compoſita*, frigida & humida frequentiſſima, quæ *Cognoſcitur* ex ſuperioribus inter ſe comparatis. *Oritur* ab humoribus pituitoſis, ſive à toto deductis, ſive à toto progenitis. *Curatur* I. *Præparatione* materiæ per hyſterica calefacientia. II. *Evacuatione*, & quidem *Univerſali* totius corporis per phlegmagoga. *Particulari* ipſius uteri. cujus maxima eſt habenda ratio, ſi nec à toto, nec à partibus quicquam proveniat. Et hic peſſaria multum faciunt, nec non *Thermæ* ſulfureæ & exſiccantes. *Sudoriferis*, quæ hic maximè laudantur. *Decocto* nempe *ligni ſancti*, *Chinæ*, *Salſaparillæ*, Ligni *lentiſcini*, &c. III. *Diætâ oppoſitâ.*

ARTICULUS II.

De Vaſorum Uteri anguſtia.

V*Aſorum uteri anguſtia, eſt eorundem à cauſis ſuis interceptio.*

Signa ſunt, tum menſium retentio, quod fluere nequeant; tum conceptionis, propter interceptum ſanguinis allapſum impedimentum.

Cauſæ & *Curatio* in Differentiis exponentur.

Dividitur bifariam.

I. Alia eſt *ab externis cauſis*, ut medicamentis & balneis adſtringentibus, quæ cognoſcitur ex relatione ægri. *Curatur* faciliùs, & humectantibus ac emollientibus agendum eſt.

Alia *ab Internis*: de quibus in ſequente Differentiâ.

II. Alia à *Cicatrice*, *carne*, *aut membrana orificiis vaſorum annata*, vel *orificiorum venarum*, *poſt violentam ſecundinarum extractionem coalitu*;

quæ

quæ ferè eſt incurabilis : tentari tamen aliquid emollientibus poteſt.

Alia *ab Obſtructione*, quam craſſi, viſcidi & copioſi humores, *ſeu* illi è reliquo corpore, calore ipſos extenuare non valente, affluant; *ſeu* in ipſo utero propter caloris in eo debilitatem cumulentur, inferunt. *Cognoſcitur* ex eo, quod ſigna intemperiei frigidæ adſint, humiditas mucori ſimilis interdum ex utero prolabatur. *Curatur*, prout aliæ obſtructiones. Revulſio locum habet, ſi materia affluit. Inter Deobſtruentia, Medicamenta acria & amara, menſes moventia, *Chalybeatum vinum*, balnea emollientibus & aperientibus caſtigata, laudantur.

Alia *à Compreſſione*, quam infert Vel *tumor* & ſcirrhus, in utero vel extra ipſum conſiſtens : & *tum* ſigna tumoris adſunt. Malum ferè eſt incurabile. *Vel* pinguedo partium vicinarum nimia ; & *tum* ſenſui id totum manifeſtum eſt. Extenuantibus agi debet.

ARTICULUS III.

De Uteri inflatione.

I*Nflatio Vteri eſt ejuſdem à flatibus ex materia frigida, pituitoſa & flatulenta, vitio caloris imbecillis genitis, diſtentio.*

Dicitur & *Mola flatuoſa*, propter falſam conceptionis ſpem.

Signa ſunt, diſtentio uteri è regione abdominis conſiſtens, quæ nunc augetur, nunc minuitur; interdum ad latera, interdum ad umbilicum, lumbos & diaphragma extenditur. *Diſtinguitur* ab *Hydrope*, minori magnitudine, ſitis carentiâ, tumoris incremento & decremento, minore ſuperiorum partium macie. Ab *Hydrope Vteri*, cauſarum flatus generantium prægreſſu, ſonitu, minore gravitate, majore tenſione, doloris extenſivi & in partibus *vicinis* puncto-

punctorii perceptione. Ab *intestinorum inflatione*, quod hic nec ſint dolores, nec alvus ſupprimatur; quod menſes ſupprimantur, pedes ac cava oculorum intumeſcant, & corporis color mutetur; quod mulier anhelet, anxia ſit, & cùm expergiſcitur è ſomno, recta cervice anhelet. A *Mola*, carentia gravitatis & duritiei in ventre cum pondere, de latere in latus ſe, cum moventur, movente. A *Conceptione*, ſonitu & tumoris incremento & decremento, carentia motus motui infantis ſimilis: ſi enim abdomen comprimatur vehementius, flatibus ad vicina compulſis, motus quidam palpitationis in toto abdomine ſentitur.

Cauſa in definitione eſt poſita. Materia ipſa *vel* gignitur in ipſo utero, ſeu propter menſium ſuppreſſionem: ſeu purgationis poſt partum interceptionem. *Vel* aliunde provenit, ſeu per venas, ſeu per vaſa ſeminalia. *Caloris* vero *imbecillitas*, plerumque ab aëre externo, in puerperis impuritates, quæ exitum quærunt frigidate ſua ſiſtente, à partu difficili, abortu, menſibus ſuppreſſis, &c. oritur.

Curatio, ſi methodum ſpectes, ab aliarum inflationum curatione non differt, modò partis ratio habeatur. *Obſerva* inter purgantia *Species hieræ*, *& diaphanicon cum caſtoreo* laudari. Ad ſuffitus *Nucem moſchatam*; de qua Hartmannus in Chymiatria, ad Emplaſtra, *Emplaſtrum de baccis lauri* cum Theriaca; ad hauſtus, *nucem moſchatam* tuſam, cum radicibus matricariæ decoctam, & ex ſenis vini unciis cum ſaccari dr. ii. ebibitam.

Differentiæ à parte ipſa ſumuntur.

Alia eſt, *quando flatus ſunt in cavitate*; & *tum* os uteri ita clauditur, ut nihil ejus exire queat, cum vel mulier movetur, vel manu abdomen comprimitur, ſonus & ſtrepitus percipitur. *Contineri* autem eos *in cavitate poſſe* certum eſt, tum quia uterus diſtendi

di poteſt quamvis craſſus, ut in conceptione, & retineri, ut in mola: tum quia alteratrix & retentrix, facultates nunquam otioſæ ſemen morboſum inflatus mutant.

Alia, *quando ſunt in tunicis ejuſdem*; & *tum* etiam os uteri apertum eſſe poteſt, propter flatuum in anguſto loco concluſionem, ſonitus exeſt, & dolores fiunt majores ac latiùs extenduntur: malum difficilius quàm in cavitate curatur.

ARTICULUS IV.

De Inflammatione Uteri.

INflammatio uteri eſt ejuſdem à ſanguinis in ſubſtantiam ejus elapſi putredine tumor, multis ſymptomatibus infeſtus; & modò in ſcirrhum, modò in abſceſſum faceſſens.

Signa ſunt varia. Tumor ipſe in regione uteri apparet, cum ardore & dolore, uteri *occluſione*, & verſus interiora retractione; *tota verò cervix rubicunda* apparet, venulis undiquaque inſtar telæ aranearum ſanguine tumentibus. Reſpirationis adeſt difficultas, cum ſpecie pleuritidis, quia extenſa exteriore uteri tunica, quæ à peritonæo oritur & firmatur, partes etiam quibus illa cohæret, tenduntur. Alvi & veſicæ excrementa ob calorem & alvi ſiccitatem, & meatum compreſſionem detinentur. Ventris moles vacua interdum apparet, & alvus aquâ impletur, & umbilicus prominet, & oſculum gracile fit: & derepente menſes pauci ac pravi ingruunt. Febris continua & ardens propter uteri cum corde per arterias & vaſa magna conſenſum, interdum lypirias ob humorum verſus interiora motum, affligit. Dolor adeſt Mammarum, cum earundem inflatione ob conſenſum Inguinum, coxarum, ſepti tranſverſi, clavicularum, Syncipitis, qui ad radices oculorum

rum extenditur, & à vaporibus à ſanguine putreſcente per arterias ad caput elatis, quæ per collum ab utraque vocati infundibuli parte in ſynciput diſcurrunt, oritur.

Cauſa eſt ſanguinis, qui interdum eſt purus, interdum bile miſtus, interdum atrâ bile tinctus. *Allabitur* vel elabitur, propter cauſas communes, detentionem nempe tempore menſtruorum, vel poſt partum ex aëris frigidi occurſu. *Attrahitur* ob calorem vel dolorem, qui fit: *Vel* ex abortu, partu difficili, ſecundinarum violenta extractione, longiore menſibus inſtantibus ambulatione: *Vel* ex moleſta geſtatione, ſi fœtus vel eſt grandior, vel malè collocatus.

Curatio eſt *Difficilis*, ſi præſertim vel totus occupetur, vel ſuppuretur. Ulcus enim ſordidum exinde exortum, lenta febre tandem ægros conſumit. *Nulla*, ſi ſit Eryſipelas, quia & fœtus ipſe propter inſignem calorem emoritur, unde abortus qui matrem jugulat, ſequitur. ſi in gangrænam lethalem ſaceſſat. *Inſtituitur*, ut in aliis inflammationibus, ubi *nota*. Ad revulſionem non ſecandam eſſe in cruribus venam, cum hæ venæ ſanguinem ad uterum trahant; ſed in cubito, cum ſanguis ex epate & venis ei vicinis confluat. Ad derivationem venam popliticam ſecari poſſe, niſi ægra ſit gravida, ne abortus concitetur. Topica refrigerantia & humectantia abſque ulla adſtrictione adhiberi debere. Putatur eam proprietate quadam ſiſtere *Decoctum ſerpilli cum aqua chalybeata paratum*, & extrinſecus cum ſpongiis applicatum.

Differentiæ à parte ipſa ſumuntur.

I. Alia eſt *totius Vteri*, in qua ſuperius dicta ſymptomata evidenter affligunt, & paucæ planè evadunt. Alia *alterutrius lateris*, in qua calor in coxam, propter ligamenta uteri quæ eò uſque feruntur, tran-

ſit, crus quod è regione eſt ægrè movetur, inguina ejus loci inflammantur.

I. Alia eſt *partis poſterioris*, in qua alvus ſupprimitur, dolor magis lumbos & ſpinam affligit. Alia *Antica*, in qua, quia veſicæ cohæret, urina ſupprimitur aut difficulter redditur, dolor magis verſus pubem abit. Alia *ipſius fundi*, in qua imus venter ita dolet, ut ne contactum quidem ferat, & dolor ad umbilicum magis extenditur.

III. Alia quæ *in ſcirrhum abit*, in qua evadunt omnia mitiora, pondus & gravitas in vicinis partibus percipitur, malum fit diuturnum, & in hydropem uteri ſæpe terminatur. Alia quæ *in abſceſſum*, in qua omnia augentur, donec ſuppuratio facta fuerit, horrores ſine ordine circa veſperam plerumque invadunt, rupto abſceſſu (rumpitur autem vel in uteri cavitatem, quod tutius, vel effunditur in alias partes) modò urina, modò alvus ſupprimitur, cum pubis intumeſcentia, & fluctuantis rei ſenſu.

ARTICULUS V.

De Scirrho Uteri.

SCirrhus uteri eſt ejuſdem tumor durus ac citra dolorem renitens, à craſſo terreſtri & fæculento humore procreatus.

Signa ſunt, præter generalia alia, nempe, Menſes initio ſupprimuntur aut diminuti fluunt; creſcente malo, magnus ſanguinis per intervalla fluor, ſeu apertis pius juſto venarum oſculis, ſeu nequeunte utero conſuetam ſanguinis copiam vel recipere, vel retinere. *Diſtinguitur* à *Mola*, quia in hac menſes ſi fluunt, inordinatè fluunt, mammæ quoque lacte turgent, quæ in ſcirrho extenuantur, &c.

Cauſa eſt humor terreſtris & fæculentus, ſanguis nempe craſſus, interdum pituitoſus, interdum, quod

ætate

ætate inclinante accidit, & illas, quæ picâ, malaciâ aut bulimo laboravere infeſtat, melancholicus ſæpe ex malè curata inflammatione ob nimium vel reſtrigerantium, vel diſcutientium uſum.

Curatio eſt *Difficilis*, tum quia longo tempore exſiccata emolliri nequeunt; tum quia calor nativus in partibus ſcirrho affectis exhauſtus eſt; tum quia dum humor emollitur, facilè in cancrum putredine conceptâ, abire poteſt. *Proceſſus* curationis non variat ab aliis.

Dividitur ratione ipſius membri affecti.

Alius eſt *in ipſa ſubſtantia*. in quo uterus in coxam & dorſum decumbit, ibique dolorem excitat. Alius *in Cervice*, qui digiti contactu exploratur, faciliùs quàm prior curatur. Si in ſuperiore cervicis parte eſt, fæmina in venere offenditur, & veſica à tumore comprimitur: ſi in inferiore exſiſtit, inteſtinum rectum laborat.

ARTICULUS VI.

De Hydrope Uteri.

HYdrops uteri eſt ejuſdem ab aqua in ipſo ſeu proprio, ſeu aliarum partium vitio collecta, impotentia.

Signa ſunt, Tumor imi ventris laxus, ſecundùm formam uteri extenſus, menſium paucitas, pravitas, loturæ quia carnis ſimiles, ante tempus defectus, uteri oſculi gracilitas & humiditas, mammarum mollities, & lactis carentia, rigor ac ſæpe febris. *Diſtinguitur* ab *Inflammatione* febris carentia & mollitie, ſymptomatibus aliis, de quibus ſupra. Ab Inflatione, tenſionis & ſonitus defectu. A *Mola*; quia in hac pondus majus in imo ventre percipitur. mammæ tempore partus inſtante turgent. A *Conceptione*, quia in hydrope tumor uteri juxta uteri &

ventris amplitudinem extenditur ; in conceptione acuminatus eſt. In gravidis menſtrua non effluunt; hic humor quidam ſanguinolentus , pravus , nullo ſervato ordine effluit , & citò finitur. Ab *Hydrope ventris*, facie patientis colorata, niſi epar laboret ſitis carentiâ, tumoris à parte inferiore ad ſuperiorem adſcenſu.

Cauſa eſt aqua ibidem, ſeu *vitio* lienis vel Epatis, de quibus propria capita conſulantur ; ſeu ob *Debilitatem* ipſius uteri , propter quam nec bene concoquit, nec bene excrementa expellit; & quam, *Aut* ex abortu frequenti & partu laborioſo. *Aut* ex menſium nimio fluxu calorem ejus difflante. *Aut* ex ipſorum ſuppreſſione calorem eundem ſuffocante.

Curatio exigit Aquæ eductionem, & Uteri roborationem , habitâ ipſarum cauſarum ratione : Hartmannus *pillulas Antimoniales* laudat.

Differentia à parte ſumitur.

Alius eſt, *quando aqua in cavitate colligitur* ; in quo, orificium uteri ſi tangatur, clauſam deprehenditur , tumor major eſt & fluctuatio quædam percipitur. ſi conceptum ſequitur, aqua illa citrina & fœtida intra duos ut plurimum menſes fœtum perdit, qui tunc cum ea ejicitur. Alius, *quando aqua in ſubſtantia & veſiculis agnatis reſidet*, in quo orificium contrectatum apparet, majores dolores exoriuntur, difficilior evadit curatio.

ARTICULUS II.

De Uteri procidentia.

UTeri procidentia eſt ejuſdem extra abdomen propenſio, à ſoluta ligamentorum ejus unitate procedens.

Signa generalia ſunt, dolor lumborum, hypogaſtrii, pudendi , oſſis ſacri , quibus uterus annectitur ; &

quidem in principio, in processu, mitigatur is ob assuetudinem, & solius ponderis molestus sensus, & in ambulando impedimentum adest. *Specialia* pro ratione *majoris* vel *minoris* procidentiæ variant. In *illa* uterus ad dimidium coxarum & genua descendit, tumorem ovi anserini instar, in cujus ima parte foramen apparet, exhibet. In *hac* Tumor quasi extensæ pellis, & veluti ovi majoris pondus circa pudenda percipitur.

Causa est, quicquid ligamentorum unitatem solvere potest. Vide in sequentibus.

Curatio est *Difficilis*, si est major. si adultas affligit. si febris, convulsio, vel alia symptomata accidunt. Imò si id fiat, lethalis est in puerperis: & interdum ab ambiente aëris alteratione, aut violentâ repulsione corrumpitur, & gangrænâ corripitur. *Consistit* I. In *uteri ipsius repositione*, ubi *nota*. sistendam esse primò inflammationem, si accessit. Si tumor ab aëre frigido utero impressus urgeat, decocto malvæ, altheæ, flor. chamæmel. baccar. lauri, &c. primò membrum esse fovendum. Si flatus vel stercora in intestinis adsunt, clysterem esse præmittendum. Antequam reponatur, glutinantibus & adstringentibus esse fovendum, aspergendum, inungendum. Laudatur *suffitus ex pelle Anguillæ salitæ*, fumo exsiccatæ & pulverizatæ. Balneum adstringens pete ex Guiljelmi Rondeletii Curationibus. Modum reponendi vide apud Authores. II. In *ejusdem retentione*, & *tum* Mulier in lecto reclinata cruribus extensis, ita ut unum alteri incumbat, ponenda. Alvus nec pigra, ne in fæcum egestione uterus præcipitetur; nec laxa, ne membranæ uterum ligantes laxentur, habenda. Medicamenta agglutinantia & adstringentia adhibenda. Huc faciunt, Pessi, Fomentationes, injectiones per syringam, & alia. sed cave menses iis supprimas.

Differentiæ ſumuntur à Cauſis.

I. Alia eſt *propter ligamentorum laxitatem*, quæ quatuor habet; quæ ex eo *Cognoſcitur*, quòd ſenſim generetur, & minore cum dolore affligat. *Oritur*, vel à partu difficili, onerosâ fœtus geſtatione, vel ab humoris pituitoſi affluxu. *Curatur*, Evacuatione humorum. Adſtringentium & roborantium uſu, ut ſunt, *Decoctum muſci querni*, *cornu Cervi*, *foliorum lauri*, Emplaſtrum adſtrictorium. *Magnes* præparatus & appoſitus.

Alia eſt à *ligamentorum ruptione*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quòd ſubitò malum exoriatur, majore cum dolore affligat, & à ſanguinis fluxu interdum excipiatur. *Oritur*, vel ab gravi fœtus geſtatione, vel à partu laborioſo, vel ab abortu, vel à violentâ ſecundinæ extractione.

Alia eſt *à ligamentorum eroſione*; & *tum* ulceris ſigna adſunt, puris aliquid effluit.

ARTICULUS VIII.

De Uteri Aſcenſu, Vulneribus & Ulceribus.

UTerum è ſuo loco verſus ſuperiora & uſque ad ventriculum poſſe aſcendere, quorundam eſt opinio; ſed falſa. Nam 1. ligamentis quatuor ita connectitur, ut ſurſum moveri nullo modo poſſit. 2. Etſi naturalem motum per fibras habeat; tamen quia & recto inteſtino & pudendis annexus eſt, ſi animalem haberet, neceſſariò & illæ partes tenderentur. 3. Etſi à flatibus, ut ſuperiùs dictum, intumeſcat: tamen non ſequitur exinde eum ſurſum moveri. Quod verò fæminæ interdum corpus & globum quaſi circa umbilici regionem oberrantem ſentiunt; dicendum eſt, teſtes potiùs & vas illud cæcum eſſe,

quam ipſum uterum. Cauſa hujus in ſuffocatione uteri exponetur.

II. De *Vulneribus uteri* nota. 1. Difficulter uterum vulnerari; quia undique oſſibus obſeptus eſt, 2. Si vulneratur, cognoſci id ex ſitu, dolore & pure, quod effluit. 3. Curari poſſe, quod ex partu Cæſareo apparet, ſed propter partis cum aliis membris conſenſum periculoſa eſſe. 4. Vel uteri fundo accidere, & tum dolor eſt minor, curatio facilior. vel cervici, & tum dolor eſt major. Curatio difficilior, quod illa ſit magis membranoſa & continuò humiditatibus ſcateat.

III. De *Vlceribus* nihil dignum occurrit, quod non ſuperiùs attactum fuerit, niſi fortè addatur, ita interdum putreſcere, ut & exſcindatur, & ſuperſtite muliere excidat. Conſolidationi *Balſamus ſulfuris & ejuſdem Emplaſtrum* (de quibus vide Hartmanni chymiatriam, capite de Tabe) inſerviunt.

TITULUS XII.

De Symptomatibus Uteri.

CAPUT I.

De Symptomatibus communibus.

ARTICULUS I.

De Uteri imbecillitate.

SYmptomata uteri, vel *ſunt mulieribus in omni ſtatu communia*, vel ſunt, aut *Extra conjugium viventibus magis familiaria*; aut *conjugatis propria*.

Communia ſunt, *Vteri imbecillitas*, *Dolor*, *Menſium ſuppreſſio*, *ſtillicidium*, *fluxus nimius*, *difficultas*, *decoloratio*, *inordinatus fluxus*, *Fluor muliebris*, *Gonorrhœa*.

Vteri imbecillitas eſt ejuſdem in actionibus ſuis

obeundis pigrities vel defectus, intemperiei, occultarum qualitatum, & caloris nativi vitio inducta.

Signa sunt, veneris apperitus languens, inordinatus menstruorum fluxus, instantibus iisdem in lumbis & pectine dolor, parva vel nulla in congressu voluptas, frequentior abortus, flatuum ex utero eruptio. Scilicet Actiones uteri sunt, veneris appetitus, sanguinis menstrui debito tempore excretio, seminis in actu venereo ejectio, & à viro suscepti retentio, fœtus concepti ad debitum tempus detentio, ejusdem jam perfecti in lucem exclusio.

Causarum ratio in Differentiis exponetur.

Curatio ad causas (de quibus ibidem) obvertenda erit.

Differentiæ sumuntur à Causis.

Alia est ab *Intemperie uteri*: quæ si est *Frigida*, uterus nec mediocrem alimenti quantitatem conficere potest, ideò non multa excrementa accumulat: si *Humida*, nec sanguis, nec semen, *nec fœtus rectè* continentur. Curationem vide supra.

Alia est ab *Occultis qualitatibus*, quas uterum habere vel exinde patet, quod singularem cum rebus variis habeat sympathiam & antipathiam, semen virile appetat, suavibus delectetur, &c. & tum, à nulla evidente causa affectus exortus est. nullus humiditatis vel frigiditatis excessus deprehenditur. In *Curatione* medicamenta totâ substantiâ propria applicanda sunt.

Alia à *Calore innato*, *vel suffocato*, *vel dissipato*; & tum affectus est periculosus, quia calor difficulter restauratur. In *Curatione* restaurantibus agendum, qualia sunt, Cinnamomum, Nux moschata, species diaxyloaloës, Aromatici rosati, &c.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Uteri dolore.

D*Olor uteri eſt triſtis ejuſdem ſenſus, à continui ſolutione à cauſis ſuis inducta, procedens.*

Signis opus non eſt, cum ipſa fæmina dolorem patefaciat. Afficit mulieres tam liberas, quàm gravidas & à partu ſolutas. eâ ratione, quâ dolores colici in infimo ventre excruciat, cum ligamenta uteri ad coxas & lumbos ferantur, eò uſque etiam ſe extendit.

Cauſa eſt quicquid continuum ſolvere poteſt.

Curatio reſpicit, I. Doloris mitigationem per Anodyna. II. Cauſæ remotionem, de qua in Differentiis.

Differentiæ ſumuntur à cauſis.

I. Alia eſt, *ab Eroſione*, quæ præcipuè in ulceribus, fluore muliebri, vitioſis menſibus, &c. accidit, & maximè cervicem uteri offendit. *Curatio* ad affectus iſtos dirigenda.

Alia à *Diſtentione*, quam inferunt I. *Grumus ſanguinis* in uteri cavitate hærens, & *tum* ſanguinis fluxus copioſus ex utero proceſſit, dolor fixus eſt, & maximè circa orificium uteri percipitur, cum natura ob aſſiduum expellendi conatum rectum inteſtinum & veſicam in conſenſum trahat, cum tenaſmo & frequenti mictione conjungitur. In *Curatione* reſpiciendum, ad *Diſſolutionem grumi*, ad quam Theriaca cum vino commendatur; & ad *Evacuationem*, quod ſi diutius ibidem hæſit, *ad malignitatem.* II. *Sanguis menſtruus*, quando vel vaſa minus patent, vel ipſe nimis craſſus eſt, quod etiam à frigido potu accidere poteſt, præcipuè ſi femina ab exercitio incaluit. & tum, Cauſæ quæ occaſionem dederunt, anteceſſere, menſium ſuppreſſorum vel non rectè fluentium ſigna adſunt. *Curatio* ad eoſdem dirigenda. III. *Humores vitioſi* in ute-

ri cavitate vel vasis hærentes: & tum Evacuantibus, & Præparantibus agendum. IV. *Flatus*, qui ex effervescentia vitiosorum humorum, quam interdum coitus causatur, oriuntur. & tum Evacuatio instituenda est. Flatus discutientibus, de quibus in Colica agendum. V. *Inflammatio uteri*, de qua suprà. VI. *Semen retentum & corruptum*: & tum, ad suffocationem uteri respiciendum est.

ARTICULUS III.

De Mensium suppressione.

Mensium suppressio est sanguinis menstrui, ob viarum angustiam, vel sanguinis ipsius vitium, retentio.

Signa fæminæ ipsius relatio suppeditat. Quod si fateri nolint. In *virginibus* ex eo *cognoscitur*, quod sanguis suppressus per venas hinc inde vagetur, & obstructiones pariat, colorem corporis mutet, febrim inducat, &c. In *mulieribus*, quod ad uterum feratur, & uterinos morbos inferat. *Distinguitur* à *Retentione in graviditate*, quia gravidæ parum in animi affectibus mutantur, nativum corporis colorem retinent. symptomata indies mitiora sentiunt. motum & situm infantis tertio mense percipiunt. Os uteri occlusum & durum habent.

Causæ sunt Angustia venarum, & sanguinis vitium: de quibus in Differentiis prolixiùs agetur.

Curatio est *festinanda*, quia suppressio ista plurimos morbos, ut febrem, leucophlegmatiam, *hydropem*, sanguinis vomitum, &c. producit. *Difficilis*, si est diuturnior. Sextum si superaverit mensem, plerumque incurabilis putatur, si præsertim ex colli uteri perversione accidat. Tum enim mulier animo linquitur & pituitam vomit, partes ventris & pectinis, Spina dorsi, dolent, ac febris accidit; excrementa

menita alvi & veſicæ ſupprimuntur; laſſitudo totum corpus, ob ſanguinis retenti per totum diffuſionem, occupat; maximè crura & coxas, propter venarum harum partium cum venis uteri conſenſum, detinet. Boni eventus, ſi per alia loca evacuetur, modò id per veſicam non fiat, quia in illa ſanguis maximè grumeſcit. *Reſpicit* I. *Venæſectionem*, Nam ſanguis, qui ſingulis menſibus ſubſiſtit, in corpore cumulatur, & in venis hærens ad uterum revocandus eſt. De ea *nota.* Aperiendam venam in talo, quia ſic & copia ſanguinis imminuitur, & motus eidem ad uterum conciliatur. Si repetenda eſt, una die ſanguinem ex uno crure, poſtridie ex altero detrahendum. Eam quæ evacuandi gratia inſtituitur, in principio aperiri debere; eam quæ in poplite vel talo aperitur, poſt purgationes, diebus tribus, quatuor aut quinque ante tempus conſuetæ evacuationis ſecandam eſſe. Cucurbitulas, quæ venæſectionis vicariæ ſunt, prius locis remotioribus cruribus nimirum, dein propioribus, coxis ſcilicet applicandas eſſe. Huc pertinent ligaturæ, frictiones inſtante menſium tempore, poſt totius corporis evacuationem. II. *Materiæ præparationem*, & huic inſervit in pituitoſis corporibus. *Decoctum ligni Guajaci cum Dictamno Cretico*, abſque ſudoris provocatione. III. *Evacuationem*, quæ per vices inſtituenda, ut per ἐπίκρασιν materia ſenſim evacuetur. Inter *Medicamenta evacuantia* laudantur, *Agaricus*, *Hiera Galeni cum caſtoreo. Aloë cum ſucco ſabinæ.* Pillulæ *ex Aloës ſoccotr. dr.* iii. *Myrrhæ optimæ ſcr.* j. *Extractor. calami aromat. carduibened. croci. ana gr.* iii. *Radic. Gentian. Dictamni ana gr.* v. *cum ſyrupo de baccis lauri formatæ*, & *ſcrup.* j. pondere veſperi ante cænam exhibitæ. IV. *Deobſtructionem*, per illa quæ menſes movent. Præcipua ſunt, *Intra*, Decoctum *Roriſmarini cum floribus cheiri* in vino, *Vinum chalybeatum* Zacuthi

l. 9.

l. 9. c. 10. *Aqua* ejuſdem ibid. Aqua *Pulegii bis diſtillata cum aqua Cinnamomi exhibita.* Extr. *Zedoar. Angelicæ, Caſtorei.* Fæcula *Bryoniæ. Terra quæ in mineris ferri reperitur, eadem quantitate, ordine & formâ, quâ chalybs oblata.* Spiritus *Tartari.* Tabulæ *croci Martis* Hartmanni. Extra unguentum *de chalybe Zacuthi* lib. 3. Hiſtor. p. 52. Pinguedo *Anguillæ. Colubrina*, cum oleo deſtillato ſabinæ. ſuffitus ex *ſcoriis reguli Antimonii*, de quo in Hartmanno. v. *Reliquiarum Diſcuſſionem*, per ſudorifera, nempe hauſtu vel ex *milio ſolis Quercetani* in pharmacop. reſtituta; vel decocto *chalybeato cum ſpiritu Tartari*, Rob *ſambuci*, &c.

Differentiæ à cauſis petuntur.

I. Alia eſt à *Venarum uteri obſtructione*; quam *cauſantur* ſanguis frigidus & craſſus: humores viſcidi & craſſi ſanguini immixti, profecti *vel* ab uteri calida intemperie, quæ humores ſubtiles & acres diſſipat, craſſas & terreſtres partes relinquit: *Vel* ab epatis & lienis conſtitutione frigida: vel ab alimentis ſimilibus, præſertim ſi tempore menſtrui fluxus, quo ſanguinis impetus major eſt, diſſipentur: & tum, inſtante purgationis tempore dolores in lumbis & partibus vicinis percipiuntur, ſi quid effluit, mucoſum, ſubalbidum, & ſubnigricans eſt. totius corporis torpor adeſt, cum colore albo, pulſu raro, & urinis crudis.

Curatio ex ſupra dictis petatur.

Alia à *Compreſſione*, quæ fit vel à *Cauſis externis*, ut aëre aquilonio, morâ in aqua frigida; & tum, Relatio ægri id aperiet. Sanguis ad inferiora frictionibus, vinculis balneis retrahendus eſt. Vel à *Cauſis internis*, nempe, pinguedine, uteri vel vicinarum partium tumoribus; & tum, Tumor convenientibus remediis tollendus eſt. Menſes aperientia locum non habent.

Alia

Alia à *Constipatione*, dum ipsius uteri substantia durior est, quæ fit vel à *primo ortu*, & tum non facilè tollitur. Vel *post ortum*, ab intemperie frigida & sicca: de qua superius.

Alia à *Coalescentia*, quam inducit 1. *Cicatrix* post ulcus relicta. 2. *Caro aut membrana* vasis uteri obnata. 3. *Abortus* frequens, post quem venæ illæ, quibus secundinæ adhærent, ita coalescunt, ut postea aperiri non possint.

II. Alia est à *Sanguinis defectu*, *qui* aut *non generatur* seu propter causas externas, inediam nempe, nimiam evacuationem, fonticulos, &c. seu propter internas, ut frigidam partium principalium constitutionem, ætatem senilem, febres. Aut in *alios usus convertitur*, ut ante pubertatem in augmentum corporis, in gravidis in alimentum fœtus, in lactantibus in lac, in obesis in pinguedinem. Aut *Absumitur*, seu propter causas externas, exercitia nempe, nimios labores, terrores, mœrores, balnea, æstuaria, quæ sudores copiosos provocando, & sanguinem versus ambitum corporis rapiunt, & serosam ejus partem, quæ fluxibilitatem præstat, absumunt: seu propter internas, ut sunt morbi calidi & sicci, evacuationes nimiæ per alias partes factæ, &c.

Alia à *sanguinis siccitate*, quæ fit ab adustione, cum tempore hyberno fæminæ incensos carbones ad frigus arcendum inferiori ventri subdunt: & tum, Refrigerantibus ac humectantibus agendum est.

ARTICULUS IV.

De Mensium stillicidio & difficultate.

M*Ensium stillicidium est sanguinis menstrui, vel plurium dierum, vel continua, guttatim tamen facta eruptio.*

Signis

Signis opus non eſt, cum vitium mulieris relatione patefiat.

Cauſa vel in externis, vel in ſanguine, vel in vaſis conſiſtit.

Curatio rationem Cauſarum ſequitur.

Differentia à Cauſis ſumitur.

Alia eſt à *Cauſis externis*, Exercitio, calidis medicamentis & aliis ſanguinem fundentibus, & vias aperientibus: & tum, major eſt ſanguinis profuſio.

Alia à *Sanguinis fæculentia*, viis non ſatis patentibus; & tum, cum dolore accidit. In Curatione venæ in brachio apertio locum habet. Purgatio per ἐπίκρασιν urgeri debet.

Alia à *Retentricis imbecillitate*, accedente ſimul ſanguinis copiâ, tenuitate, & ſeroſitate: & tum, Nullus dolor urget, Medicamentis adſtrictione & ſiccitate uterum roborantibus agendum.

II. *Menſium difficultas eſt eorundem cum dolore & moleſtia, gravibusque ſymptomatibus, ob venarum vel ſanguinis vitium fluxus.*

Signa ex ipſius ægræ relatione ſumuntur. Dolores illi ſunt, capitis, ventriculi, lumborum, & infimi ventris. Fluxus vel fit confertim, vel tantùm per modum ſtillicidii, & interdum inſtantibus menſibus, interdum fluentibus, ſymptomata accidunt, magisque virgines & ſteriles, quod venæ uteri minus in ipſis pateant, quàm eas quæ peperere, quòd eædem poſt partum ſint dilatatæ, affligunt.

De *Cauſis* in Differentiis agetur.

Curatio reſpicit. I. *Symptomata*, quæ mitiganda ſunt. II. *Cauſas*, quæ tollendæ.

Differentia ſumitur à Cauſis.

Alia eſt à *Venarum anguſtia*: de qua ſatis de Menſium ſuppreſſione actum eſt.

Alia à *ſanguinis vitiis*, id eſt, I. *Craſſitie & fæculentia*: & *tum*, ſanguis dum evacuatur, in grumos con-

concrescit, dolores longè ante evacuationem, ob expultricis conatum ingravescunt. *Curatio*, præmissis universalibus, per Attenuantia, & fundendi vim habentia perficitur. II. *Acrimonia, ab humorum acrium permistione profecta*; & *tum*, partes genitales pruriunt, sanguinis excreti natura, & modus doloris morbum prodit. Acrimoniam temperantibus, ut sunt semina quatuor majora, violæ, flor. nenupharis, agendum. III. *Flatulentia*; & *tum*, dolor per intervalla redit, subitóque exacerbatur, hinc inde vagatur, excreto flatu cessat. *Curatur* Evacuatione materiæ, & Discussione flatuum.

ARTICULUS V.

De Mensium decoloratione.

M*Ensium decoloratio est eorundem cum rubea esse deberent, ad pallorem, albedinem, viriditatem, flavedinem, vel livorem, vitio sanguinis, declinatio.*

Signa sanguinis ipsius aspectus suppeditat. Accedit fœtor, inordinata excretio, sæpe & febres erroneæ, acutæ, horror, cibi fastidium, stomachi dolor, & cætera: de quibus apud Hippocratem.

Causa in sanguinis vitium conjicitur: de quo, ut & de ejus causis, videatur in Differentiis.

Curatio attendit Causas, ideo pro ratione illarum variat.

Dividitur dupliciter.

I. Alia est, *quando sanguis vitium contrahit*, vel propter totius corporis, vel propter præcipuæ alicujus partis, intemperiem; quarum ratio in curatione habenda est.

Alia, *quando sanguis laborat*, vel quia suppressus & retentus est; & *tum* Mensium suppressio præcessit, dolores in pectore & pulsationes fortes sentiuntur.

tur. si melior habitus est, menses erumpunt, & profluit sanguis & pus graveolens ad octavum aut nonum diem: *Vel* quia ab utero excrementis scatente inquinatur; & tum, uteri inquinati signa adsunt.

Alia, *quando sanguis à permistione excrementitiorum humorum inquinatur*; & *tum*, Curationem si spectes, Præparandum est. sed ita, ut cùm humores crassi attenuatione indigeant, & verò nimis attenuantia humores serosos colliquent, & ad uterum moveant, validioribus abstineamus, & Acetum caveamus. Evacuandum, &c.

II. Alia est, *quando menses declinant ad Albedinem*, quæ *Oritur* vel *à pituita*, cujus ut ut ventriculi imbecillis signa adsunt: vel *à Pure*, & *tum, Aut* ulcera in utero excitantur, & sterilitas insequitur; *Aut* menses per septem aut octo dies effluunt, & mulier liberatur. *Aut* iidem ad partes supra inguen prorumpunt citra tumorem, & juxta hypochondria foras prodeunt, & mulier rarò superstes manet. *Aut* post dies aliquot tumor super inguen magnus, rubeus, sine capite, quia ibi caro impletur, exsurgit & difficulter secatur.

Alia, *quando ad flavedinem vel viriditatem*, quæ à bile procedit.

Alia, *quando ad Livorem*, quæ à melancholia oritur.

ARTICULUS VI.

De Mensium inordinato fluxu.

M*Ensium inordinatus fluxus duo includit, Mensium nempe ante debitum tempus anticipationem*; & *Eorundem ultra consuetum tempus subsistentiam.*

Anticipatio mensium pro ratione Causarum dividitur.

Alia

Alia eſt à *Cauſis externis*, Caſu nempe, ictu, & aliis venas aperientibus. Curationem vide inferius.

Alia ab *Expultrice uteri irritata.* I. A *ſanguinis copia*, quæ *cognoſcitur* ex eo, quod ſanguis à toto corpore ad uterum mittatur, fluidus & naturalis ſit. ſigna plethoræ adſint. *Curatur* venæſectione, ſi copia eſt major. Diæta, & frequentiore exercitio, ſi minor. II. A *ſanguinis tenuitate & acrimonia*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod temperies totius corporis ſit calidior. Victus ratio talem generans ſanguinem antecesſerit, ſanguis ipſe ſit dilutior, decolor, flavidior. *Curatur* Evacuantibus Rhabarbaro inprimis. Temperantibus: de quibus ſupra.

Alia à *Retentrice uteri languida*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod vaſa uteri ſint laxa, habitus corporis etiam laxus & humidus. Curatio prohibet nimis adſtringentia. Acidulæ & thermæ vim ferri habentes laudantur.

II. *Menſium ultra conſuetum tempus ſubſiſtentia pro ratione quoque Cauſarum diſpeſcitur.*

Alia eſt, quæ *ab Expultricis fruſtratione procedit*, quam infert I. *Sanguinis paucitas*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod fæmina nullam moleſtiam ob protractionem menſium percipiat, & quod nimium exercitium, aut victus tenuior antecesſerit. II. *Sanguinis craſſities*, quæ ex eo *cognoſcitur*. quod Cacochymiæ ſigna adſint, ſanguis albidior ſit & viſcidus. In *Curatione*, Purgandum antequam multum ſanguinis colligatur. Attenuandum menſtrua purgatione finita. *Calamintha* palmam obtinet & *Mercurialis.* Aliquot ante menſtruam purgationem diebus aperiendum. Scarificatio talorum hic locum habet.

Alia, *quæ ab Expultricis imbecillitate* oritur, quam inducit. I. *Vteri Intemperies frigida*; de qua ſuperiùs. II. *Ejuſdem ſtupor*, qui ex eo *cognoſcitur*, quod morbi ſtuporem inducentes adſint, vel nimius re-

frigerantium usus præcesserit, post debitum purgationis tempus, sanguinis etiam præsente copiâ, nulla gravitas à fæmina percipiatur. In Curatione ad Morbum & illius causas respiciatur.

ARTICULUS VII.

De nimio Mensium fluxu.

N*Imius mensium fluxus est eorundem vel copiosior vel diuturnior quàm competit purgatio, vel sanguinis, vel uteri, vel venarum vitio exorta.*

Signa multis opus non est, si præsertim sequatur inappetentia, cruditas, fœdus faciei color, pedum ac reliqui corporis tumor, atrophia, cachexia & cætera.

Causam in sanguinem, uterum, vel venas conjecimus: unde verò horum sint vitia, in Differentiis exponetur.

Curatio est *Difficilis*, si diuturnior. *Nulla*, si senescenti mulieri accidit. *Exposcit* 1. *Cohibitionem*, per Revulsionem, Interceptionem, sanguinis incrassationem, vasorum per adstringentia & alia occlusionem. Sistendum tamen pedetentim; si magna sanguinis copia adsit, & per modum crisis accidat, quod tamen rarò evenit. Hic locum habent, Pulvis *Heurnii ex semine hyosciami albi, papaveris albi ana dr.*j. *Hæmatitid. Coralli rub. ana dr.*ʃ. *Caphuræ scr.*ʃ. *pondere dr.*ʃ. *exhibitus.* Pulvis ex *succini, sanguin. Dracon. lapid. hæmatit. Corallor. rubr. semin. portul. ana dr.* j. *Balaustior. scr.* ii. *Boli Armeni Orient. dr.* ii. *à dr.* j. *in Aquæ plantag. unc.* iij. *exhibitus*, Lac *asininum chalybeatum.* Aqua *mirabilis* Ferdinandi Histor. 33. Trochisci *de Carabe*, *ossa hominis fortiter calcinata*, Pillulæ *Zacuthi l.* 9. Praxis *Histor. p.* 185. Emplastrum *Zacuthi* ibid. Saxoniæ ex *fuligin. Camini, farinæ volat.* &c. paratum. Pessus ex

stercore

ſtercore ſuillo & aſinino cum ſucco plantagin. & mucilag. ſemin. cydoniorum formatus. Specifica ſunt, *Intra*, Pulvis *Turturis Foreſti* l. 28. obſ. 10. Sal *ex ejuſdem cineribus*, *Cuticula pedum anſerinor. exſiccata, & à dr. ſ. ad ſcr.* ij. *exhibita. Extra*, *Cingulum ex foliis helleboraſtri contuſis*: de quibus *Renealmus* obſerv. 21.

Differentiæ ſunt variæ, quæ Cauſas maximè reſpiciunt.

I. Alius eſt à *ſanguine*, qui 1. Vel ex *fundo uteri derivatur*, in quo ſanguis nigrior eſt, & plerumque grumoſus. Vel ex cervice, qui eſt rubicundior & fluidior. II. Vel eſt *copioſus*, vel *Acris*, vel *Seroſus*: de quo ſequente differentia.

Alius ab *Vteri humiditate*, de qua ſuperius vide.

Alius à *Venarum vitio*, de quo tertiam differentiam conſule.

II. Alius eſt à *Sanguine copioſo*, qui ex eo *cognoſcitur*, quod vaſa vel aperiantur, vel rumpantur, in fœminis præſertim, quibus menſes diu ſubſtiterunt, & pòſt copioſiùs erumpunt. ſigna plethoræ adſunt. ſanguis qui exit, facilè in grumos concreſcit. In *Curatione* reſpiciendum 1. ad *Venæſectionem*, quæ ſi evacuationis gratia inſtituitur, venam in cubito, hepaticam inprimis concernit. ſi vires ſint debiliores, in ſalvatella utriuſque manus inſtituitur. ſi revulſionis gratiâ fit, quia repetita potentius revellit, partienda eſt. 2. Ad *Cucurbitulas*, quæ ad evacuationem, cuivis parti, ut dorſo, ſcapulis, inferiores ſi exceperis, & quidem cum ſcarificatione applicari poſſunt, ad revulſionem mammis ſine ſcarificatione imponi debent, & difficultate reſpirationis oborta, removeri. 3. Ad *ligaturas*, *frictiones brachiorum*, &c.

Alius à *ſanguine acri*, qui ex eo *cognoſcitur*, quod eroſio vaſorum conjungatur, bilis ſigna adſint. ſan-

guis in utero detentus & corruptus sit. majore copiâ elabatur. In *Curatione*, Purgatio per syrupum rosarum solutivum, & folia sennæ administretur. Incrassantia videantur supra.

Alius à *sanguine seroso & aquoso*, quod ex eo *cognoscitur*, quod vel epar imbecillitate peccet, vel renes ob debilitatem serum non attrahant. sanguis minore copia effluat, nec facilè in grumos mutetur. qui effluxit, si linteo excipiatur, & in umbra siccetur, colore se prodat. *Curatio* morbos ipsos attendit.

III. Alius est *ab Anastomosi*, in cujus curatione observa. Frigidis calida admisceri debere, ne venæ obstruantur, ventilatio caloris prohibeatur, & febris inducatur. Pessos si apertio est in vasis cervicis adhiberi posse, ubi folia quercus & unguentum comitissæ valent. Balnea nonnisi frigidiora, aut in quibus vis adstringendi caliditatem vincat, usurpanda esse.

Alius à *Diapedesi*, quæ rarissimè accidit, statim Topica adstringentia reposcit.

Alius, à *Ruptione*, quæ vel à plethora, vel à caussis sanguinem agitantibus, partu præsertim laborioso accidit, & præmissâ, si opus, venæ sectione, conglutinantibus Medicamentis, curatur.

Alius ab *Erosione*, quæ exinde *cognoscitur*, quod sanguis parcus, purulentus interdum, interdum serosus fluat. *Oritur* à sanguine acriore & corrupto, interdum & à medicamentis acrioribus. Inter *adstringentia* laudatur *radix filipendulæ*, *vel ejus decoctum*.

ARTICULUS VIII.

De Fluore muliebri & Gonorrhœa.

F*Luor muliebris, qui alborum menstruorum nomine alias exprimitur, est humoris excrementi-*

tii

tii totâ naturâ à sanguine alieni vitio vel totius vel partis alicujus collecti, inordinata ex utero excretio.

Muliebris dicitur, quia mulieres afficit, & quidem virgines etiam, cum in illis causæ locum habeant, & exempla adsint. *Adultiores* tamen frequentiùs, si præsertim humida & frigida constitutione præditæ sint, delicatam & otiosam vitam agant, & alimentis frigidis ac humidis vescantur: *senes* denique, & quidem ad mortem, ob pituitæ copiam, & facultatis coctricis debilitatem.

Signa non est quod inquirantur. Ex ipsius ægræ relatione affectus innotescit. *Differt* à *Gonorrhœa*, quod in ista materia seminalis albidior, crassior, & longioribus intervallis effluit, & in minore quantitate excernitur. A *Pollutione* nocturna, quia hæc cum imaginatione rei venereæ conjungitur, & per somnum saltem accidit. A *Mensibus decoloribus*, quia isti periodum suam etsi non exactè semper, observant. gravidis, & mensium suppressione vexatis non accidunt. rubrum colorem in se exhibent. A *Pure ex ulceribus uteri*, quia tum signa ulceris prostant. pus ipsum crassius & albidius est. si saniosum est, cruore perfunditur, & cum dolore excernitur.

Causam in Humorem excrementitium conjeci, qui interdum à medicamentis catharticis, excitata eorum usu ad moliendas excretiones naturâ, interdum à Thermis, eadem excrementa quæ per sudorem depelli non poterant, per hanc viam deponente, concitatur.

Curatio est *festinanda*, nam fæminas plerumque steriles reddit, nisi fortè per vasa cervicis uteri evacuetur. easdem in atrophiam, tabem, melancholiam, hydropem, uteri prolapsum, animi deliquia & convulsiones conjicit. Hinc quamvis in principio haud difficulter curetur: tamen post difficilius.

Nam totum corpus per illam viam excrementa deponere assuescit; & uterus debilior redditus excrementa colligit. Variat pro ratione causarum.

Differentiæ à parte mandante, & sanguinis colore sumuntur.

I. Alius est à *Toto*, qui ex eo *cognoscitur*, quod cacochymiæ in toto corpore signa adsunt. fluxus est copiosior. In *Curatione*, 1. Fugienda *venæsectio*, tum quia humores ad inquinamentum sanguinis in venas revocari non debent; tum quia vires affectu hoc diuturno dejiciuntur, & corpus contabescit. 2. *Discussio* optimè per decocta *Guajaci & Chinæ*, *ligni lentiscini*, &c. perficitur. 3. Ad exsiccationem *radix filipendulæ* plurimum commendatur. Stringunt, *pulvis ossium humanorum, cinis stercoris caponum in aqua pluviali*. Emplastrum *Zacuthi lib.* 9. *c.* 11. *Praxis Historiar.* quod renibus apponi debet. 4. Somnus supinus fugiendus est, ne calore lumborum humores versus uterum ferantur. 5. *Frictiones* partium superiorum ad aversionem sunt utiles.

Alius est à *parte aliqua præter uterum*: & *tum* signa affectæ partis adsunt. In Curatione ratio ipsius est habenda.

II. Alius *ab Vtero*, qui ex eo *cognoscitur*, quod signa uteri affecti adsint; fluxus sit minus copiosus. *Oritur* ab intemperie ipsius, cujus in curatione ratio habenda erit. *Suffumigationes* è *thure*, *ladano*, *mastiche*, *santalis bene* adhibentur. A quacunque verò causa oriatur, *Thermæ* maximè prosunt.

De *Gonorrhœa* si quæ sciri debent, ex iis quæ de Gonorrhœa virili dicta sunt, petantur.

CAPUT II.

De Symptomatibus Extra conjugium viventibus magis familiaribus.

ARTICULUS I.

De Morbo virgineo.

SYmptomata viventibus extra conjugium magis familiaria ſunt, *Morbus virgineus*, *Suffocatio uteri*, *Furor uterinus*, *&* *Melancholia mulierum.*

Morbus virgineus (alias febris alba, virginea, pallida, amatoria) eſt coloris naturalis in facie in vireſcentem & pallidum mutatio, ab humorum crudorum copia proveniens.

Virgineus dicitur, quia virginibus maximè competit, & quidem pulchrioribus, colore albo præditis, inde facilior à crudis humoribus tinctura.

Signa facies ipſa ſuppeditabit, cui adde ſymptomata alia, ut eſt, Dolor capitis, interdum inſania, humoribus & vaporibus eò delatis, & melancholiæ permiſtis. Reſpirationis difficultas cum cordis palpitatione, ſi moveantur, arteriarum parvo ac frequenti in collo, dorſo, ac temporibus pulſu, ob vaporum ex ſanguinis craſſi incaleſcentia ſublationem. Febres inordinatæ & erraticæ, ob humorem putredinem. Ventriculi multiplices affectus; inter quos, faſtidium ciborum, ob minus felicem chyli diſtributionem. pica, ob pravi humoris in ventriculi tunicis abundantiam. vomitus, ob maximam crudi humoris copiam. Hypochondriorum tum tenſio, ob ſanguinis menſtrui ad majora vaſa refluxum; tum rugitus, ob flatuum tumultuationem. intumeſcentia, tam corporis totius cum laxitate & mollitie ob humoris copiam; quàm vel palpebrarum præcipuè manè poſt ſomnum, cum per noctem calor plus vapo-

rum ac feroforum humorum elevaverit, quam difcuti potuerit; vel crurum & pedum præcipuè circa malleolos ob humorum feroforum abundantiam.

Caufa eft Humorum cruditas & copia, orta vel à menfium fuppreffione, feu propter nativam vaforum anguftiam; feu propter acquifitam, ab efu tritici, calcis, cretæ, terræ, nucis mofchatæ, potatione aceti, &c. vel à vifcerum aliorum obftructione. Nam fanguis menftruus viis non patentibus, ad venas majores & vifcera regurgitat, vafa obftruit, & calorem obruit. Hinc mala in vifceribus coctio exoritur, & humores ad habitum corporis deferuntur.

Curatio abfolvitur I. *Venæfectione*, præcipuè in talo, fi malum recens eft, nec fanguis in alium humorem abiit. fi à vacuatione fanguinis fuppreffa oritur. II. *Purgatione*, præmiffis præparantibus. III. *Deobftructione*, in qua omnium vifcerum habenda eft ratio. Menfium fuppreffio maximè attendenda. Laudantur *Chalybs præparatus*, *Radix fcorzoneræ*, *Lapis Bezoar*, *Oleum Cryftallorum*, &c. In Diæta acetum fugiendum eft.

ARTICULUS II.
De fuffocatione Uteri.

S*Vffocatio uterina eft fymptomatum nunc actiones naturales, nunc animales, nunc & fæpius vitales, per periodos oppugnantium congeries, cum refrigeratione totius corporis conjuncta, à vapore maligno ex utero elevato poocedens.*

Vocatur & *Suffocatio mulierum*, *ftrangulatus ab Vtero*, *Hyfterica paffio*, &c.

Signa funt vel *Imminentis*, Totius corporis laffitudo, cum crurum imbecillitate, pallor faciei cum afpectu trifti. naufea cui rarò fuccedit vomitio, fæpe tædium quoddam & cibi faftidium, idque interdum

cum

cum murmure,& ventris rugitu, interdum citra hæc. vel *Præsentis*, in qua vapore ad cor ſublato & ſpiritus vitales inhibente, levis animi defectio inducitur; pulſus paululum immutatur, corpus ſpiritibus ad cor recurrentibus frigeſcit, metus & deſperatio ægrum concutit: Eodem ad caput & fauces detruſo, interdum fauces conſtringuntur, & ægra ſuffocari videtur. motus thoracis & diaphragmatis inhibitis ſpiritibus animalibus impeditur, & reſpiratio ferè intercipitur, viventibus interim per tranſpirationem ægris. interdum furor uterinus cum garrulitate & iracundia accedit, nonnunquam alia deſipientiæ genera oboriuntur. interdum ſopor ac veternus inducitur, quo mulier corruens velut attonita, jacet ſine motu, ſine ſenſu, reſpiratione tam parvâ, aut mortua credatur. Vel *in paroxyſmo declinantis*; & tum, humor quidam è locis muliebribus effluit, inteſtina obmurmurant. mox oculi attolluntur, malæ rubeſcunt, ſenſus & motus redit. Interdum frigus tum temporis è capite per cervicem in ſcapulam & brachium illabitur, quod difficilem motum reddit, ſed mox diſcutitur. Non tamen omnia iſta ſigna in omnibus accidunt. Fuere quæ continuo riſu, vapore in membranas thoracis ſeſe inſinuante vexabantur; fuere, in quibus ſerpentum ſibili, crocitatus corvorum, &c. pro viarum & ſpiritus erumpentis proportione effingi videbantur. *Differt* ab *Epilepſia*, quod in iſta motus convulſivi ſunt univerſaliores, nulla poſt paroxyſmum illorum, quæ circa ipſos accidere memoria. pulſus eſt major quàm antea, ſpuma circa os fluitat. Ab *Apoplexia*, quod in iſta invaſio ſit ſubitanea ſine aliquâ ſignificatione, ſingularis in reſpirando ſtertor affligat; tanta ſit partium reſolutio, ut etiamſi pungantur, tamen non ſentiant. A *Syncope*, quod in iſta nulla futuræ acceſſionis ſint præſagia, pulſus ad ſenſum ceſſet, ſudores fri-

gidi affligant. brevi evanescat, cum hystericus affectus ad unum & alterum diem interdum perseveret. A *Mortuis* discernuntur sternutatione per sternutatoria excitata, & aliis mediis.

Causa est vapor malignus, tenuis, & spirituosus, uno momento totum corpus penetrans, & materia in utero peculiari modo corrupta, & sive per se, sive per externa, ut sunt res odoratæ, terror, ira, agitata, elatus, & sursum non solum per venas & arterias, sed & per occulta spiracula adscendens. Quænam verò illa sit, in Differentiis dicetur.

Curatio est *Dubiæ interdum spei*, si vetulas diutius affligat, quia virium imbecillitatem infert, & humorum copiam indicat. si in puerperas incidat, partu laborioso, vel abortu antegresso. si prægnantes adoriatur, quia metum abortus incutit. *Melioris*, si respiratio nimium non lædatur. si paroxysmi non sæpe redeant. *Respicit* 1. *Tempus paroxysmi*, ubi ratio habenda 1. *Interceptionis*, per ventris circa umbilicum cingulo ex corio cervi in ipso coitu cum cervâ necati confecto, ligaturam. 2. *Excitationis* per ligaturas & frictiones dolorificas, pilorum in pudendis præsertim vellicationem, suffumigia ex *pennis perdicum*, *callis equorum*, *corio anguillæ*, *facta*. *Asæ fœtidæ*, *olei Tartari*, &c. ad nares applicationem. 3. *Revulsionis* per partium inferiorum ligaturas & frictiones, clysteres flatus discutientes, cucurbitulas sine scarificatione, cum multa flamma, primò suris & femoribus mox inguinibus appositas, suaveolentia pudendis intrusa, ut sunt ol. *Zibethi scr. ß. cum ol. nucis moschatæ express. scr.* j. 4. *Discussionis* & quidem *Internè*, per oleum *succini albi* cum pulvere flor. nuc. jugland. castorei extractum, extractum *lichenum*, *specificum diajovis Mynsichti*, Theriacam *mulierum* ejusdem, Essentiam *granorum chamæactes* Hart. in aquis pulegii, Theriacali, & aliis appropriatis.

Exter-

Externè per olei *Iovis*, ſalis *ejuſdem à Crollio deſcripti* in umbilicum immiſſionem, Emplaſtrorum ex *adipe vaccæ nigræ herbis matricariis paſtæ*, *ſclarea in butyro cocta*, addito *gummi Tacamachacæ & Carannæ*, factorum, &c. 11. *Tempus extra paroxyſmum*, in quo 1. *Evacuandum*, per Extractum *Bryoniæ Grulingii*, de quo in Curationibus, per flores *vitrioli Veneris & Martis* Agricolæ. 2. *Vterus per interna & externa malignitati etiam reſiſtentia roborandus*. Laudatur fæcula *Bryoniæ*, *Caſtoreum*, &c. 3. *Diæta*, in qua odorata, & dulcia, quæ uterum commovere ſolent, fugienda. Ad *præſervationem* vide *pillulas Hyſtericas Zacuthi Prax. Hiſtor.* l. 9. c. 12.

Differentia à Cauſis ſumitur.

Alia eſt à *Semine*, partium vel humorum admiſtorum vitio corrupto, & talem vaporem emittente, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod menſes ſe rectè in ægra habeant. Symptomata omnia ſint vehementiora, paroxyſmo declinante, humor ſemini ſimilis è locis effluat. *Curatur* univerſalibus præmiſſis, ſeminis per clyſteres & peſſos uterinos evacuatione. Ejuſdem per medicamenta ſemen minuentia, vel victum tenuem prohibitione.

Alia à *ſanguine menſtruo ſubſiſtente*, & ideo corrupto: quæ ex eo *Cognoſcitur*, quod menſtruus ſanguis cum vitioſis humoribus, melancholico inprimis, conjungatur. Symptomata ſint mitiora. ſigna ſuppreſſionis adſint. *Curatio* ad menſium ſuppreſſionem obvertenda eſt.

Alia *ab Humoribus vitioſis*, de quibus conſule caput de Intemperie uteri.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Furore uterino, & Melancholia mulierum.

F*Vror uterinus est immoderata Veneris appetitio, fæminas ad insaniam ferè redigens, à seminis copiâ, acrimoniâ, & peculiari qualitate exorta.*

Subjectum hujus affectus sunt, vel virgines ἄσαρκοι, nigræ, & sanguinem adustum habentes: vel viduæ juniores & ætate florentes: vel nuptæ, propter impotentiam viri steriles.

Signa sunt varia. Nonnullæ in tristitia & taciturnitate appetitum prementes contabescunt. Aliæ victâ ratione garriunt, lasciviunt, in iram, risum, fletum, sermones lascivos & venereos solvuntur: quædam se viris sponte prostituunt.

Causa est seminis copia, caliditas, & acrimonia, quæ *oritur* si causas internas spectes, *ab uteri caliditate*, testium præsertim & vasorum spermaticorum intemperie. Hinc multæ inflammatione uteri, & pruritu laborant, quæ furore hoc non afficiuntur: si *Externas*, à diæta copiam sanguinis & acrimoniam generante, haustu vini Hippocratici, in quo aliquid *borracis* &c. fuit.

Curatio absolvitur I. *Venæsectione*, si sanguis abundet. II. *Purgatione*, si humores calidi & adusti permisceantur. III. *Alteratione* per Refrigerantia, ut sunt, *Lactuca*, *Portulaca*, *Nymphæa*, *Vmbilicus veneris*. Occulta qualitate agentia, ut sunt, *Vitex*, *Ruta*, *Cannabis*, *Camphora*, *Cicuta*, quæ in monialibus potiùs usurpanda.

Melancholia mulierum est delirium cum tristitia, anxietate, fletu, vel risu per intervalla, sine febre invadens, à vapore melancholico, spiritus animales obfuscante, exortum.

Signa

Signa ſunt varia. Fæminæ ſunt triſtes, de anxietate cordis conqueruntur, nec tamen illius cauſam exprimere poſſunt. Arteriæ circa lienem & dorſum ſolito vehementius pulſant. Dolor ſiniſtri lateris è regione cordis, mammam ſiniſtram aliquando prehendens, vaporibus ex arteriis intercoſtalibus, in ea loca effuſis, & membranas thoracis vellicantibus ac diſtendentibus affligit. faucium ſiccitas cum ſtrangulatione interdum moleſta eſt. Per intervalla verò hæc ſymptomata afficiunt, quia vapor diſſipatur, & agitatio ſanguinis in arteriis quieſcit.

Curatio reſpicit I. *Venæſectionem*, quæ *Instituenda* in principio, ſanguine calidiore urgente; Admittenda ſæpius in cubito, ſi menſes ſuppreſſi non ſunt; in talo diebus aliquot ante fluxum, ſi ſecus. *Vrgenda* parciùs, ſi malum ſit in progreſſu. II. *Præparationem* per illa, quæ humorem melancholicum alterant, & cor exhilarant; ut ſunt *Confectio de hyacintho & Alkermes*. III. *Evacuationem* per melanogoga, quibus utero appropriata ſemper admiſcenda,

CAPUT III.

De ſymptomatibus conjugatis propriis.

ARTICULUS I.

De ſymptomatibus circa Conceptionem.

PUNCTUM I.

De Sterilitate.

SYmptomata *Conjugatis* propria, reſpiciunt *Conceptionem, Graviditatem, & Partum*. Symptomata circa Conceptionem occurrentia ſunt *Sterilitas* & *Mola*.

Sterilitas eſt concipiendi, vitio ſeu genitalium, ſeu ſeminis,

ſeminis, ſeu uteri, ſeu ſanguinis menſtrui, proveniens impotentia.

Signis opus non eſt. *Cauſæ* & *Curatio* pro ratione Differentiarum variant.

Differentiæ à Cauſis & Partibus ſumuntur.

I. Alia eſt *vitio genitalium partium*, ſeu illud ſit *Clauſura* uteri ab ortu, quæ findi artificioſe poteſt; ſeu *tenella* vel ob ætatem vel ſtructuram *conſtitutio*, ob quam virile membrum non admittitur: ſeu tumores, ulcera, & excreſcentiæ in cervice; ad quæ curatio obvertenda eſt. Et hæc ſterilitas non eſt propriè dicta ſterilitas.

Alia *vitio ſeminis*, de qua ſequente Differentiâ agetur.

Alia *vitio Vteri*, de qua tertia Differentia agemus.

Alio *vitio ſanguinis* menſtrui, quando *vel* deeſt; quod accidit, vel utero cicatrice obducto, vel ſanguine in pinguedinem abeunte: *vel* copioſus eſt, ut ſemen obruatur & ſuffocetur.

II. Alia eſt à *Defectu & Infecunditate ſeminis*, quæ oritur 1. Propter *ætatem teneram*, vel nimis adultam. 2. Propter *vaſorum* ſemini generando & continendo dicatorum *intemperiem*; & *tum*, Mulier in congreſſu vel nullam, vel paucam & brevem voluptatem percipit. affecti uteri ſigna adſunt, vel totum corpus, vel membrum aliquod vitioſa conſtitutione laborat. *Curatio* ad intemperiem uteri obvertenda eſt. 3. Propter eorundem *vaſorum malam conformationem.*

Alia à *defectu proportionis inter ſemen virile & fœmininum*, qui inter manifeſtas & occultas qualitates conſiſtit; maximè autem oritur 1. A *medicamentis* ſemen extinguentibus, ut ſunt, vulva capræ, mentha, ruta, camphora, quæ vel ægra, vel adſtantes patefacient. 2. Ab *Incantationibus*: & *tum*, Vir cum ſuâ coire non poteſt, cum aliis poteſt, appeti-

tum

tum cum ſua congrediendi habet ; & ſi cum uxore coit , ſemen emittere non poteſt. In *Curatione* laudatur hauſtus aquæ frigidæ ex ore equi maſculi non caſtrati in præterfluente potantis elapſæ , & ſubito vaſculo collectæ.

III. Alia eſt, *quando uterus ſemen injectum non attrahit* , idque vel propter *intemperiem frigidam* & humidam , de qua ſuperius. Vel propter *morbos aliquos organicos* , *& unitatis ſoluta.* Ubi nota , ſæpiſſimè nimiam pinguedinem, omenti præſertim, os uteri comprimere. Sterilitatem ex ulceribus difficulter curari ; imò etiam ſi ulcus magnum curetur, eandem tamen propter cicatricem relictam , ob quam, nec ſanguis utero adhæreſcere, nec ſanguis affluere poteſt , manere.

Alia eſt , quando *uterus ſemen injectum non retinet* , idque 1. vel ob *intemperiem humidam* ; quæ ex eo *cognoſcitur* , quod uteri fibræ laxentur , ut non poſſit ſeſe contrahere. ſemen propter mucores illos eidem adhæreſcere non poteſt. idem per aliquot dies retentum ejicitur. *Curatio* ad intemperiem obvertenda eſt. 2. Vel ob *denſitatem uteri.* Nam tum ſanguis , à quo ſemen utero adnaſci & incrementum ſumere debet , non allabitur. *Curatio* requirit Extenuationem per victum tenuem , exercitium, purgationes, ſudores, & alia. 3. Vel ob ipſius *lubricitatem*; & tum, fluor muliebris vel virulenta gonorrhœa accidit. ſemen conceptum extinguitur & rapitur. Curatio ex ſuis locis petenda eſt. 4. Vel ob *ipſius orificii hiatum*; & tum, aut difficilis partus, aut abortus præceſſit. fibræ ita laxantur , ut ſe non contrahant. In Curatione inter adſtringentia fotus ex foliis lentiſci, myrti, &c. locum habent. 5. Vel ob *tuſſim*, *ſternutationem* , quæ poſt congreſſum accidit, &c. quibus ſemen excutitur.

Alia eſt , *quando uterus ſemen injectum non alte-*

rat ,

rat, idque vel ob *intemperiem*, ubi uteri ex immodicâ frigiditate denſiores evadunt, anguſta ſunt admodum & ſtricta vaſorum ad ea pertinentium orificia, unde nec ſecundæ agglutinari ad vaſorum ora poſſunt: nec in ſufficienti copia ſanguis, qui etiam eſt ſeroſus affluit. Vel ob *morbos organicos*, ut tumores, ulcera, &c.

PUNCTUM II.

De Mola.

Mola eſt maſſa ſine oſſibus & viſceribus ex imperfectâ conceptione, ſeminis tum maſculini tum fœminini vitio, loco fœtus genita.

Signa ante quartum menſem non ſunt tam exacta, ut certò cognoſci poſſit: temporis progreſſu, quatuor indiciis detegitur. 1. *Motu*. Nam is tremulus eſt & palpitans, conſtrictionis & dilatationis æmulus, decumbitque inſtar lapidis cum inſigni ponderis ſenſu. in latus, in quod fæmina obvertitur. 2. *Figura & mole uteri*. Nam in ea venter in omnem dimenſionem attollitur, cum in vero fœtu, præcipuè verſus umbilicum attollatur, & verſus latera molliter utrinque coarctetur. 3. *Lactis defectu*. Nam in mola mammæ intumeſcunt quidem, ſed in iis cruda quædam tantummodo materia, ex ſuppreſſis menſtruis ad mammas tendentibus, ſucceſſu temporis evaneſcens gignitur, cum in gravidis lac circa quartum menſem generari incipiat. 4. *Symptomatibus*, quæ varia, ut ſunt Difficilis reſpiratio, dolores dorſi & inguinum, &c.

Cauſa eſt vitium ſeminis, tum maſculini & fæminini junctim, cum facultas formatrix eſt debilis, vel per ſe, vel quod à ſanguine obruatur. Unde molæ fieri ſolent, ſi concubitus ſit imminentibus vel fluentibus, vel nondum planè ceſſantibus menſtruis: tum fæminini ſeparatim, cum ſanguine juncti; & tum,

molæ

molæ planè rudes, & quæ aëri diutius expoſitæ, in aqueam liquefactæ ſolvuntur ſubſtantiam. In virginibus tale quid accedere non poteſt, tùm quia ſemen ipſarum debile, ſanguinem ad conformationem neceſſarium non attrahet; tum quia ipſe ſanguis partim propter inſuetudinem, & vaſa uteri in virginibus anguſtiora, ſponte non affluit. In *Curatione* palmam obtinet I. *Venæſectio*, ut molæ nutrimentum abſtrahatur, & quidem largior, ſi mulier eſt plethorica; parcior ſi non item, in talo vel poplite. II. *Purgatio* valida ac repetita. III. *Menſium apertio.* IV. *Chirurgia*, de qua vide Authores. *Præcautio* repoſcit, I. Ne coitus nimis frequens ſit, præſertim in corporibus non ſatis robuſtis, propter debilis ſeminis generationem. II. Ne inſtantibus, fluentibusve menſibus, aut utero intemperie laborante accidat.

Differentias in obſervationibus medicis vide. Maſſa enim hæc non tantùm eſt ſine oſſibus & viſceribus: ſed interdum membranoſa eſt magis, viſcida, tenax, nec ferro cedens: interdum formam longam, rhomboidem, &c. refert: interdum omni vitâ deſtituitur, interdum plantæ vitam vivit: interdum ſine fœtu, cum fœtu, poſt fœtum, excluditur, & excluſionem dyſenteria nonnunquam præcedit.

ARTICULUS II.

De ſymptomatibus Gravidarum.

S*ymptomata gravidarum* in triplici ſunt Differentia.

Alia *primis geſtationis temporibus* accidunt, & ſunt, I. *Spaſmus* ſuras inprimis infeſtans, qui inunctione olei laurini ad ignem, injectis poſt calidis faſciis, tollitur. II. *Sciaticus dolor*, quem oleum terebinth. venetum inunctum, pellit. III. *Cibi faſtidium*, quod à ſuppreſſione menſium, meliore ſanguinis

parte fœtui cedente, pejore in venis manente, unde ex agitatione vapores ad ventriculi os,cum humoribus mittuntur, qualitas vitiosa ipsi imprimitur, oritur; & quod sponte grandiore facto fœtu, cessat. III. *Pica* seu absurdorum ciborum appetitus, cui tollendo, aqua mense Majo è foliis vitis destillata, inservit. V. *Nausea* & *vomitus*, qui si facilis, sistendus non est: si difficilis, periculo non vacat. VI. *Tormina & dolores ventris*, qui à flatibus ex humoribus circa uterum excitantur, & interdum in lipothymias mulieres conjiciunt. VII. *Alvi fluxus*, cui tempestivè occurrendum, ne abortus sequatur, VIII. *Dolor dentium* à parte humoris acrioris eò delati. IX. *Dolor capitis*, & *vertigo*, à vaporibus emissis, distendentibus, & turbantibus.

Alia *mediis gestationis mensibus* infestant, & sunt: I. *Tussis* à vapore acri, vel sanguine tenuiore ad venas pectoris converso, quæ propter concussionem musculorum abdominis, vigilias, dolorem capitis, periculosa est. II. *Palpitatio cordis* & *lipothymia*, quæ si à sanguinis copia oritur, prodromus est abortus, & venæsectione curatur. III. *Lumborum & coxendicum dolores*, vel à sanguine suppresso, in vasa illorum locorum decumbente, vel à grandescente fœtu. IV. *Hæmorrhagia Vteri, Narium, Hæmorrhoidum*, quæ fit 1. A *vasorum uteri rupturâ*, ob causas evidentes, quæ ex relatione ægræ cognoscitur. 2. A *sanguinis copiâ*;& tum, fæmina bono colore prædita est, fluxus bene à gravidâ toleratur, minus periculi est, modò fluxus non sit nimius. 3. A *fœtus* sanguinem non attrahentis *debilitate*: & tum, plerumque aut partus ultra debitum tempus protrahitur, aut difficilis fit, aut abortus insequitur, signa *Debilitatis fœtus* adsunt, id est, *vel* fæmina profluvio alvi laborat, quo fœtui alimentum subtrahitur, *vel* menses gravidæ sæpius fluunt. *Vel* mater sæpe

aut

aut diu ægrotat, unde vitium alimenti exoritur. *Vel* mammæ, quæ antea turgidæ, ob alimenti in venis uteri mammarumque communibus inopiam extenuantur. *Vel* fœtus, qui jam moveri inceperat, vel moveri debebat, *vel* non movetur, *vel* movetur languidius. 4. Ab *Humoribus pravis* expultricem ſtimulantibus; & tum, acria, colorata, fœtida, cum dolore effluunt. ſigna Cacochymiæ adſunt.

Alia *ultimis menſibus accidunt*, ut eſt I. *Vrinæ ſuppreſſio*, quæ à colli veſicæ per uterum compreſſione (ſtantibus inprimis id fit) oritur. II. *Alvi durities & tarditas*, quæ vel à compreſſione inteſtinorum à fœtu ipſo facta; vel ab extractione humiditatis per eundem commiſſa, in mulieribus hepar & lienem calidum & ſiccum habentibus, oritur. periculoſa eſt, quia violento egerendi conatu partibus omnibus in abdomine repletis, facilè aliquod damnum oboriri poteſt. III. *Tumor & inflatio venarum*, vel in *Cruribus*, ſeu ob epatis imbecillitatem, de qua ſuo loco; ſeu ſanguinis ſeroſioris ſuppreſſionem; & tum, gravidæ plerumque fæmellas pariunt. quia humor cum lochiis poſt partum evacuatur, curatione ſuperſedendum, niſi ambulatio impediatur: vel in *coxis*, ut quaſi varicoſæ fiant, quod ab eadem cauſa proficiſcitur. IV. *Cutis abdominis fiſſura* ob diſtentionem præſertim in primo partu, quæ præcaventur, linimentorum laxantium, ut ſunt medullæ, olea, illitione. V. *Aquæ* quæ geſtationis tempore inter membranas fœtum involventes colligitur, *effuſio*, quæ periculo, quod & fœtus exinde aliquam moleſtiam percipiat, & partus difficultas ob humectationis defectum inſequatur, non caret.

ARTICULUS III.

De Symptomatibus circa partum.

S*Ymptomata circa partum* accidentia ſunt etiam haud pauca.

I. *Intempeſtivus ſanguinis ante partum fluxus.* Unde virium imbecillitas & lipothymia; in cujus cura, evacuantia ſunt fugienda, aër prohibendus, cordialia & roborantia exhibenda: cùm ſe os matricis aperit, membrana eſt diſrumpenda, & infans educendus.

II. *Abortus*, quando ante legitimum pariendi tempus infans editur, qui *metuitur*, ſi mammæ extenuentur, quia vel ſanguinem in venis utero & mammis communibus deficere, vel eundem ob violentiam fœtus, aut vaſorum rupturam ad uterum ruere indicio eſt. ſi lac copioſum ex iiſdem effluat. ſi gravida crebros circa ventrem & lumbos *dolores*, qui verſus pubem & os ſacrum, *cum quodam ex utero* egerendi conatu deſinunt. ſi poſt eos, ſanguis vel purus vel ichoroſus, aut aqua effluit. *Oritur*, in genere vitio expultricis uteri, quæ ſeu à fœtu, ſeu à morbis aliis, per quæ & Retentrix ejuſdem debilitari ſolet, irritatur. In *ſpecie* fit inprimis, 1. A *nimio frigore*; & *tum* dolor, qui circa regionem renum exoritur, ad hypogaſtrium deſcendit, & nephritici doloris inſtar affligit. Fomentationem vide apud Ludovicum Burgeſiam p. 1. c. 6. 2. A *ſubitaneo terrore*; & *tum*, extra modò attacta fomentatio applicari; intus aliquid de oxycrato dari poteſt. 3. A *lipothymia*, ubi locum habet confectio Alkermes & de Hyacintho. 4. Ab *ira*. 5. *fluxu*; & tum cibi exſiccantes exhibendi. lecto ægra continenda, cordialibus & roborantibus agendum.

III. *Partus non naturaliter procedens*, ubi commune

mune est monitum, ut umbilicus infantis, quocunque tandem modo se foras dederit, retro in uterum protrudatur. *Difficilis* si sit, nec aliter promoveri possit, *Mercurii vitæ* siliqua in vino exhibita, teste Billichio in observationibus feliciter promovetur.

IV. *Aquarum mora*, cæteris omnibus ad partum paratis; & tum membranæ non sunt rumpendæ, ne vel umbilico, vel alicui membro vis inferatur. fomentatio per aquam tepidam institui debet, quam butyri recentis linimentum insequatur.

V. *Aquarum immaturior prolapsus*: & tum butyrum recens inter humectantia, ab aëre externo cavendum est.

VI. *Dolores colici*, qui tolluntur olei Amygdal. dulc. cum aqua Cinnamomi exhibitione, clystere carminativo insequente.

VII. *Virium imbecillitas ex partu*; & tum exhiberi possunt, Aqua tophorum, cornu cervi, Confectio Alkermes, Aqua Cinnamomi.

VIII. *Secundinarum tardus egressus*, vel quod nimis *crassæ* & tenaces sint, & lateribus strictè cohæreant; vel quod propter diuturnum partus laborem intumescant; vel quod umbilicus, seu *ruptus* sit, seu *præcisus*, antequam secundina egressa fuerit. Laudantur *secundinarum specificum*, *Oculi leporis in Martio capti*: de quibus in Chymiatria Hartmanni, &c. Vide Burgesiam l. 1. c. 14.

IX. *Dolores post partum propter* nimiam vasorum angustiam, qui *præcaventur* pulveris Reginæ, post partum primum exhibito, qui ex consolidæ major. dr. j. Nucleor. persicor. nucis moschatæ ana scr. ij. Ambræ griseæ scr. ſ. componitur, & dr. j. pondere in jusculo si febris adest, in vino, si non, exhibetur.

X. *Nimius sanguinis post partum fluxus*, seu ob copiam illius, seu, quod calidioribus usa fuerit, ob

ob tenuitatem. In *Curatione* locum habent, Ligaturæ, linteum in oxycrato intinctum, lumbis & toti spinæ dorsi, quia ibi vena cava decurrit, adhibitum. *Terra Cimolia* in aceto soluta iisdem apposita.

XI. *Purgatio imminuta*, propter sanguinis per novem menses detenti à calore inductam crassitiem; quæ inde *cognoscitur*, quod in fluxu menstruo major fuerit. In *Curatione* locum habet, Apertio *saphenæ*, sed non citiùs quàm uterus suo loco restitutus fuerit. Usus syrupi *de Capillis veneris* cum aqua hyssopi, Absinthii, suffumigia, fomentationes, &c. Quod si in fluxu menstruo, purgatio major non fuit, nec abundabant sanguine, diætâ, & cibis Euchymis est agendum.

XII. *Febris*, quæ fit, I. Ex *lactis generatione*, quæ periculo vacat. Naturæ, regimine diætæ servato, committenda est, & sudores quibus terminari solet, promovendi. II. Ex *lochiorum suppressione*, in cujus curâ nota, 1. Venam commodissimè in talo secari; si id fieri nequit, cucurbitulas cum scarificatione femoribus & cruribus bene apponi. 2. Tempore fluxus præterlapso, & febri urgente, venam in cubito aperiri posse. III. Ex *vitiosorum humorum apparatu*, in quo an purgari debeant vel non, ægræ, accuratè considerandum. Tempore fluxus elapso lenia duntaxat adhibenda. Alterantia, quæ fluxum cohibent, ut frigida, acida vitanda.

TITULUS XIII.

De Abdominis affectibus.

CAPUT UNICUM.

De Hernia umbilicali, & Musculorum abdominis inflammatione.

INter affectus abdominis est *Hernia umbilicalis, & Musculorum abdominis inflammatio.*

Omphaloceles, quæ est umbilici ab intestinis, omento, aqua, flatu, vel carnosa substantiâ, in eundem prolapsis, vel ibidem exortis intumescentia.

Signa, *Causæ*, *Curatio*, pro ratione Differentiarum variant.

Differentiæ à Causis sumuntur.

Alia est *Intestinalis seu ἐντερόμφαλος, quando intestina in umbilicum prolabuntur*; quæ ex eo *cognoscitur*, quod tumor nec admodum sit durus, nec mollis; retento spiritu increscat, & ad supinum ægri decubitum, intestinis cum strepitu & rugitu in suum locum regressis, subsidat. *Oritur* à percussione, casu, saltu, ponderis gravis elevatione, partu difficili, equitatione, vociferatione, ploratu, risu, &c. In *Curatione* exigit 1. *Intestinorum in suum locum repositionem.* 2. *Peritonei laxati adstrictionem*, *rupti consolidationem.* Inter medicamenta sunt, *Consolida*, *sanicula*, *perfoliata*, *herniaria*, in vino rubro decoctæ & exhibitæ. *Incisio* tum demum admittenda, cum alia nihil juvant. *Ligatione* interdum affectui consulitur.

Alia est *Omentalis*, seu ἐπιπλόμφαλος, *quando omentum in umbilicum prolabitur*: quæ ex eo *cognoscitur*, quod tumor ab una parte sit mollior, ad basin latus, & in verticem angustus, quod omnis dolor absit, & eodem digitis compresso, redeunte in

ſuum locum omento ſubſidat. *Oritur* ab iiſdem cauſis. *Curatio* eſt eadem; ſed in corpore molliore & juvenili facilior.

Alia eſt *Aquoſa, ſeu ὑδρόφαλος, quando umbilicus ab aqua in tumorem attollitur*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quòd tumor ſit laxus, & ſi prematur nec augeatur, nec minuatur, quod cum fluctuatione conjungatur, & candelâ appoſitâ limpidus & perſpicuus appareat. *Oritur* ab Aqua inter peritonæum & abdominis cutem collecta, à cauſis in hydrope enarratis *procedente*. In *Curatione* habent locum *Exſiccantia* & *Diſcutientia*, his non ſuccedentibus *lunata ſectio*.

Alia eſt *Flatulenta, quando flatus umbilicum diſtendunt*: quæ ex eo *cognoſcitur*, quod tumor ſit mollis, digitis cedat, tympani inſtar ſonitum reddat, & quocumque tandem modo decumbente ægro non mutetur. *Curatur* difficulter, ſi cauſam in viſceribus latentem & foventem habeat. facilè in infantibus Diſcutientibus tollitur.

Alia eſt *Carnoſa, quando carnoſa ſubſtantia umbilicum in tumorem attollit*: quæ ex eo *cognoſcitur*, quod tumor ſit durus, nec preſſus cedat, & ad nullum decubitus modum mutetur. *Curatur* ſectione carnis medicamento cauſtico vel ferro peracta, niſi in cancrum deſinat; ſic enim malum incurabile eſt.

Muſculorum abdominis inflammatio, vel *Rectos muſculos*, vel *Tranſverſos* afficit. Si *illos*, tumor oblongus eſt, & per totum ventrem extenditur. Cutis non ſine colore contrectatur, & apprehenſa minimè ſequitur. in omni decubitu eadem tumoris magnitudo manet. Si *hos*, magis partes profundæ afficiuntur, & quia iſti muſculi ſunt membranoſi circa finem, & plures nervos obtinent, dolor eſt vehementior. Ab Epatis inflammatione eo diſtinguitur, quod figuram muſculorum ſequatur, nec ita ſit ro-

tundus.

tundus. *Curatio* talis eſt, qualis in aliis inflammationibus. Et tantum de Morbis infimi ventris.

APPENDIX.

De Arthritide.

ARthritis eſt partium circa articulos dolor, à defluxu humoris ſeroſi & acris, è venis & arteriis in eas effuſi excitatus, per periodos invadens, & motum impeditum conjunctum habens.

Subjectum ſunt partes membranoſæ, ac ſenſu circa articulos præditæ, à quibus nec ligamenta membranoſa excluduntur. In illis magis dolor excitatur, tum quod humores à venis & arteriis eò detrudantur: tum quod eò delati, anguſtius habitent.

Signa ſunt ex relatione ægri ferè evidentia, primo impetu dolor pollicem pedis, & plerumque ſiniſtri invadit: poſt tumor, calor, & rubor manifeſtè percipitur: accedit motus impotentia, & in diuturnâ arthritide tophi, &c.

Cauſa eſt ſolutio unitatis, ab *humore ſeroſo, ſalſo & acri* inducta. Hic ex alimentorum, ut plantarum, Cyprinorum, vinorum inſalubrium eſu, accedente vitioſa viſcerum, ut Epatis & Lienis, conſtitutione, *ſalis ſeu Tartari illius effectrice* exoritur. Sæpe ad *ſpirituum* naturam, qui ſalem in ſe mordaciſſimum habent, unde ſæpe vagatur, accedit. *Sanguini* propter defectum ſufficientis ſecretionis *permiſcetur.* Per *venas* & *arterias*, unde inſtante paroxyſmo vaſa quæ ad manus & pedes tendunt, & extremis articulis inſeruntur, intumeſcunt, ad *articulos* propter illorum ſeu nativam à parentibus, ſeu adſcititiam, à labore, aëris exceſſu, aliisque articulos alterantibus, unde molliores laxioresque fiunt, imbecillitatem natura, copia ſtimulata, ſe exonerante, & interdum à cauſis externis, ut aëre verno vel autu-

mnali, affectibus animi, ſudoris conſueti retentione, &c. adjuta, mittitur. Ad *articulos potius*, quàm alias partes movetur, fortè quod ligamenta & tendines magis terreſtri ſanguine, & cum humore tartareo cognationem habente, alantur.

Curatio eſt in genere *difficillima*, tum ratione ipſius morbi, ob diætæ errores, & aliæ, tum ratione paroxyſmi, quod humores per ligamenta membranas & nervos diſperſi, propter iſtarum partium denſitatem & frigiditatem, difficulter diſcutiantur. *Nulla*, ſi morbus aliquis lethales ei conjungatur. *ſi adſit* luxatio, quia etſi articulus reponi poſſit, tamen ligamenta manent laxiora; ſi in luxatione cavitas articuli materiâ tophaceâ repleatur, quia antequam iſta tollatur, articulus reponi non poteſt: illa tolli nequit, ſi ſit hæreditaria. *Reſpicit* 1. *Paroxyſmum*, in quo 1. *Humores ad partem affectam ruentes*, *tollendi*; ubi locum habet, *Venæſectio*, ſi ſanguis abundat; eaque *cita*, quia fluxus urget. *Baſilica*, *ſi omnes* aut plurimi articuli afficiuntur. *In oppoſito*, *ſi unus* tantùm. *Nulla*, ſi ſanguis pituitoſus prævalet, ne diſcuſſio protrahatur. *Purgatio* imminentibus doloribus, cui inſervire putatur, *Hermodactylus*, *pulvis arthriticus Paracelſi*, *Electuarium Caryocoſtinum Horatii Augenii*, *Gummi ad podagram* in fortioribus, in minùs robuſtis, materia vehementer ebulliente, *Syrupus de ſpina cervina Solenandri*, *Mechoacanna*, &c. *Sudor*, qui decocto *Chinæ*, *radicis bardanæ*, *Theriaca C.C. præparato*, *Antimonio Diaphoretico*, egregiè excitatur. 2. *Affluxus per Repellentia impediendus*; ſi ſubito & nimio humorum affluxu dolor augeatur: ſed non ſola, ne motus à natura inſtitutus, cum vitæ periculo ſiſtatur, verum anodynis permiſta. Laudatur Liquor *florum verbaſci*, & *C.C. uſtum*, in aqua florum verbaſci maceratum & coctum, & parti dolenti appoſitum. 3. *Dolor mitigandus*, ubi

locum

locnm habet, *Oleum raninum Stockeri* lib. 1. cap. 58. Praxeos. *Aqua Antipodagrica Rulandi* apud Hartman. in Chymiatria, *Vnguentum Lacunæ* de Ebulis. *Spuma decocti radic. Chinæ* apud Zacuth. lib. 3. Hist. Med. Histor. 38. *Oleum ossium humanorum* inunctum. *Secretum Freitagii ex* Opio & Caphura in libro de Opio. *Ejusdem* ibidem *aliud* ex saccharo saturni, sale ejusdem, &c. *Lixivium* sale sufficienter conditum. Pulvis *lapidis Bezoar. Orient.* vel C. C. præparati cum rosaceo melle & aceto calore levi permistus, & Cataplasmatis modo impositus, &c. 4. *Materia quæ affluxit, Discutienda*, ubi locum habent, unguentum *de Castoreo*, *Fungus quernus* Solenandri, Consil. 24. sect. 4. *Aqua*, in qua æs & ferrum extincta, & postea Mercurius vitæ maceratus. *Decoctum urticæ* cum pane triticeo, sale, aquâ & vino factum, &c. 5. *Tophi dissolvendi*, cui negocio inservit ex *caseo veteri* & acri in jure carnis suillæ salsæ intincto, *Cataplasma*, & id quod apud Hartmannum in chymiatria invenies. II. *Præcautionem*, quæ reposcit 1. *Diætam convenientem*, in qua aëris excessus, cibi materiam suppeditantes, potus vini Moravici Austriaci, &c. animi affectus nimii vitari debent. 2. *Venæsectionem*, nisi corpus sit frigidius. Nonnulli venas ad pollices pedum singulis mensibus aperiunt. 3. *Purgationem*, quæ vere & autumno ante æquinoctium institui debet, & leniora potiùs quàm fortia exposcit. 4. *Antipodagricorum usum*, ut sunt *Chamædrys*, *Chamæpytis*, *seu Iva arthetica*, *Aristolochia rotunda*, *Rhaponticum verum*, &c. 5. *Articulorum roborationem*, cui *lixivium ex cineribus fagi* paratum & aliquoties colatum, cum pari quantitate vini, & unc. II. Aluminis inservit.

Quantum ad *Differentias*, species ipsius sunt, *Podagra*, *Chiragra*, *Gonagra*, *&* *dolor Ischiadicus*. De illis nihil præter suprà dicta occurrit. De *isto* obser-

obſervandum, I. *Diſtingui debere* ab illo dolore, qui quidem vehementiſſimus eſt, ſed nec tumorem ſibi adſciſcit, nec ſemper circa articulum, ſed & in mediis ſpatiis intra articulos conſiſtit. ſæpe poſtquam hominem ſemel atque iterum afflixit, toto vitæ tempore non revertitur. II. Eum hoc *proprii habere*, quod latiùs quàm in aliis articulis, & ſæpe ad vicina loca, tum propter oſſis coxendicis amplitudinem, tum nervorum, qui à lumbis & oſſe ſacro ad eam articulationem veniunt, in diverſas partes diſtributionem, diffundatur. III. *Curari* difficillimè, tam propter loci profunditatem & amplitudinem, quàm propter materiæ colligi ſolitæ copiam. In *Curatione* vena ad malleolum externum, ſi dolor extrorſum vergat, ſaphena ad internum ſi introrſum, ad derivationem bene tunditur. Purgantibus fortioribus agendum. *Diſcutientia* ſunt *Iberis*, ſeu *Lepidium*, *Naſturtium hyemale*, *Piperitis*, & alia; de quibus conſulantur Practici. Nos *Ideam duntaxat* ſcribimus. Et hæc de Morbis *Infimi ventris & Articulorum* ſufficiant.

IDEÆ

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ LIBER XI.

De Morbis venenatis.

Titulus I.

De Lue Venerea.

HACTENUS de morbis non venenatis actum est. Ad *Venenatos* pertinent, *Pestilentia*, *Lepra Arabum*, *Lues Venerea*, *& Venena*. De prioribus duobus superiùs egimus; jam de Lue Venerea agendum est.

Lues autem Venerea est virulenta & contagiosa totius corporis cachexia, plerumque cum dyscrasiâ calidâ, defluvio capillorum, maculis, tuberculis, ulceribus contumacibus & dolore immani, nocturno præsertim sæviens, epati & facultati nutrienti adversa, ab excremento maligna & venenata qualitate infecto, per contagium, inprimis verò concubitum illato, exorta, & plurimis symptomatibus sæviens.

Nomina habet varia. Dicitur morbus Gallicus, Italicus, Neapolitanus, Hispanicus, Indicus, Syphilis, Pudendagra, Variola magna, &c.

Subjectum adæquatum est totum corpus: fomes verò mali est ipsum *epar*, ex quo inquinato crudus corruptusque sanguis in totum corporis habitum dispergitur, & singularum partium nutritio vitiatur.

Signa sunt, *Incipientis*, *Lassitudo* omnium membrorum levis cum gravitate totius corporis, quia spiritus naturales, qui sunt immediatum sustentantis facultatis instrumentum, infecti sunt. *Dolor* per universas partes vagus & parvus, quem vapor ob hepate elevatus inducit. Ab eodem *Color* faciei immutatur.

tatur, & sub oculis circulus lividus quasi in menstruatis apparet. *Calor* insignis in vestigiis pedum & manuum etiam in hyeme oboritur. somnus interrumpitur. *Caries* circa pudendum moderata, seu quia sanies pudendi fæminei erosit pelliculam; seu quia hepar communicatum sibi per spiritus naturales contagium ad pudendum propellit. *Bubones* moderati, parvi, non dolorosi, non validè crescentes; quia hepar ad inguina tanquam ad partes emulgentes excrementa mala depellit. *Gonorrhœa Gallica*, quæ ad labefactationem spirituum, facultates testium regentium infertur. *Confirmati* sunt. *Pistulæ* in universo corpore, capite præsertim & barba duræ circa quartum vel sextum mensem exortæ, aliquando cum crusta, aliquando non; aliquando cum sanie, aliquando non; quæ vel à materia contagiosa ab hepate transmissa, vel à parte excrementa propter vitium concoctionis congerente, oritur. *Vlcuscula* in pudendis callosa. *Vvulæ in faucibus mollificatio* & dependentia, quam raucedo vocis excipit. spiritu namque naturali labefactato, in ventriculo pituita, in cerebro mucus, in venis sanguis pituitosus exoritur, & processu morbi adustus, acris evadit. *Tumores* glandularum in faucibus, materiâ infectâ, & ab emunctoriis excretâ, capiti communicatâ. *Corruptio* palati & dentium, quæ gradum morbi intensissimum indicat. *Dolores* firmi, clamosi, ante vesperam exorti, qui vel à vapore maligno, vel ab excremento circa periostia cujuslibet partis congesto, exoritur. *Corruptio* ossium capitis & brachiorum, antequam ulcus exoriatur. *Vlcera* maligna universum corpus, propter jam datas causas obsidentia. *Defluvium* pilorum. *Crustæ, calli, rhagades*, in volis manuum & plantis pedum, quæ à materia pituitosa valdè exusta oriuntur. *Tinnitus* aurium, qui, cum vapor noxius à capite, nec per cutim, nec os, nec

nares, expelli poteſt, & ideò ultimo conatu ad aures protruditur, producitur. Plura vide apud Practicos.

Cauſa eſt excrementum venenoſa malignitate inquinatum, totum corpus vel aliquas ejus partes occupans, ſanguinemque in venis contentum corrumpens, & ad bonam nutritionem ineptum reddens. *Communicatur* per contagium, quod promovent *Internè*: 1. Vis imbecilla ſpirituum naturalium, & ipſius hepatis. 2. Dilatatio vaſorum, ut vaporibus & ſaniei tranſitus patere poſſit. 3. Facilis humorum accenſio, qua illud facillimè rapitur. 4. Subſtantiæ natura & mollities in partibus. 5. Animi affectio, quæ ſi intenſa eſt, non facilè congredientes inficiuntur. *Externè*, *Contractus* per communicationem ſubſtantiæ, ſaniei nempe, ichoris, vel fuliginoſorum vaporum: quæ facilior eſt, ſi partes ſint molles, raræ, & incaleſcant. quo facit, *Coitus* cum infecto, ſuctus lactis, ſalivæ aſperſio, exoſculatio, lectus communis, uſus veſtium infecti, &c.

Curatio eſt *difficilior*, ſi ſemel ſanatos adoritur. ſi in intemperiem calidam & ſiccam incidit, quia vel appropriata adhiberi non poſſunt, vel ſi adhibentur, aliud corpori damnum attrahitur. ſi in tempus anni calidum & ſiccum incidit, quia vires tum maximè exhauriuntur. ſi febris, tabes, aut aliud grave ſymptoma conjungitur. ſi in artubus calloſi, ſcirrhoſi & duri tumores apparent. ſi æger eſt infans, & cum lacte hoc malum ſuxit, quia cum lacte virulentia ventriculum ingreditur, quæ hepar & ſanguinem inficit. *Reſpicit* 1. *Præſervationem*, quæ tamen bonâ conſcientia, ne fores vagis libidinibus pandantur, doceri non poteſt: niſi fortè præcautionem illam intelligas, quâ aliquis infectus, ſolitis ſymptomatibus ne ingruant, occurrere conatur. II. *Curationem*, quæ abſolvitur, 1. *Sanguinis, ac vitioſorum humorum bene præparatorum, evacuatione.* Ubi nota 1. *Venæ-ſectionem*

sectionem non instituendam, si bubo suppuretur, ne materia ad interiora revocetur: Instituendam, si sanguis abundat, ut tutiùs medicamenta appropriata calida & sicca dari possint. si materia ad peculiarem partem non movetur. Cephalicam tundendam, si materia ad caput intendit. Basilicam, si ad nullam partem. In pene, si adsit caries, vel gonorrhœa. In partibus inferioribus, si bubo ad suppurationem non tendit. 2. *Purgationem* instituendam in principio, ne corpori impuro per Alexipharmaca noxa detur. Continuandum toto Curationis *tempore*, si materia colligatur. *Omittendam*, si materia in externis præcipuè partibus hæreat. Mechoacannam & Jalapam additis specificis maximè hic inservire. II. *Malignitatis & virulentiæ tam humoribus inhærentis, quàm partibus, & præcipuè epati impressi expugnatione*, quæ per sudorifera & salivationem perficitur. Medicamenta *sudorifera, appropriata* hic sunt, *Guajacum* quod melius in decocto vel spiritu quàm ulla alia forma præbetur, *ut oleaginosa ipsius* & resinosa pars, in qua vis tota consistit, educatûr; & minore quantitate in principio, ne aliquam noxam nimio calore, catarrhis præsertim præsentibus adferat. *Salsaparilla*, cujus inprimis radicis cortex medullâ abjectâ sumi, nec dolore oculorum præsente adhiberi debet. *China*, quæ temperata, & aliquid alimentarii obtinens, atrophia præsente commodissimè adhibetur. *Sassafras* aromatici odoris, *Lignum quercus, juniperi* cum baccis, fagi, buxi: de quibus observat. Renealmi vide. *Bezoarticum animale*, *Mixtura simplex*, *Persicariæ arcanum*, *spiritus Mercurii albus*, Hartmanni, ejusdem *rubeus*, &c. *Modum utendi* Fallopius, & Quercetanus in peculiaribus de lue venerea tractatibus, Hartmannus in chymiatria, Sennertus l. 6. Practicæ luculenter descripsere. *Salivatio* excitatur *Mercurio* seu argento vivo, vel *intra*

sumto,

ſumto, ubi locum habet Turpethum à gr. i. ad iii. ſumtum. pillulæ ex maſtichis pulver. ſcr. j. granis aliquot puta à 3. ad 8. Mercurii ſublimati dulcis cum melle in paſtillos formatæ, & ad dies interdum triginta maſticatæ: Vel *extra per inunctionem* quantitate hydrargyri nunc majore, nunc minore, (ſingulis vicibus ſcr. ii. adſumi poſſunt) adhibito, quam antecedere debet Corporis per pungationem aut venæſectionem evacuatio. *Mercurii* puri & ex cinnabari vivificati cum pinguedine porcinâ, oleo, butyro, terebinthinâ, mixtio & mortificatio. *Sequi*, Mercurii ex corpore, ne quid in eo relinquatur, per ſudores, aureorum nummorum in ore retentionem. ramentorum auri hauſtu, & cæter. eductio. Oris & faucium lacte tepido ablutio. Inflammationum decocto plantaginis prunellæ, &c. prohibitio. In *genere verò obſervandum*, Mercurium adhibendum, cum decocta lignorum propter aliquod prohibens admitti non poſſunt, vel morbus aliis remediis expugnari non poteſt; idque nonniſi, cùm vires ſibi conſtant. Corpus nec nimis impurum, nec nimis emaciatum. Aër non valdè calidus. Æger ante morbum, paralyſeos & tremoris expers erat. Suffumigia nimis ſunt vehementia, ideo inter extrema remedia computantur. III. *Diætâ conveniente*, cujus accuratam deſcriptionem apud Authores vide.

Symptomata præcipua in lue venerea occurrentia, ſunt.

I. *Caries*, quæ in triplici eſt Differentiâ. 1. Aut *fit per contactum*, infecto alterutrius ſexus pudendo; & *tum* puſtulæ, primum parvæ & candidæ, quæ craſſitiem minimi grani panici non excedunt, erumpunt: his ruptis ulcuſculum rotundum, candidum in medio habens punctum, remanet; interdum illis inter ſe copulatis, tota glans quaſi coronâ cingitur, ſine dolore, cum levi pruritu. *Curatur*, unguento dia-

pompholigos, vel aqua ſolani, in qua aliquid aluminis rocchæ diſſolutum, linteïs impoſita. Aut *per tranſmiſſionem excrementi tenuis ab epate ad pudendum*: & *tum* ulcus eſt rotundum, puncto albo carens, lividum, labra paulisper elata, purpurea, habens. In *Curatione* repellentia ſunt fugienda, ne excitetur Bubo. Ablui poteſt decocto Guajaci ſolo cum aqua plantaginis, &c. Aut *per Excrementorum pudendo adhærentium per coitum excalefactionem, putredinem & infectionem*; & *tum* ulcus eſt malignum, non rotundum, variæ figuræ & coloris, *calloſa* habens labra, ſerpens, &c. De ejus Curatione conſule Fallopium, capite 85. II. Aut *eſt in ſinu muliebri*, cujus cura poſt ablutionem repoſcit Peſſarium Fallopii. Detergentia ſi ſuppurari ulcera incipiunt. Cauſtica, ſi putredo eſt robuſta. Ferrum ignitum, habitâ partis ſanæ ratione. Pndendi quotidianam decocto Guajcai cum ſcabioſa & tormentilla ablutionem. Aut *in Canali virgæ*, *quæ ex ſanie manante*, & maximo tempore mi*ctionis dolore cognoſcitur*, & eo modo quo ſequens curatur. Aut *in Glande*, cui & præcedentia & ſequentia applicari debent. III. Aut eſt *cum tumore præputii*, ut glans detegi non poſſit; vel ſi detegatur, maximo id fiat cum dolore: de quo vide Fallopium cap. 83. Aut *cum callo præputii*, de quo idem c. 84. Aut cum cicatrice calloſa. Aut *cum verrucis ſeu excreſcentiis*, de qua capite 87. & 88.

II. *Bubones*, qui ab aliis non gallicis *Diſtinguuntur*, quod vel caries, vel gonorrhœa contagioſa adſit, & congreſſus, nulla alia certâ causâ exſiſtente, præceſſerit. *Duûm* autem iſti tumores ſunt *generum*. Aliquando *colligitur materia circa glandes in membrana veſtiente glandulas*, vel implente cavitatem inguinum. Aliquando *ſubſtantia propria glandulæ intumeſcit*, qui tumor interdum in tantam magnitudinem

tudinem ascendit, ut panis unius solidi magnitudinem excedat. In *Curatione* vitanda venæsectio & purgatio, nisi bubo vel decrescat, vel consistat. Emollit eum & maturat *Emplastrum Diachylon*; aperto, *Opodeldoch* bene imponitur. Oleum *Tartari nigrum* est præstantissimum discutiens.

III. *Defluvium capillorum*, quod à malo humore radices capillorum erodente oritur. In *Curatione* vitanda sunt Adstringentia. Gargarismi & sudores hic multùm prosunt; quibus ablatio capitis, lixivio Fallopii, succedere potest.

IV. *Dolores capitis*, in quorum Curatione intra habet locum oleum *Mercurii Diaphoreticum Hartmanni*: Extra Emplastrum *magistrale Vigonis de Ranis*. *&* *Plateri* observ. l. 3.

V. *Dolores articulorum*, & præcipuè inferiorum internodiorum, qui noctu exacerbantur, quod tum pori stipentur, & fomentis tolluntur.

VI. *Pustulæ*, *Exanthemata*, *Scabies*, *Fissuræ*, in volis manuum & plantis pedum. quorum Curationem vide apud Hartmannum.

VII. *Gonorrhœa*, in qua idem Hartmannus laudat, Mercurium præcipitatum viridem, aut gummi Guajaci, quibus exhibitis Terebinthina violar. aqua abluta, & cum vitello ovi trita, cum salsæparillæ decocto exhiberi debet. *Distinguitur* ab alia eo, quod exiguum vel nullum pruritum excitet, nec ita citò ægrum in tabem conjiciat.

VIII. *Tinnitus aurium*, qui difficillimè curatur: interdum tamen usu decocti guajaci evanescit. Septalius laudat *Asini urinam*, in qua per noctem lignum Guajaci, portio castorei, & fasciculus mentastri maduere, destillatam, & auribus instillatam, aut per evaporationem exceptam.

IX. *Tophi*, *seu Nodositates*, *&* *Gummata*, quibus curandis egregia Emplastra suppeditavit Plate-

 rus

rus obſervationum libro tertio. Huc pertinet unguentum *Hartmanni ex unguento aureo officinali, & Mercurio ſublimato* paratum.

X. *Tabes*, in cujus curatione *ſalſæparillæ* decoctum cum carne vitulina macrâ factum, admirabile eſſe dicit, Septalius lib. 7. Animadverſionum, mihi p. 322.

TITULUS II.

De Venenis.

CAPUT I.

De Venenis Foſſilibus.

VEnena in ſpecie conſiderata, ſunt vel *Foſſilia*, vel *Vegetabilia*, vel *Animalia.*

Foſſilium præcipua & maximè communia ſunt ſequentia.

I. *Aqua fortis*, cujus vis *mucilagine ſemin. cydonior.* pſyllii, gummi tragacanthi, *&c. infringitur.*

II. *Antimonium*, cujus antidotum eſt bolus Armenus, cum oleo Caryophyllorum & pauxillo vini exhibitus. Ne vaporibus dum in igne tractatur lædat, butyrum cum ruta comedendum eſt, vel aqua Zedoariæ bibenda.

III. *Lapis Lazuli*, qui ſi vel malè præparatus, vel in majore quantitate ſumatur, vomitu ejici debet, & hauſtu lactis tepidi, aſinini præcipuè temperari.

IV. *Arſenicum*, *Auripigmentum*, *Sandaracha*, quæ interdum & odoratu inficiunt. ſpecifica earum ſunt, Cryſtallus foſſilis pulverizatus, & dr. j. pondere cum oleo amygdal. dulcium recenti potus: & oleum è nucleis pini dr. iij. pondere exhibitum.

V. *Æs uſtum*, *Squama æris*, *Flos æris*, *Ærugo*, quæ infringuntur à pinguedine ovilla, in juſculo

ſumta: enecantur à bolo Armeno cum hydromelite exhibito.

VI. *Scoria ferri & ferrugo*, cujus antidotum Magnes dr. j. pondere in pillulas cum ſucco Mercurialis conformatus eſſe putatur.

VII. *Plumbum*, cui grana cydoniorum excorticata, trita, & dr. ij. pondere cum vino dulci exhibita, opponuntur.

VIII. *Argentum vivum*, cujus fumo recepto hauſtu vini, in quo Cephalica quædam decocta ſunt, obviam itur. Sublimato oleum Tartari vel ſal Abſinthii reſiſtit.

CAPUT II.

De Venenis vegetabilibus.

VEnena vegetabilia, ſeu quæ ex plantis, ſunt ſequentia.

I. *Aconitum ſeu Napellus*, cujus antidotum, Theriaca Andromachi in vino, vel terra Lemnia. Foris corpus tumidum oleo hypericonis & ſcorpionum inungi debet.

II. *Eſula*, contra quam præmiſſo vomitu, Theriaca Andromachi cum aqua Carduibenedicti agit.

III. *Mezereon*, cui obviam itur ſcordio, Corallis rubris, Theriaca, & terrâ Lemniâ.

IV. *Helleborus niger*, cujus antidotus eſt, pulvis florum aut radicum nymphææ albæ, vel ſeminis paſtinacæ cum vino.

V. *Colocynthis*, cujus vim Theriaca infringere poteſt.

VI. *Euphorbium*, cujus vim ſemen citri ex vino, in quo radices helenii coctæ ſunt, infringit.

VI. *Coriandrum viride*, quod furioſum inducit delirium, & radicem Vincetoxici ex vino Antidotum agnoſcit.

VII. *Mandragora*, quæ somnum gravem infert. Obviam ejus symptomatibus itur, raphano domestico cum sale aliquoties assumto.

VIII. *Hyoscyamus*, quem qui sumsere modò rixantur, & ebriosorum instar delirant, modò se virgis cædi, ob pruritum in toto corpore excitatum putant. Bezoartica ejus sunt, Pistacia, Castoreum, Ruta, semen urticæ.

IX. *Iuglans arbor*, cujus umbra, si quis sub ea jaceat, nocet, & capitis dolores infert. Tolluntur isti Lixivio ex Betonica, Majoranâ, Lavendulâ, &c.

X. *Nux vomica*, cujus antidotum Zedoaria dr. ij. pondere, Cortices citri vel succus ejus, Rob Myrti vel Cydoniorum.

XI. *Opium*, ad cujus nimium usum sopor gravis cum vertigine & pruritu totius corporis ingruit; & cujus antidotum est Asa & Castoreum, quibus Rutam & Origanum adde.

XII. *Fungi*, qui seu nimia copiâ ingesti, seu minus rectè cocti suffocationem inducunt, singultum excitant, urinam remorantur, & intestina exulcerant. In curatione commendatur Cinis sarmentorum vitis, cum aqua mulsa, Theriaca; & alia.

CAPUT III.

De Venenis Animalibus.

VEnena quæ ab animalibus inferuntur, præcipua sunt, quæ inferuntur.

I. Ab *Aspide*, cujus tam exiguum est vulnus, ut ferè visum effugiat. Morsui ejus, capitis gravitas, somnolentia, faciei pallor, crebræ oscitationes, &c. superveniunt. In Curatione providendum ligaturis & scarificationibus, ne venenum in corpus penetret: vulneri Theriaca cum ruta contusa imponenda. Alexipharmaca intus exhibenda, inter quæ *folia*

Thapsi

Thapſi barbati, Caryophyllatæ, in aceto decocta laudantur.

II. A *Vipera*, ad cujus ictum ſanguis primò exit purus, quem ſanies cruenta ſpumoſa & ærugini ſimilis cum partis & totius corporis notabili tumore, puſtulis in parte affecta, aduſtis & nigricantibus. Antidotum ejus eſt Coſtum à dr. ſ. ad dr. j. cum vino abſinthite, vel decoctionis abſinthii exhibitum, coagulum leporis, porrum, &c.

III. A *Scorpione*, ad cujus ictum, dolor, inflammatio, tumor, circa plagam puſtulæ verrucis ſimiles inſequuntur. Reſiſtunt ei Salvia, Scordium, Abſinthium, Gentiana, Ariſtolochia, Verbenaca recta, Serpillum, &c. Quidam thure contrito, in quo ſcorpii ſigillum impreſſum erat, liberatus eſt.

IV. A *Lacerta*, quæ dentes ſuos ſubtiles, parvos, nigros, plerumque in vulnere relinquit. Dentes cucurbitulis ſunt eliciendi. Cataplaſma ex panis triticei medulla, cum decocto rutæ, allii, gentianæ confectum, applicandum. Intus Alexipharmacis agendum.

V. A *Hirudine*, quæ ſi malè applicata eſt, ut vulnus non bene cedat, Cataplaſma ex agrimoniâ contrita imponi debet. Si in inteſtina penetravit, ſtercore bovino ſicco modicè calido, cimicum pulvere vel caſtoreo irrorato, ano admoto, clyſtere ex ſolius cæpæ ſucco primò injecto, excluditur.

VI. A *Rubeta* quæ interdum afflatu, interdum urinâ in herbas ejectâ, inficit. In Curatione, Theriaca cum decocto rutæ propinetur. Vinum meracum liberaliter bibatur. Sudor copioſus in balneo provocetur.

VII. Ab *Araneo*, qui vel intra corpus ſumitur, vel ictu venenum ſuum corpori immittit. Quocunque modo id fiat, ventris intumeſcentia, lacrymæ involuntariæ, mingendi cupiditas, membri virilis in

juvenibus tensio, in senibus laxatio, affligunt. In Curatione, intra Theriaca post vomitum bene exhibetur. Extra, locus demorsus sæpius aquâ salsâ abluendus est.

VIII. A *Muscis*, *Vespis*, & *Araneis*, quorum aculei eximendi: & locus postea aquâ salsa abluendus, & animalcula contrita vulneri, ut venenum exsugant, imponenda.

IDEÆ MEDICINÆ PRACTICÆ LIBER XII.

De morbis Puerorum.

TITULUS I.

De morbis Capitis.

POTERAMUS jam subsistere, & opusculum concludere, nisi Puerorum morbi, in quibus nonnulla singularia occurrunt, fecissent. De illis itaque in hoc libro ultimo, tanquam appendice, brevissimè dicemus; eosque in morbos *Capitis*, *Medii*, *& Infimi ventris* haud incommodè dividemus.

Morbi Capitis puerorum sunt.

I. *Crusta lactea*, *Achores & Favi*, seu ulcerosa tubercula, in capite præcipuè, sed interdum in universo corpore exorta, è foraminibus saniosum quid fundentia. *Oriuntur* ab humore partim crassas, partim tenues, serosas, salsas, & nitrosas partes continente vel in utero, vel extra lactis vitio collecto. In *Curatione*, si nihil mali metuendum expellentia, ut syrupus fumariæ, cornu cervi ustum, exhibenda.

Nutrix

Nutrix evacuanda, Materia peccans exhibito ſyrupo borraginis, fumariæ, &c. temperanda. Si putredo inſignis ſub cruſta metuitur, Caput emolliente decocto lavandum; mox leniter exſiccantes inunctiones adhibendæ. Si cranium læſum eſt, eidem providendum.

II. *Siriaſis*, ſeu cerebri & membranarum inflammatio, quam ſyncipitis & oculorum cavitas conſequitur. *Cognoſcitur* ex eo, quod oſſa ſyncipitis parte ſuperiore, ubi ſutura coronalis & ſagittalis coëunt, membranacea quaſi ſunt, & omnium poſtrema indurantur. *Oriri* etiam poteſt à lacte, ſi nutrices potu ſpirituoſiore & calidiore utantur. Ut Lucretius author eſt, fœtus teneros caprarum à lacte mero dementari. In *Curatione* danda opera, ne cerebrum nimio refrigerantium uſu lædatur.

III. *Epilepſia*, quæ provenit, A *Terrore*, cujus occaſiones omnes vitandæ ſunt. 2. A *Lacte corrupto* in ventriculo; & tum vomitus eſt optimus. 3. A *Vermibus* in inteſtinis ſeſe moventibus; quorum ratio eſt habenda. 4. A *difficili dentitione*; quæ promovenda. 5. A *Variolis*, *morbillis*, *febribus*, quæ etiam ſunt curanda. 6. A *primario cerebri affectu*. Curatio in genere; & tempus paroxyſmi, & tempus poſt paroxyſmum reſpicit. Ibi laudatur *Smaragdus* gemma, Lapis in *hirudinum ventriculis* circa oppoſitionem Solis & Lunæ diſſectis repertus. *Vngula Alcis* auriculæ ſiniſtræ indita. Vomitus. Hic, *Nodulus* ex C. C. præpar. ſale Corallorum, Cryſtallo præpar. viſci quercini ligno formatus, potui injectus, & ſingulis quinque diebus renovatus. *Emplaſtrum* ex ſuccini albi, Thuris, Maſtiches ana dr. j. ſ. Galbani, Opopanac. ana ſcr. j. Viſci quercini dr. ij. Ambræ gr. vj. Moſchi gr. iii. ſemin. pœoniæ maris dr. ſ. Ladani dr. i. ſ. Olei Nucis moſchatæ pauxillo, formatum, & pulvere Cubebarum aſperſum. Inungi quoque ſynciput, & cervix *oleo* ſuccini albi poteſt.

IV. *Pavores in somno*, qui quia à vaporibus impuris & terris, spiritibus animalibus immiſtis, & eos turbantibus, ex ventriculo elatis, oriuntur; ideo infantibus, qui lac avidiùs ſugunt, accidunt. In *Curatione* videndum, ne vel ſe nimis lacte infantes ingurgitent. vel lac malum generetur, vel parvuli pleno ventre cubitum deferantur. Ventriculus circa orificium ol. cydonior. maſtich. cum ol. nucis moſchatæ inungatur; ante ſomnum rotula Diamoſchi in lacte diſſoluta ingeratur: & niſi calor adſit, Theriacæ aliquid hebdomatim offeratur.

V. *Convulſio* articulorum in manibus & pedibus, quæ à craſſi lactis copioſa ingeſtione oritur, & quâ circa dentitionem plerumque infeſtantur. In *Curatione* habenda ratio frigidæ & calidæ intemperiei. Cervix & Articuli convenienter ſunt inungendi.

VI. *Vigiliæ nimiæ*; quæ plerumque à *vaporibus acribus*, ex lacte in ventriculo corrupto elâtis, oriuntur: Interdum à febribus, vel *dolorifico affectu* exſurgunt. In *Curatione* melius *eſt*, ut *plantæ pedum* medullâ cervinorum oſſium inungantur, quàm ut iiſdem hypnotica fortiora, quibus ſtupidiores redduntur, exhibeantur.

VII. *Strabiſmus*, quæ curatur in recens nato, ſi lucerna in partem oppoſitam, quo oculi declinant, ponatur: vel larva foraminata faciei apponatur, de qua apud Hartmannum.

VIII. *Aurium humiditas*, ob humiditatem cerebri excrementa multa cumulantis exorta, in qua non deproperandum ad curam. Laudatur *Vrina puerorum deſtillata*, in aurem guttis aliquot immiſſa.

TITU-

TITULUS II.

De Morbis medii Ventris.

MOrbi *medium in pueris ventrem afficientes*, ſunt:

I. *Dentitio difficilis*, quæ ex eo *cognoſcitur*, quod tempus ſit dentitionis, quæ circa initium ſeptimi menſis accidit. infantes digitos frequenter ori inſerant. nutrices papillas fortiùs ſtringi ſentiant. locus ubi dentes erumpere conantur, albicet. dolor ingens, tum inprimis cùm canini eduntur, vigiliæ, fluxus alvi, convulſiones, afficiant, *Curatio* eſt *bonæ ſpei*, ſi alvus crebro emittit. ſi febris acuta accidit, quia materiâ convulſionem faciente per febrem abſumtâ, convulſio non accedit. ſi hyeme vel vere dentes erumpunt: quia hyeme caloris nativi vigor major eſt; vere, gingivarum laxitas. In ea videndum, ne ſi alvus fluxa eſt, nimis citò ſiſtatur. *Tumentes* gingivæ, cerebro leporino coƈto, vel pinguedine illius: *Inflammatæ* unguento ex oleo roſaceo & cera candida, ſucco ſolani elota: *Exulceratæ*, butyro non ſalito cum nonnihil mellis & thuris pulverizati, illinendæ.

II. *Tuſſis* cum difficultate reſpirationis, quæ vel à materia, à *capite deſcendente* oritur; & *tum* catarrhus & tuſſis adeſt, & inter reſpirandum ſtertor quidam ac ſonus percipitur, dum aër non liberè, ſed per obſtruƈta pulmonis bronchia tranſit: vel *ex ſanguine pituitoſo* è venis ad pulmones aſcendente; & *tum* catarrhus & tuſſis abeſt, & hypochondria ſunt tumida. In *Curatione* obſervandum, utrùm Tuſſis ſit calida vel frigida: utrùm ſicca, vel humida. Laudatur *pedum lotio* cereviſiâ, in qua herbæ cephalicæ incoƈtæ fuerunt, quam inunƈtio plantarum pinguedine lucii, vel ſevo hircino inſequi debet. *Extra*, peƈtus pinguedine

guedine gallinæ ad facilitandam respirationem, inungi poterit.

TITULUS III.

De Morbis infimi ventris.

M*Orbi infimi ventris in pueris*, sunt:

I. *Vomitus*, qui si à *Copiâ lactis* procedat, subtrahendum est. si à *Lactis corruptione*, id quod vomitu ejicitur, attendendum est. In Curatione prodest mel rosatum solutivum, intus datum; extra, ventriculus oleo menthæ vel absinthii inungendus: si à vermibus, ad eos curatio obvertenda.

II. *Tormina ventris*, quæ ex eo *cognoscuntur*, quòd infantes sint inquieti, mammas aversantur. *Oriuntur* à flatibus, humoribus, lacte corrupto, vermibus. *Curatio* ex superioribus petatur.

III. *Hypochondriorum inflatio*, in qua infantes angustiâ & oris ventriculi *compressione*, *Cardiacâ*, & difficili respiratione laborant. Oritur *ab infantum* ἀδδηφαγία, quando vel copiose lac sugunt, vel nimium alterius cibi sumunt. Exhibetur commodè contra istum affectum pulvis radic. ireos, pœoniæ, intra: Extra, fomenta per decocta cardiacæ prosunt.

IV. *Alvi adstrictio*, quæ procedit, Aut *ab errore aliquo* in diæta matris vel Nutricis. Aut *ab intemperie* seu ipsorum intestinorum frigida & sicca: seu visceris alicujus calidâ & siccâ. *Ibi* alvus semper ferè tarda est, & humectantibus, Cassia nempe, passulis laxativis, &c. agi debet. *Hîc*, signa & curatio ex suis petenda locis. Aut *à pituita viscida* & tenace fæces obvolvente; cui incidentia & abstergentia debentur. symptomati ipsius subvenitur, partim suppositoriis ex stercore muris cum sævo hircino: partim clysteribus: partim *Epomphaliorum* usu,

quæ

quæ ex aloë, felle tauri, myrrha, butyro, oleo diacolocynthidos Quercetani,& aliis parantur. Possunt & nutrici medicamenta purgantia præberi.

V. *Alvi fluxus* accidit vel *extra tempus dentitionis*, cujus ratio ex libro sexto petenda est: Vel *tempore dentitionis*, ob alimenti corruptionem, & turbatam coctionem, seu propter febrem & calorem præternaturalem, seu propter vigilias nimias, quas dolor parit, seu propter dolorem calorem ad actionem necessarium avocantem. Hic citò sisti non debet, si nec est copiosus, nec infantes malè ferunt. Sin aliter accidit, abstergendum primò vel clystere, vel syrupo rosarum solutivo cum adstrictione. Mox adstringendum, habitâ ratione caloris & frigiditatis.

VI. *Lumbrici*, de quibus libro sexto sufficienter dictum. *Præcaveri* possunt, partim *Diætâ*, in qua dulcia, pinguia, lac, pisces, fructus horarii, ficus,& alia vitanda; potui C. C. præparatum immergendum: partim *Medicamentis*, materiam generationi vermium aptam, subducentibus; ut sunt decoctum sebesten, aut ejus electuarium, Rotulæ diaturbith cum Rhabarbaro, &c.

VII. *Hernia*,quæ *Oritur* vel à *laxato aut rupto peritonæo* ob fletum, tussim, lapsum, crurum divaricationem; & tum, tumor in una plerumque parte est, intestina prolapsa tactu percipi possunt. Curationem vide suo loco. Vel *ab humore aquoso in abdomine abundante*, & in scrotum descendente, eumque in tumorem attollente; & tum, tumor plerumque est in utroque latere, scrotum magis quàm in Enterocele inflatur. In Curatione Discutientibus utendum.

VIII. *Umbilici inflammatio*, quæ *oritur*, quando sanguis eo ex dolore, & læsione ab aëre externo concurrit. Periculosa est, si in abscessum mutetur, eoque rupto intestina procidant. Ideò suppuratio quantum fieri potest, prohibenda est.

IX. *Um-*

IX. *Vmbilici prominentia*, quæ eo ab Inflammatione *Discernitur*, quod umbilicus tactui cedat, color cutis non mutetur, nec pulsus vel dolor, nisi intestina valdè prolapsa sint, adest. *Oritur* 1. *A mala illius ligatione*, vel quando major ejus pars quàm debet, relinquitur. Et hæc incurabilis est. 2. A *peritonæi laxatione*; & tum tumor æqualis ferè manet, umbilicus non ita multum prominet. In Curatione, à flatulentis cibis, tussi, fletu cavendum. 3. A *peritonæi ruptura*; & tum tumor, dum infans supinus jacet, vix percipitur; dum ambulat, sedet, flet, clamat, incrementum sumit. In *Curatione* muscus, qui in pruno sylvestri nascitur, utilis est. Forestus Rotulas è corio confectas, & oxycroceo inunctas laudat.

X. *Calculus vesicæ*, qui ex eo *cognoscitur*, quod urina cum dolore & guttatim emittatur: ea interdum sit limpida, interdum lactis, vel seri instar, interdum sanguinis aliquid contineat, *infantes pruritum in membro virili percipiant*. *Oritur*, *seu* à *lacte ex cibis* materiam calculo formando aptam producentibus, genitos; *seu* à pulmentis, accedente vel ventriculi aut epatis; debilitate, propter quam inutilia non secernuntur; vel renum intemperie calidiore, ob quam chylus attrahitur, & ad vesicam non alteratus transmittitur. In *Curatione* Balnea locum habent, cum inunctionibus: nec non juscula cum granis Cynosbati depuratis confecta. Vide superius l. 6.

XI. *Vrinæ incontinentia*, quæ *Oritur* 1. A *consuetudine*, musculo orificio vesicæ claudendo dicato, ita disposito, ut ad minimum stimulum laxetur. Si in habitum abit, ad mortem plerumque comitatur. 2. A *Calculo vesicæ*, de quo in præcedentibus, 3. A *Sphincteris imbecillitate*, à frigida & humida intemperie inducta; quæ partim Diæta nutricis; partim medicamentis convenientibus, intra & extra adhibitis,

hibitis, (laudatur *balneum* ex ſulfure, nitro, & foliis quercus) tollitur.

XII. *Intertrigo*, quando cuticula in coxis à vera cute ſeparatur. *Oritur* inprimis ab urinæ acrimonia, in corpulentioribus præſertim, in quibus ſordes coxis ob corpulentiam corrugatis, adhæreſcunt. In *Curatione* habet poſt balneum, Nihili album, loco adſperſum, vel unguentum de lithargyro illitum.

XIII. *Macies* quæ *oritur*, 1. A *vermibus ſubtiliſſimis*, qui in muſculoſis brachiorum & dorſi partibus generantur, & alimentum abſumunt. Erumpunt capillis cinericiis aut nigris ſimiles, poſtquam illæ partes, in balneo, pane cum melle mixto fricatæ fuerint. Tolluntur, ſi novaculâ vel cruſtâ panis, poſtquam ſe exſeruerint, abradantur. 2. A *lacte* vel pauco, vel *vitioſo*, quibus vitiis interdum nutricis mutatione occurritur. 3. A *Faſcinatione*, quam *vel* corporum malè affectorum contactus, ut in ſcabie, lue venerea, &c. accidit, infert: *Vel* νοσεραὶ ἀποκρίσεις, ſeu morboſa effluvia, quæ aut ab iis aut eorum partibus, oculis præſertim, (hinc ophthalmia laborantes, ſi quis attentiùs aſpiciat, ophthalmia corripitur) erumpunt, & in eos transferuntur. Inter Medicamenta faſcinationem infringentia, *Succinum* & Corallia collo appenſa, à quibuſdam vehementer laudantur. Sed de puerorum morbis conſule *Sebaſtianum Auſtrium*, & *Nicolai Fontani* notas in ipſum.

Concluſio.

HÆc ſunt, quæ de præternaturalibus humani corporis affectibus volui; quæ ſi familiaria ſibi reddiderint Medicinæ tyrones, in atrium ſe ipſius inductos, ni fallor, ſentient. De cætero, ut in præfatione, quædam obſervatu Ideam hanc aggreſſuro neceſſaria poſui: ſic & hic nonnulla breviter monenda obveniunt: quæ & *Praxin Medicam aggreſſurus*,

rus & *eandem exercens* , & *in eadem feliciter provectus* , *observare necesse habebit* , *si* ἀπειρίην, δειλίην & θρασύτητα , &c. effugere voluerit. *Praxin aggressurus*, 1. Conferet istam cum aliis Authoribus Ideam; & ex illis errata , si quæ occurrunt , emendabit; defectus supplebit ; obscuritati ex brevitate natæ, lucem afflabit. 2. Accedet ad Consultationes, *Observationes* & Epistolas Medicas , ex quibus præcepta firmabit, & experientiam alienam hauriet. Palmam reliquis præripiunt , Forestus , Solenander, *Dodonæus*, Platerus, Crato, Langius, Fernelius, *Horstius*, &c. in quorum ut & aliorum lectionem , Medicinæ studiosos in animo introducere , habeo ; si mihi DEUS vitam ad plures curas produxerit. *Zacutus Lusitanus* mihi ferè excidisset, qui & in Historia sua, & in Praxi Historiarum multum præstitit. Epistolam, quam ultimo libro præfixit, pro mea non agnosco. Nec titulum mihi , nec stylum scriptioni , nec locum literis competere , autographum ostendit. Moneo; ne, quod quis calum*nietur, habeat.* 3. *Visitabit* diligenter cum Medicis ægros, & eorundem in morborum exploratione, filo curationis, prognosticorum decretis , temporum observatione, occasionum raptu, &c. processus expendet & notabit. His mediis ἡ μάθησις ἐμφυσιωθεῖσα δεξιῶς τε καὶ εὐαλδέως fructus suos proferet , & ἀπειρίη κακὸς θησαυρὸς καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτέην καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ, εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος , δειλίης τε καὶ θρασύτητος τιθήνη; ut Hippocrates in lege loquitur, exulabit. *Praxin exercens* faciet quædam , fugiet quædam. Ex *faciendis* sunt 1. *Dei cultus*, & invocatio, sine quo nihil ritè, nihil providenter homines auspicantur. 2. *Amor consultationum* , in quibus ἐκ κοινολογίης τὰ περὶ τὸν νοσέοντα disquiruntur , & conjunctis operis εἰς εὐπορίης βοηθήσιος pervenitur, ut *Hippocrates* ἐν παραγγελίαις scribit. 3. *Calumniarum vulgi con-*

contemtus, quod temerario suo judicio effecit, ut Medicina τεχνέων πασέων ἐπιφανεστάτη, jam longè inferior habeatur. Fecit id *Hippocrates*, ut ex libro *de Articulis* apparet: fecere & alii, qui vel ideò populo placere noluerunt, quod quæ populus sciret, ipsi nescirent; quæ ipsi scirent, populus nesciret. 4. *Cauta præsagia*, quæ in acutis sunt difficilia, & incerta: ut videre est apud *Galen.* l. de Art. constit. c. 18. si bene cadunt, confidentiam medico largiuntur; sin minus, infamiam approperant. 5. *Sollicita occasionum captatio.* Cum enim *occasio nihil sit aliud, quàm opportunitas alicujus rei, quæ habet idoneum tempus faciendi*, vel *non faciendi*; ut docet *Cicero* in lib. de *Invent.* & vero hæc sit ὀξὺς, præceps, ita ut sæpe in Medicina, ψυχῆς κίνδυνος ἡ ὑπέρθεσις teste *Hippocrate* Epistolâ ad Crateram; multum in ea situm esse unusquisque facilè colligere potest. Inter *fugienda*, sunt, 1. *Avaritia*, quâ profectò illi laborant, qui pauperioribus spretis, opulentioribus, tanquam muscæ victimis, inhiant; & mercedem non labore, sed propria habendi libidine metiuntur. *Hippocrates* περὶ εὐσχημοσύνης, sapientem medicum argenti contemtorem esse scribit: & in libro *præceptionum* interdum gratis curare, & magis μνήμην εὐχαριστίης προτέρην, quàm παρεοῦσαν εὐδοκιμίην respicere jubet. 2. *Garrulitas*, ex *Celsi* & *Hippocratis* præcepto; quorum ille, eloquentiâ nullos curari morbos, sed remediis, in procemio de re medica scripsit: iste garrulum medicum, alterum ægro morbum esse, l. c. dicit. 3. *Invidia.* Cum enim bono humani generis à DEO Medicina data sit, & Medicus φιλόσοφος ἰσόθεος esse debeat; videtur invidus Medicus & à se ipso degenerare, & à fine inventionis aberrare, dum sibi soli se natum putat, & propria commoda totius humani generis saluti anteponit. 4. *Contumacia*, qua multi nil rectum, nisi quod placuit, sibi ducunt,

nec errores suos fateri volunt. Abhorruerunt ab hoc vitio *Hippocrates* & *Galenus*. Hic se in dolore colico aberrasse, 2. *de locis affectis cap.* 5. fatetur: ille, à suturis se esse deceptum, memoriæ prodidit: quod *Celsus l.* 8. c. 4. more magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium factum dicit. *Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur*, &c. 5. *Morbi desperati*, quos cavere & *Hippocrates* & *Celsus* jubent. Ille libro *de Arte*, cum dicit Medicinam, quod ejus sit πάμπαν ἀπαλλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους, μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισι ὑπὸ τῶν νοσημάτων. Iste lib. 4. cap. 26. cum ait. *Esse prudentis hominis primum eum, qui servari non potest non attingere, nec subire spem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit.* 6. *Temerariæ & faciles pollicitationes*. Sanè *hæ agyrtarum* & circumforaneorum propriæ, qui tam citò se morbos expugnaturos jactitare solent, quàm citò vulpes pyrum est. Vir honestus rationalis Medicus est, mavult in arte conjecturali tacere, quàm temeritatis convinci. 7. *Vana Pseudochymicorum promissa.* Nihil apud istos frequentius, Panaceis Corallorum & aliorum lapidum, è quibus sæpe nihil præter salem elicias, tincturis, essentiis, &c. Unico remedio omnes febres, omnes fluxus, omnes à quacunque tandem causa exortos morbos profligant. Authoritate *Naudei*, *Petrai*, *Sennerti*, *Billichii*, *Eichstadii* loquor. Studiosa juventus his decepta, sumtuum, temporis, occasionum, eruditionis & modestiæ jacturam patitur, & pro auro carbones invenit. *Felix in praxi successus*, multos in transversum solet agere. Secundæ quippe res efferunt animos, & difficile est blandiente fortuna tenere modum. Hinc, 1. *Arrogantia*,

quâ fit, ut DEI obliti, proprio genio successum felicem multi adscribant. 2. *Nimia sui fiducia*, quâ fit, ut suetæ felicitati innixi, accuratè, agenda & fugienda, non advertant. Unde sæpe opiata dosin suam excedunt, purgantibus non rite paratis OEconomia humani corporis labefactatur, & alia committuntur, quæ Heroës isti in junioribus infamia punirent. 3. *Iactantia*, dum se & sua mirantur, & iis coram ignara plebe & vanissimis mulierculis, laudibus extollunt, quæ interdum ferreæ frontis hominem rubore suffunderent. 4. *Parium & inferiorum contemtus*, ac si solis cerebrum & cor Natura formasset, reliqui vel in truncos & stipites abiissent, vel peponem pro corde, fungum pro cerebro, gererent. 5. *Calumniandi denique studium*, dum ἐκπεπτωκότες τοῦ ἐντρέπεσθαι aliorum in curando seu Methodum, etiam accuratissimam, seu remedia etiam exquisitissima, seu industriam etiam singularem, traducunt, nec defunctorum manibus, ipsi interdum vita infames, parcunt. Et hæc quidem ita se habere, vel exemplis comprobari possit. At Medicus, qui Philosophum Deo similem exprimere cupit, pestes istas vitabit. Recordabitur, sortes nostras in manu Dei esse, sæpe egregios Medicos, rationi & experientiæ innixos, ἐυςόχους, manum multis morbis frustra admovisse, quos vel circumforaneus stentor, vel anus edentula curavit. Sæpe quos ratio non potuit, temeritatem, ut *Celsus* ait, sanasse, nec paucos à fortuna in arte medendi evectos, ab eadem, successu temporis, destitutos fuisse, innumeros ægros à veteranis derelictos, quos initiati feliciter restituere. In memoriam sibi revocabit, *homines qui nullum aliud abominati spiritus præmium novere, quàm odisse omnia, ut venena nasci. Menecratis* Syracusi insaniam, ὃς ἐφρόνει μέγα ὡς μόνος αἴτιος τοῦ ζῆν τοῖς ἀνθρώποις γινόμενος διὰ τῆς αὐτοῦ ἰατρικῆς, *Athenæo l. 7 Deipnosoph.*

pnosoph. referente, infamiâ laborare, & *Hippocratem* jurejurando in libro *prænotionum* affirmare, Medicum ratione utentem alterum nunquam invidiose calumniaturum, sed huic vitio ἀγχιστεύοντας ἀγοραίης ἐργασίης, seu qui forensem quæstum sectantur, magis obnoxios esse. Sed manum de tabula. Thrasonesistos, Medicinæ opprobrio, vivis aliquando coloribus depingam. Dicta, quia ardor promovendi Academicorum studia expressit, grato quoque scio excipientur ab iisdem animo. Faxit DEUS, *ut in studio Medico* & virtute feliciter progrediantur, & in Philosophos Deo similes quàm primum evadant. Tantum.

Gratiâ Tibi, Domine JESU.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Jonston, Jan,

Idea universae medicinae practicae

Amstelodamum 1648

Med.g. 254
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10085076-2